162-164

1 1 2 .

GE. GOTTLOB RICHTER

MEDICINAE DOCTORIS MAGNAE BRITANNIAE REGIS CONSILIARII AULICI ET ARCHIATRI MEDICINAE IN ACADEMIA GOTTINGENSI PROFESSORIS PRIMARII, CAET.

OPUSCULA MEDICA VOL. I.

ANTEHAC

IN ACADEMIA GOTTINGENSI SEORSIM EDITA

NUNC VERO COLLECTA

STUDIO

IO. CHRISTIANI GOTTLIEB ACKERMANNI

MEDICINAE DOCTORIS

PRAEFATUS EST

DANIEL WILHELMUS TRILLER

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR, CONSILIARIUS AULICUS ELECTORIS SAXONIAE, MEDICINAE PROFESSOR PRIMARIUS IN ACADEMIA WITTEBERGENSI, ET ILLUSTRIS ACADEMIAE SCIENTIARUM BONONIENSIS SODALIS, CAET.

VOLUMEN PRIMUM

FRANCOFURTI ET LIPSIAE,
SUMPTIBUS IOANNIS GEORGII FLEISCHERI.
cIↃIↃCCLXXX.

BIBLIOTEKA ELBLĄSKA
4184
BIBLIOTEKA W TORUNIU UNIWERSYTECKA
92.444
II

MAGNO

MAGNI HIPPOCRATIS INTERPRETI

DANIELI WILHELMO TRILLERO,

VIRO ILLUSTRI,

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARIO AULICO MEDICINAE IN ACADEMIA WITTEBERGENSI PROFESSORI PRIMARIO ILLUSTRIS ACADEMIAE SCIENTIARUM BONONIENSIS SODALI

HAEC

CONIUNCTISSIMI AMICI SUI

OPUSCULA

S.

IOANNES CHRISTIANUS GOTTLIEB ACKERMANN

MEDICINAE DOCTOR.

MAGNO

MAGNÆ · BRITANNIÆ · ET · HIBERNIÆ

DANIELI · WILDELMO

TRILLERO

VIRO · ILLUSTRI,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI SERENISSIMI
MAGNÆ BRITANNIÆ REGINÆ A CONSILIIS AULICIS MEDICI-
NAM IN ACADEMIA VITEBERGENSI PROFESSORI PRI-
MARIO ILLUSTRIS ACADEMIÆ LEOPOLDINÆ
ADJUNCTO HONORARIO

HANC

CONJECTURIS AUCTI SUI

DEDICAT

S.

IOANNES CHRISTIANUS GOTTLIEB ACKERMANN
MEDICINÆ DOCTOR.

VIR ILLUSTRIS,

Cui potius, *VIR ILLUSTRIS*, opuſcula, quæ GEORGIUS GOTTLOB RICHTERUS in Academia Gottingenſi edidit, conſecrem, quam TIBI, qui non ſtudia ſolum, quibus Vir Clariſſimus quondam omnem operam dedit,

TIBI vindicaſti, verum etiam clariſſimum eorum auctorem rara ac conjunctiſſima amicitia, ac intenſo amore, dum viveret, proſequutus es.

Mortui etiam memoriam TIBI ſacroſanctam eſſe, ipſe eleganti carmine, memoriæ optimi viri ſacro, pie profeſſus es. Raro ſane exemplo communia ſtudia amicitiam ex pulcherrima animorum συζυγια ac vitæ integritate RICHTERO TUO, TIBIque ſolita, natam, auxerunt atque confirma-

verunt,

verunt, quum eadem, ut JANI CORNARII ac LEONHARDI FUCHSII, aliorumque exemplis clarum eſt, rixas ſæpe excitent, ac odia ſola pæne morte reſtinguenda accendant. Hoc vero bonis commune eſſe ſolet, ut, quoniam promovendis ſcientiarum incrementis omnem operam impendunt, ex communibus ſtudiis communis etiam ac ſtabilis amicitia enascatur.

Non itaque mea TIBI *consecro,* VIR ILLUSTRIS, *quæ nimis tenuia & Tanto Viro, tamque præclare de universa medicina totaque antiquitate promerito indigna forent, sed amici* TUI, *viri boni rectique, opuscula* TIBI *dico.*

Accipe itaque, VIR VENERANDE, *opuscula, solo, quod in fronte gerunt, ac quo immortalitatem consequentur,* RICHTERI TUI *nomine* TIBI *commendabilia, quibus,*

quum

quum eorum auctorem tam intenſe amaveris, favorem TUUM *haud penitus denegabis.*

Ego vero toti arti medicæ, inprimis vero illi ejus parti, quæ in interpretandis veterum monumentis verſatur, mihique ipſi, qui opera TUA *maxima cum animi voluptate legi, incredibilemque in iis latentem multifariæ doctrinæ theſaurum admiratus ſum, & admiror, de tot tantisque novis inuentis, quibus eam illuſtraſti, impenſe gratulor, Deumque optimum*

maxi-

maximum, qui ſenectutem TUAM uberrima meritorum meſſe feliciſſimam effecit, intenſe precor, ut TE, ætate jam provectum, multis adhuc annis cumulet, TIBIque vires ſuppeditet, ut tolerabilem agas ſenectutem, nihilque habeas, quod eam accuſes. Vale.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

DANIEL WILHELMUS TRILLERUS.

Conſuetudinis potius jam dudum receptæ & adhuc vigentis, quam neceſſitatis urgentis cauſſa, me eo tandem poſt iteratas quidem preces, adduci paſſus ſum, ut *Opuſculis* his *Richterianis*, jamjam in publicam lucem & utilitatem producendis, *præfationem commendatitiam* præmitterem. *Alias* enim mihi res omnino videbatur inanis ac ſuperflua, opus jam interna ſua virtute & præſtantia per ſe commendabile, externa quoque inſuper commendatione operoſe nimis ornare, ſive rectius, onerare. Quemadmodum enim merx bona pulchreque elaborata facile emtorem invenit; venuſta floridaque facies etiam, dum tacet, loquitur, & amatorem, ſæpius vel invitum, ad ſe invitat, & vino denique vendibili nihil opus eſt ſuſpenſa hedera, ut vulgare tenet proverbium; ſed invendi*bili* potius, uti PLAUTUS facete *loquitur*: *Ita etiam Liber*, Rerum gravitate ac Verborum ſuavitate juxta affatim inſtructus & undique exornatus, Lectorem eruditum protinus allicit, allectum aliquamdiu detinet, & detentum ægre ſeroque tandem dimittit.

Hoc igitur Elogium & hiſce *opuſculis Richterianis* ſummo quidem jure competere, mecum, ſat ſcio, ac jamjam prævideo, omnes palam confitebuntur docti ac rerum ipſarum gnari Lectores, quo juſtum ſuum pretium ſtatuere valent operibus ſolide quidem & ornate elaboratis; adeo, ut haud dubie mox ad ipſum noſtrum RICHTERUM ſcite & appoſite applicaturi ſint iſtud quidem effatum Horatianum: *Nec facundia deſerit hunc, nec lucidus ordo.* Deprehendent enim ubique philoſophum acutum ac perſpicacem, *judicem* æquum, nullique diverſarum partium ſtudio ſerviliter addictum, & non tantum nomine ſuo; ſed re ipſa potius, talem; Medicum porro ſolertem, peritum ac circumſpectum, Oratorem diſertum floridumque, & ſcriptorem denique res utiles ſcituque dignas ſtilo ſimul nitido, puro plerumque, ac pæne Ciceroniana jucunde proponentem: adeo, ut inde RICHTERUS meus maximam quidem partem, ſplendidum iſtud mereatur Encomium, quod facundiſſimus ille & elegantiſſimus OCTAVIUS FERRARIUS quondam, merito ſic tribuit celeberrimo olim TARQUINIO GALLUTIO: *Ipſum ſcilicet puræ ac minime fucatæ Latinitatis, & ad Tullianum nitorem proxime aſſurgentis, unicum fortaſſe hac tempeſtate, exemplum eſſe: cujus orationes omnibus doctrinæ atque eloquentiæ luminibus diſtinctas, eximio verborum cultu, ſententiarum pondere, atque eleganti perſpicuitate inſtructus, ut diſertiſſimus Romuli nepotum merito appellari poſſet.*

Ubi

Ubi & ibidem, ſtatim ſequentia verba omitti hic neutî quam debent, quoniam & iſta, in illo quidem GALLUTIO laudata, vel maxime etiam ac perquam appoſite conveniunt ipſi præſertim RICHTERO noſtro: *Sed & Carmina ejusdem*, ita nunc ibi pergit FERRARIUS, *pari ſuavitate ac nitore contexta, ut, quod rarum, ac pæne inuſitatum ſit, tam ſoluta, quam pedibus adſtricta oratione, Romanæ eloquentiæ principatum obtineret.*

Quantus enim & quam eximius plane poëta & Lingua vernacula, & Romana, potiſſimum, fuerit hic ipſe horum *Opuſculorum Auctor*; & quantum inprimis valuerit in *Elegiis* ſcite ac ſuaviter componendis; ita, ut ſua certe ætate, in iſto quidem Carminum genere, vix ullum haberet parem, nullum vero ſuperiorem; cultiſſimi illi & terſiſſimi præſertim abunde teſtantur *Elegi*, quos mœſto illo ſuperioris funeſti belli tempore, ſingulis fere annis, meo quidem perituro nomini ac Natalis mei memoriæ, amiciſſime & benevolentiſſime dicatos, inſigni Lectorum gaudio ac voluptate, in publicum emiſit *Chriſtianus* ille (ut ſic dicere liceat,) TIBULLUS, ſeu PROPERTIUS, ſive HEINSIUS, aut LOTICHIUS redivivus, uti ipſum vere & ingenue vocare ſemper ſolebam. Iſtos igitur *Elegos* elegantiſſimos & lectu jucundiſſimos ſingularis præſertim ornatus gratia, etiam in hac ipſa *Opuſculorum Sylloge*, ſuo quidem merito, locum commodum inventuros eſſe, ego interea, confidentius ſpero, & ardentius opto.

Phœbus itaque Apollo ſic duplicem ſuam artem, *Medicam* nempe atque *Metricam* benigniſſime indulſerat ipſi RICHTERO noſtro, ita, ut ſuo certe merito, locum veluti primum occuparet inter *Medicos poëtas*, de quibus elegantem olim Libellum ediderat Vir iſte ſummus & immortalis, THOMAS nempe BARTHOLINUS, hoc etiam utroque *ſanandi* ac *canendi* munere a Phœbo pariter liberalius donatus: quod tamen lepidum nitidumque Viri iſtius maximi opuſculum nunc poſt ipſius fata, & centum jam annorum & amplius, decurſum, multis ſane magnisque acceſſionibus augeri & abundantius locupletari poſſet. Sed omittamus jam Carmina, & de his ipſis potius *opuſculis* non nihil adhuc diſerere pergamus.

Iſta igitur multas variasque *diſſertationes academicas* ac diverſa *programmata* ſparſim edita, complectuntur, quæ maximam quidem partem, pathologici, diætetici & practici ſunt argumenti: partim vero etiam philoſophici, phyſici, philologici, ſubtilioris, ingenioſi, ac curioſi.

Ad priorem ergo claſſem pertinent inprimis ſequentes Exercitationes *de Morbo hypochondriaco*, *Malo hyſterico*, *Fluxu ventris dyſenterico*, *Scorbuto*, *Eryſipelate*, *Cachexia icteritia*, *Tuſſi*, *Cardialgia*, *Tremore*, *phthiſi ſine ulcere*, item *phthiſi nervoſa*, *Lacte inſonte*, *inſalubri lactis & vini miſcela*, *virtute ſtomachica vini calidi*, *piſcium ſalutari cibo*, *ſalubritate fructuum horæorum*, ut jam de aliis id genus multis variisque oppor-

opportune taceam: Quæ, etſi de morbis & argumentis alias jam ſat cognitis, & ſæpe alibi dudum deſcriptis, non nunquam agunt, ut manifeſto apparet; ita tamen ſemper elaboratæ & pertractatæ ſunt, ut nova ſua docendi methodo, ſingulari obſervationum adjectarum præſtantia, & inſigni denique purioris plerumque ſtili elegantia, facillime Lectores alliciant, immo potentius attrahant. Rariore enim exemplo, optime arduam iſtam, judice PLINIO, artem callebat ubique fere doctiſſimus & ingenioſiſſimus illarum Auctor: *vetuſtis novitatem dare, novis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, & naturæ ſua omnia.*

Id quod tanto magis de iſtis alterius generis Exercitationibus ſubtilioribus & curioſioribus capiendum & intelligendum. Quorſum nempe præſertim ſpectant ſequentes: *de Somnio Arcadis, de amico cauponis Megarici inſidiis interfecto, mirabili ſanatione Mulieris Bremenſis ſecundum Naturæ leges explicata, Medicina ex Talmudicis illuſtrata, Canis infantum, inprimis nobiliorum, Medicina plagoſa, Inſolatione, Silentio medico, Lucubrationum noxis, Veterum Empiricorum ingenuitate, vario ſenſu vocis κοιλία, purpura antiqua & novo pigmento, Hippocraticis ſcorbuti antiquitatibus, criſibus Veterum, Balneo animali, ſalutari dormientium ſitu, Morte Servatoris in Cruce, paralyſi, & paralyticis Novi Teſtamenti, Mendaciorum immunitate, a* PLATONE *Medicis conceſſa, ſiccis & ſobriis, valetudine*

tudine hominis nudi & cooperti, prisca Roma in Medicos suos haud iniqua; ut alia plura hujus quidem generis lectu perquam digna & jucunda argumenta jam prudens intacta præmittam, ne imprudens, forsan fastidiosa nimis illorum copia ingratam nauseam Lectoribus excitem delicatioribus.

Ista vero omnia iisdem de caussis, jam supra allatis & allegatis, Lectoribus harum quidem cupediarum cupidis ac gnaris jam olim impense placebant, & in posterum quoque, sat scio & fidenter spero, semper placebunt; præsertim autem, propter adjectum ubique fere suavissimum illum eruditæ humanitatis salem, quo scilicet omnia scripta reddi semper solent jucundiora, venustiora & veluti sapidiora: Ipso celeberrimo HEYNIO nostro vere solideque sic judicante, suoque ipsius exemplo luculenter demonstrante.

Namque ipse Auctor noster & benigniore Natura, ingenioque feliciore, atque Arte simul adjutrice, continuoque postea exercitio, indocilis prorsus erat, vulgaria, sterilia, arida & jejuna eloqui, aut scribere: Inde ergo *plumbum quasi in ipsius manu fiebat aurum*, ut PETRONIUS alicubi acute jocatur, & omnia, aspera etiam alia, per se, obscura, inculta & inornata sub cultissimo tamen illius calamo, statim mitescebant, splendidius nitescebant, & meliora ac molliora reddebantur:

In-

Incultisque rubens pendebat ſentibus uva,
Et dura quercus ſudabant roſcida mella.

Ipſius igitur ſcripta ſimulac nata & nota inter Eruditos facta fuiſſent; mox avide ubivis arripiebantur, ac ſingulari cum voluptate, certatim legebantur: Serioque inde optabant ac flagitabant Lectores, ut omnia iſta opuſcula, ſeorſim per vices, diverſo quidem tempore, edita; hinc inde vero poſtea undique diſperſa, atque ideo ægrius invenienda & rarius habenda, tandem in unum corpus concinne redacta, ac ſcite diſpoſita, in communem nempe uſum, conjunctim publicarentur.

Id quod egomet ipſe præſertim, perquam inſtanter ſerioque urgebam quondam & efflagitabam, in illa ſcilicet *diſſertatione Epiſtolari*, ad ipſum Auctorem directa, & primo *Opuſculorum meorum* Tomo, illius ſuaviſſimo Nomini, amica mente manuque, dedicato, a me præmiſſa: quæ tota ſcilicet huc ſpectat, quoniam multa de ipſius quidem Vita, ſtudiis, ſcriptis, moribus ac fatis, mihi præſertim propter diuturnam & quotidianam fere familiaritatem intimam, Lipſiæ, per aliquot annos, exquiſite cognita & obſervata continet. *Utrumque enim noſtrum incredibili pæne modo conſenſit aſtrum natale*, ut ſic cum HORATIO loquar: RICHTERUS nempe meus natus erat Anno *Nonageſimo Quarto*, ſuperioris Sæculi, die IV. *Menſis Februarii*; Ego vero ipſum mox ſequutus, Anno

proximo *Nonageſimo Quinto*, in lucem editus eram, & quidem die X. ejusdem *Menſis Februarii.*

Sed forſan haud penitus ingratum erit Lectoribus attentis & veritatis amantibus, ipſam illam meam invitationem amicam, aut incitationem & provocationem ſeriam, ex iſta quidem præfatione, huc commode, opinor, translatam, jam denuo repetere; quam ita tum conceperam ac propoſueram: *Volebam quoque ſimul Tibimet ipſi, chariſſime* RICHTERE, *hac mea opera, exemplo & incitamento quaſi, eſſe, ut tuas nitidiſſimas & ſtilo, & argumentis, diſſertationes, & programmata doctiſſima, in unum juſtum corpus apte redacta, præſertim vero ſuaviſſima tua poëmata, & elegantiſſimos Elegos, plusquam Lotichianos, aut Heinſianos, meo quoque perituro nomini nimis benigne, ex parte, inſcriptos, uno pariter Volumine comprehenſos, in publica commoda, & oblectamenta, quam primum evulgares. Quodſi precibus meis his publicis a te impetravero, uti certe ſpero, immo confido; tum ſane plurimum mihi debebit univerſus orbis litteratus, & ſpeciatim quivis Lector, eleganter ſolideque doctus.*

Auctor vero noſter, venturæ aliquando famæ ſecurior potius, aut negligentior, quam cupidior, ex nimia & intempeſtiva pæne modeſtia & verecundia, nec publicis illis meis admonitionibus, nec privatis aliorum amicorum, aut virorum doctorum precibus, unquam eo inflecti & adigi potuit, ut

ſcripta

ſcripta ſua academica, denuo recognita, paſſim aucta, & aliquot Voluminibus collecta, in publicum emitterentur.

Atque in hac quidem ſententia juſto pertinaciore, ſi fateri libere liceat, per omnem certe Vitam, immotus veluti, perſtitit, donec fatalis ille ac formidabilis dies ſupremus ſubito ingrueret, *quem ſemper acerbum,*

Semper honoratum, (ſic Dj voluiſtis!) habebo.

Neque enim ipſum vel in hoc uſque tempus, jam etiam, poſt ſex annorum decurſum, penitus adhuc eluxi; quin potius

Quum ſubit illius triſtiſſima mortis imago,
Labitur ex oculis jam quoque gutta meis.

Cogito enim, quo amico, quo Viro nunc caream! implevit quidem ille annum ſeptuageſimum nonum, quæ ætas etiam robuſtiſſimis ſatis longa eſt: ego tamen tanquam & juvenis, & fortiſſimi, morte, doleo. Amiſi enim in eo, amiſi inquam, Vitæ meæ teſtem, amicum, ſodalem, laudatorem, adhortatorem, fratrem veluti, & plus quam fratrem & ipſius animæ meæ dimidium: ut ſimili fere lamentatione ac laudatione, paucis quidem mutatis, & adjectis, hic opportune utamur, qua quondam LINIUS ille facundiſſimus acerbiſſime ac juſtiſſime deflevit ac honoravit amiciſſimi fidiſſimique ſui CORELLII mortem perquam miſerandam.

Quare etiam, ut jam ſupra monui, lugens potius, quam lubens, demum acceſſi, ad hanc ipſam qualemcunque præfationem elaborandam: quoniam ſcilicet juſtis quidem de cauſſis, utique verebar, ne vetus illud vulnus graviſſimum ipſi pectori meo candido ac fideli acerbius inflictum & altius infixum, denuo ſævius recrudeſceret, & nondum obducta ſatis illius cicatrix ſic latius refricaretur.

Tandem autem, licet ſero, ut ſerio tamen ac præclare generoſum illud & perquam laudabile cepit conſilium Nobiliſſimus, doctiſſimus & experientiſſimus ACKERMANNUS, æternum pietatis ac venerationis monumentum huic illuſtri ſuo ac celeberrimo AVUNCULO officioſe ſtatuendi, cunctaque ipſius ſcripta olim ſeorſum ac ſeparatim edita, deinde vero, ut fit, vage diſperſa & undique disjecta, in unum quidem continuum commodumque corpus ſedulo colligendi, & in publicos demum uſus, in ſeram uſque poſteritatem duraturos ac profuturos, perquam liberaliter largiterque emittendi.

Sui igitur Nominis opportune memor, veluti probus ac futuri providus *Agricola*, lætas illas uberesque fruges, in fœcundo venerandi ſui AVUNCULI, fundo, quondam, ſenſim ſubnatas, ſed poſtea diſſipatas ac ſublatas, quam diligentiſſime undique conquiſivit, & in concinnos quaſi faſciculos, ſive manipulos ſcite apteque colligavit; ita, ut ipſius quidem ope ac beneficio, nunc habeant Lectores, harum certe deliciarum

avidi,

avidi, non tenue amplius ſpicilegium; ſed largam potius meſſem, ac plenum optimarum frugum horreum.

Quare nunc clariſſime, ſpero, ipſi intelligent, quantum omnino obſtricti ſint, quantasque hinc gratias ingenue agere debeant celeberrimo iſti Viro & diligentiſſimo Collectori, qui in ſolam ipſorum gratiam, tam arduum, difficilem & ingratum laborem alacriter ſuſcepit, atque hunc ipſum inſignem & multum profuturum Theſaurum liberali admodum ac generoſo animo, aperuit; & in communes uſus officioſiſſime diſtribuit.

Ego certe, meo quidem nomine, ſummas ipſi gratias ingenue hic perſolvo, optoque ex animo, ut immortalis ſui AVUNCULI ſenectutem & famam digne ſplendideque conſequatur, ſine ullis tamen mœſtis curis, aut moleſtis Calamitatibus domeſticis.

In quam probam juſtamque ſententiam mecum protinus tranſituros, parque pium candidumque votum pro ipſo ſuſcepturos eſſe, omnes quidem meliorum Litterarum Cultores ac fautores, equidem nullus plane dubito; *quin potius* magna me inde tenet ſpes, nec minor ſane fiducia ſuſtentat.

Sed nolo jam diutius tua tempora morari, nec ſenili loquacitate, uti vulgo dicitur, Tibi amplius nauſeam, aut moleſtiam

leſtiam creare, BENEVOLE LECTOR! ad quem me iam extremum converto. Vale igitur in poſterum, jucunde ſemper, perbelle, proſpereque, ſine ulla animi corporisve querela, aut offenſa! Ipſi vero RICHTERO meo, jam beate defuncto bene precare, ejusque memoriam mecum, pie ac diligenter recola, & mihimet denique ipſi, adhuc per ſingularem dei gratiam, viventi, favere quæſo, amplius perge, aut certe incipe! Scribebam *Wittebergæ*, Anno ætatis quidem meæ LXXXV. Aeræ autem Chriſtianæ, CIↃIↃCCLXXIX.

IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

I.

CH. G. HEYNE Progr. quo memoriam Georgii Gottlob Richteri civibus posteritatique commendat. Gott. 1775.

II.

G. G. Richteri dissert. de lacte insonte. Gott. 1737. *Resp. N. W. CUHN*, Homberga Hassо.

III.

Diss. de morbo hypochondriaco. 1739. *Resp. LEHMANN ISAAC KOHEN*, Hamburgensi.

IV.

Diss. de divino Hippocratis 1739. *Resp. C. PH. IO. MATTH. F. GESNER.*

V.

Diss, de malo hysterico. 1741. *Resp. FR. GOTTL. MEIER*, Gottingensi.

VI.

Diss. de fluxu ventris dysenterico. 1742. *Resp. H. GOTOFR. LIECHTE*, Gottingensi.

VII.

Diss. exh. medicinam ex Talmudicis illustratam. 1743. *Resp. BENJ. WOLF GINTZBURGER*, Polono.

VIII.

Diss. de scorbuto 1744. *Resp. HERRM. CHR. SARTORIO*, Oldenburgensi.

IX.

Diss. de erysipelate 1744. *Resp. G. CPH. STARCKE*, Hildes.

X.

Diss. de cunis infantum maxime nobiliorum 1745. *Resp. JO. GOTTL. FRIDERICI*, Lipsiensi.

XI.

Diss. de cachexica icterica 1745. *Resp. JO. HENR. ZOPFF*, Greitza-Variscо.

XII.

XII.

Diss. de medicina plagosa 1746. *Resp. GEORG ALB. de SELPERT*, Ratisbonensi.

XIII.

Diss. de insolatione seu potestate solis in corpus humanum 1747. *Resp. G. A. de SELPERT*, Ratisbonensi.

XIV.

Diss. de natura morborum per morbos victrice 1747. *Resp. JO. EBERH. WEHRKAMP*, Osnabrugensi.

XV.

Diss. de tussi 1747. *Resp. JO. BERNH. MARTINI*, Hannoverano.

XVI.

Diss. de tenuitate humorum temere laudata 1750. *Resp. ED. JAC. LUPIN.*

XVII.

Diss. de cardialgia 1750. *Resp. C. SAL. KOELER*, Althorphino.

XVIII.

Diss. de tremore 1750. *Resp. C. A. RICHTER.*

C. G. HEY-

C. G. HEYNE, V. Jll.

PROGRAMMA

QVO

MEMORIAM

G. G. RICHTERI

CIVIBVS POSTERITATIQVE

COMMENDAT.

Recolere memoriam RICHTERI, Viri Illuſtris, Collegae deſideratiſſimi, ac commendare pietati veſtrae, Cives, dum nobis nunc conſtitutum eſt, paullo quidem tardius, quam par erat, debitum honorem perſolvimus: declarare tamen in hoc ipſo videri debemus, altius, quam ut ulla temporis vis labefactare illud poſſit, animis noſtris infixum eſſe nomen ac caritatem viri, dum in vivis erat, praeſtantiſſimi. Eſt enim omnino omnis animi affectus tanto verior, eoque certiorem ſui facit fidem, quo magis ille diuturnus conſtansque fuerit.

In exponenda quidem viri hujus vita enarrandisque casibus ac fatis copiam & subtilitatem desiderabit a nobis nemo, qui meminerit iam olim ex eius ipsius commentariis vitam litteris consignatam extare *a*). Ea itaque, quae ad pueritiam iuventamque spectant, satis erit summatim attingere, versarique maiore cum cura in iis, quibus florente aetate istam nominis celebritatem consequutus est, ut, inter prima Georgiae Augustae decora qui referretur, dignus videretur, subiectis nonnullis aliis ex eius vita, quae cum academiae huius fatis coniuncta fuerunt; neque verendum esse videtur, ne ea ratio habeat quod reprehendi possit, quandoquidem quoties de vita eruditi hominis quaeritur, omnino de ea vitae parte quaeri solet, qua is doctrinae aliqua laude in hominum notitiam venit; multoque magis, si ille inter academica studia et munera consenuit. Superioris quidem vitae acta is, qui, subtilius res expendit et sagacius investigat, multo magis cognoscere accurate cupiat: quandoquidem in iis semina et causae futurae ex litteris laudis et praestantiae, quam is in suo genere assequutus est, deliteſcunt; ea tamen plerumque parum nota esse, et ab iis quoque, qui sanguine ac genere proxime iuncti sunt, ignorari solent; quid? quod ipsis viris doctis adulta aut prouecta aetate constitutis raro supersse solet memoria expedita et explicita eorum, quae puerilem animum aut appulerunt ad certa studia, aut studia exacuerunt, retuderunt, promouerunt; aut, si forte aliqua memoria animo insidet, quae, nisi in homine ad philosophicam animi contemplationem conuerso, satis clara et explorata esse vix potest, pudor fere et verecundia aut prudentia aliave causa intercedere solet, quo minus ea, quae resciviſſe plurimum interest, in publicum efferantur. Hoc idem illud est, quod in conscribendis his academicis virorum clarissimorum memoriis maximas plerumque molestias ac difficultates obiicit, quod ea, quae in uno quoque ad formandum fingendumque ingenium valuerint, quae causae vel opportunitates primos igniculos elicuerint et excitarint, quae sive animi

a) In *Bruckeri* Pinacotheca Vol. II. Dec. 9. a. 1752. et iam ante in *Boerneri* Nachrichten von ieztlebenden Aerzten, T. I. p. 145. sqq. Adde Histor. Litterar. *Ge. Aug. Putter.* p. 155.

animi dotes viresque ſive fortunae caſus ſeu exempla ad hoc ſtudiorum genus, ad hanc in his ſtudiis laudem, ad hanc famam, ſeu certo curſu detulerint, ſeu afflante aura aliqua ſecunda vel inopinantem leniter propulerint, ſeu denique tanquam procellae impetu correptum vadis ſcopulisque invitum illiſerint, haec et eiusmodi alia plerumque ignorantur; nec elogii materies, etiam in ſummis viris, ſuppetit alia, quam quos honores academicos geſſerit, quas lectiones habuerit, quos libros in vulgus emiſerit; proptereaque in eo fere rerum orbe terenda eſt oratio, ut, quae ab homine docto ac doctore academico geſta et curata ſint, ornate ac copioſe enarrentur. Ea tamen, quae in otio hoc litterario, in umbratili hac vita, domeſticis, et ſi de ſapiente agatur, obſcuris ſaepe ſtudiis geri ſolent, vix eiusmodi ſunt, ut magna animos admiratione tenere aut varietate caſuum delectare poſſint. Quo fit, ut genus ſcribendi hoc per ſe difficillimum, etſi utilitate omnium facile praeſtantiſſimum, idem illud ſit moleſtiſſimum, quod facile refugiat is, qui ſibi tantum canit et ex ſua ſeu voluptate ſeu utilitate metiri omnia didicit, *nec populi iudicio reique publicae dignitati* de ſtudiorum ſuorum fructu quicquam concedendum eſſe iudicet.

Vt tamen in viro ſempiterna memoria digno, RICHTERO, ad virilem potiſſimum florentemque aetatem revocare liceat memorationis noſtrae ſummam, facit inprimis illud, quod ille hoc commune habuit cum multis viris doctrina et fama inſignibus, ut una praecipue vitae pars, certusque annorum decurſus in celebritate et claritate verſaretur, nomenque eius, etſi nec in ſenecta obſcurum iacuit, tum tamen imprimis amplum et illuſtre haberetur. Ita enim accidere ſolet, ſeu fortuna diſpenſante rerumque viciſſitudine et curſu ſic ferente, dum laudis materia alio tempore obiicitur maior et per ſe illuſtrior, ſive etiam aetatis vigore *ingenii* animique audaciae *velificante*, *ut alii vitae*, *inprimis longaevae*, anni illuſtriores ſint aliis. *In clariſſimis bellorum ducibus pacis tempora* minorem laudum ſegetem ferre adeoque minus ſplendoris habere videmus, quam res bellicas. Etſi enim gloria virtute parta luce fulget perpetua, nec recte ac ſtrenue factorum laus unquam intermoritur: languet tamen ipſo tempore omnis fama tanquam ſene-

ſcens, niſi noua decora nouum vigorem, quo efflorescat, ſubjecerint, afflatamque rubiginem ac ſitum deterſerint. Reſonat in auribus dulce carmen etiam fidibus non continuo pulſis: obſcuratur tamen ſenſim modorum varietas et ſuauitas, niſi denuo tactae lyrae modi aures impulerint. In priſcis annalibus et chronicis libris viri clari & docti adſcripti plerumque ſunt certis annis, vt in hoc vel illo anno, in hac vel illa Olympiade floruiſſe dicantur; eo itaque tempore aut ingenii aut virtutis praeſtantius aliquod opus eos edidiſſe neceſſe eſt. Quod ſi ſunt viri litterati, quibus vitam ad prouectiorem aetatem proferre contigerit, cum ipſa ſenectus a rerum actu reuocet, etſi non obliteratur eorum memoria, obſcurari tamen plerumque illa ſolet annis vitae nouiſſimis; inprimis ſi in eodem genere nova virorum doctorum ſeges ſuccreuerit, qui in ſe vulgi, quod in nouas rerum hominumque ſpecies adeo proclive eſſe ſolet, conuertant ora. Itaque in RICHTERO is vitae gradus maxime illuſtris et inſignis videri poterat, cum doctrinae ſpecimenibus editis egregiis, virorum clarorum familiaritate, peregrinationibus in contubernio Principis, quem fortuna regno Sueciae deſtinabat, peractis, eam nominis celebritatem conſequutus eſſet, vt Gottingam euocaretur; neque ea decreſcere per annos ſequentes potuit, cum, vt in recens condita academia fieri neceſſe erat, ipſa nouitas in hominum ſermones ea, quae ibi agerentur, efferret, RICHTERVS autem ſcholis diſputationibusque eruditis habendis ceterisque profeſſoriis muniis obeundis largam laudis meſſem ſubminiſtraret; donec ille ad eum aetatis gradum peruenit, quo ſenectutis, praemia, otium et immunitatem vocationemque, tanquam longo labore parta, pertinere ad ſe iure meritoque exiſtimare poterat.

Fuere itaque, vt modo vidimus, plura, quae nominis ei claritatem praecipuam pepererant eumque Münchhuſio approbauerant, cuius iudicium ad omnem poſteritatem praerogatiuae loco habebitur, quoties de laude ac decore virorum clariſſimorum huius ſeculi ſeuerior ſententia feretur. Fundum tamen omnibus laudibus et ornamentis ingenii fortunaeque ſubſtruxerat doctrinae variae et reconditae copia, inprimisque coniuncta cum phyſicis ac medi-

medicis aliisque seuerioribus studiis elegantiorum litterarum humanitas, cuius laude merito per Germaniam non modo, verum inter exteros quoque florebat. Est enim ea praecipua aliqua studii medici felicitas, vt, cum de Iureconsultis Theologisue Germanorum parum laborent Galli, Britanni et Itali, medicorum tamen inventa et scripta magnopere ad se pertinere illi putent, diligenterque curent vt ad se perferantur omnia, quae quidem latine sunt scripta. Communibus vero et Germaniae et exterorum suffragiis inter medicos suae aetatis principes in ea classe, quae litterarum antiquarum et humaniorum laude celebratur, censebatur RICHTERVS neque in serioribus annis ab ea sententia discessum factum vidimus.

Vt tamen huius doctrinae variae et locupletis opibus matura aliqua commendatio accederet, singulari fortunae beneficio, viro ornatissimo contigerat. Primum enim viris ea aetate clarissimis Lipsiae et Kilonii vsus erat praeceptoribus; quae res ad nascentis famae incunabula obstetriciam haud raro operam praestare solet. Commilitones porro in academicis studiis nactus erat adolescentes aliquot, qui mox in virorum clarissimorum censum relati sunt, inter quos Hahnium saltem Trillerumque, venerabilem senem, memorare liceat, quibuscum familiaritate et conuictu coniunctus vixit. Kilonii autem Moshemium, Crusium et Oporinum familiares habuit; vix autem commemorare opus est, quantum ornamenti ac decoris ex familiarium amicorumque et commilitonum splendore mutuemur quisque. Habuere vtique multi eos, quorum contubernio et commilitio vsi erant, mox subnascentis laudis suae praecones fidissimos, vt etiam sint, quorum nomen per amicos communes magis illustratum sit quam per propria merita. Nec dissimilis fortuna, tanquam secunda aliqua aura, afflat in cursu, quem quis ad gloriam famamque nominis instituit, si virorum clarorum facilitatem litterarum commerciis expugnare contigerit, aut si peregrinationibus susceptis in exterorum familiaritates se insinuauerit; habent enim aditus hi et sermones cum viris doctis non modo vtilitatis plurimum, verum etiam ad disseminandam famam opportunitatem permagnam, cum tot quisque suarum laudum testes

praeconesque habeat, quot acceſſerit quibusque doctrinam ſuam, ſtudia et conatus, expoſuerit et commendauerit.

Haec eadem itaque ſi RICHTERO ad magnam laudem famamque mature comparandam fuere opportuna et vtilia, gratia fortunae habenda eſt, quae in viro hoc ſummo virtutem ac meritum non vulgare ſequuta eſt. Nam primum academicis ſtudiis informatus cum ad nouam Kilonienſium diſciplinam ſe conferret, per Saxoniam inferiorem plures ciuitates, virosque in iis doctos clarosque adiit (anno ſeculi XVII) annoque ſequente, poſtquam Kilonii aliquot menſes vixerat, ad Batauos profectus et cum viris verſatus eſt ea aetate celeberrimis, inter quos vnum Boerhauium nominare ſatis eſt, cuius etiam diſciplinam amplexus eſt Richterus; nec non Albinum, Ruyſchium. Proximo anno (a ſec. XIX.) Kilonium redux factus, quatuor annis poſt (a. ſec. XXIII.) per Saxoniam ſuperiorem iter fecit ad thermas Carolinas, ibique familiaritatem contraxit cum Hofmanno, de Berger, aliisque viris claris, qui easdem thermas adierant. Inprimis vero memorabile et ad eius celebritatem proficuum fuit iter, quod (a. ſec. XXIX.) in cohorte et contubernio Ducis Slesuici et Holſatiae, Lubecenſis Epiſcopi, ingreſſus eſt. Per Flandriam ille et Brabantiam in Galliam perrexit Pariſiisque aliquantum eſt moratus, inde redux per Batauos Hannoueram adiit, quam tum Georgius II. inuiſerat, eumque ſalutauit. In huius itaque Principis ſplendido profectionis apparatu et comitatu cum aliis in locis tum Pariſiis vidit Richterus quicquid memoratu dignum haberetur, inprimis quae ad medicam et chirurgicam artem praeclare inſtituta ſunt, in familiaritatemque ſe inſinuauit virorum praeſtantiſſimorum, Lemery, Juſſieu, Geoffroy, Chirac, Winslouii, Petiti, Heluetii, Duverneii, aliorum. Quod quantum ipſi ad exquiſitiorem rerum doctrinam et ad famam eiusdem doctrinae clariorem profuerit, facile intelligitur.

Litterarum tamen humaniorum elegantia inter haec in primis eius laudibus habita, princepsque ille ſecundum Trillerum inter medicos priſcarum litterarum doctrina hac aetate claros numeratus eſt, ut tamen hic graecis maxime, RICHTERVS autem latinis litteris excel-

excelleret. His imbutum fuit mature ingenium puerile, partim paterna diſciplina, partim privata ac domeſtica, tum publica Schneebergenſium et Plavienſium, donec Lipſiam concederet.

In urbe enim patria, Schneeberga ea eſt in Miſnia Saxonum, lyceum ea aetate florebat nec nunc ignobile, cui tum regendo Vrbanus Godofr. Siberus, in academiam Lipſienſem mox evocatus, ut theologiam doceret, praeerat; excepitque eum Dopertus. Privatos doctores, Hofmannum, qui et ipſe paullo poſt ſcholam Schneebergenſium rexit, Behmium ac Friſium, parentis optimi cura et pietas addiderat. Erat is Georgius, paſtor apud eosdem Schneebergenſes primarius et ephoriae Zwickavienſis adjunctus, inde Oſchatienſis in Miſnia dioeceſeos antiſtes graviſſimus, urbisque paſtor; qui, cum ſenex obiret, tres vidit ex ſe natos, doctrina, fama et publicis muneribus ornatos: majorem quidem natu Ge. Fridericum, ethices et politices profeſſorem in Lipſienſi academia; minorem *a*), paſtorem ſacri coetus Sorbigenſis, Georgium Godofredum; medius inter utrumque noſter erat Collega deſideratiſſimus. Undenos annos natus ille (prodierat autem in lucem vitalem anno ſuperioris ſeculi XCIV. IV. Februarii ſt. v.) Plauiam deductus eſt, partim ut in publica diſciplina in lyceo urbis, quod multos rectores doctrinae laude florentes habuit, haberetur, partim ut Io. Avenarii, D. dioeceſeos Plauienſis ephori privata inſtitutione uteretur, qua ille filium, qui ſibi erat, imbuebat, cui comitem ſtudiorum et contubernalem apponi placuit RICHTERVM. In hac igitur diſciplina contigit ei, ut Graecis non modo, verum Hebraicis quoque erudiretur; coniunxerat poſtea cum iisdem Syriacas et Chaldaicas litteras cum Rabbinicis adoleſcens diſcendi ſtudio flagrans. Itaque Lipſiam cum adiiſſet, ſedecim annos natus (a. ſec. XII.) totum ſe litteris his ceterisque graecis latinisque ac philoſophiae addixit clariſſimosque in iisdem viros doctores habuit, nec non anno abhinc tertio ſummos philoſophiae honores, quos academiae largiri ſolent, conſequutus eſt: quo demum facto ad medi-

a) Eſt is pater *Aug. Gottl. Richteri*, Prof. med. Georgiae Auguſtae, collegae coniunctiſſimi.

medicae artis ſtudia ſe convertit. In qua quidem ſtudiorum deſcriptione utrum conſilium aliquod ſequutus ſit, an ingenii impetu abreptus ad alia caſtra ſe contulerit, nos quidem ignoramus; alterum tamen iſtud probabilius ſit. Jam quot ac quanta praeſidia et adjumenta ad omne ſtudiorum genus afferat is, qui humanioribus litteris ſatis excoluerit ingenium, RICHTERI exemplo apparuit vel maxime. Nondum enim annum in ſtudiis medicis exegerat, cum (a. ſec. XV.) praeſide Schachero, clariſſimo viro, diſputationem publice inſtituit de thermarum Carolinarum vſu in affectibus ventriculi et inteſtinorum. Conceſſit hinc (a. XVI.) Vitebergam medicosque eximios audiit tum alios tum Vateri, celeberrimi ea aetate medici, diſciplina et convictu uſus eſt. Cum autem altero hinc anno (XVII. a. ſec.) Kilonium migraſſet, Waldſchmidium et Hennemannum duces doctoresque habuit, ſtatimque diſputationibus publice habitis ſuae doctrinae documenta edidit.

Videtis, Cives, quam proſpera et ſecunda fortuna ad multa et egregia ingenii bona in RICHTERO ſe adjunxerit, quotque adeo quantaque praeſidia et adjumenta ad nominis claritatem ei adfuerint; multumque adeo abeſſe, ut caeco fortunae caſu ac temere objecta ei illa fuerit, ut potius multiplici doctrina, intentiore ſtudio multis vigiliis, iſtud decus, quo nomen ejus fulgebat, emtum fuerit. Intelligetis tamen et hoc: ſollerti ingenii doctrinaeque expoſitioni certa ubique propoſita eſſe praemia, ſerius citius obventura. Novo tamen fortunae beneficio RICHTERO contigit, ut, cum ex Batavis redux (a. ſec. XX.) ſummos honores a Medicorum Ordine impetrare vellet, materia ei diſputationis ſcribendae habendaeque ad manum eſſet, quae per ſe celebritatem docto libello faceret, repentina ſcilicet et *mirabilis mulieris Bremenſis ſanatio*, multis variisque ſermonibus hominumque judiciis eo tempore agitata. Quam laete efflоruerint Germanorum per quinquaginta hos proximos annos ſtudia, et quae incrementa quosque auctus habuerit ſanior ſapientia, naturae maxime ſtudio nutrita, multiplicique non modo exterorum lectione late per vulgus ſparſa, verum etiam vernaculorum ſcriptorum largo proventu ſubnato, qui a ſuperſtitioſis opinionibus vanisque terroribus animos purgarent, vel ex hoc exemplo

exemplo colligite: quod nunc unusquisque paullo liberalius inſtitutus vix aliter in animum inducat aut ſtatuendum eſſe putet, hoc illa aetate magnae laudi ceſſit et claritatis non parum attulit nomini *Richterio*, cum naturae legibus ſatis conſentaneam eſſe doceret valetudinem illam portenti ſimilem viſam, quae repente iſti feminae dei aut daemonis alicujus interventu obtigiſſe vulgo credebatur.

Inde Kilonii ſcholas habuit, Ordini philoſophico et medico aſſeſſor adſcriptus, donec octavo inde anno (a. ſec. XXVIII.) Eutinum conceſſit, Ser. Duci Slesvici et Holſatiae, Rev. Epiſcopo Lubecenſi, Friderico Adolpho, archiater conſtitutus, paulloque poſt Conſiliarii Juſtitiae titulo ornatus. In magna hic eum gratia et laude apud Principem optimum fuiſſe ſatis conſtat; octonis autem, quos in aula hac exegit, annis eximium rei medicae uſum, et cum ipſa experientia magnam peritiae et felicitatis laudem erat conſequutus. Cum itaque ſummus ille ingeniorum explorator, Munchhuſius, de condenda Georgia Auguſta deliberaret, et virum circumſpiceret, quem *Medicorum Ordini cum primum inſtituendo* praeficeret, ecce fama et exiſtimatio hominum ad eum detulit nomen *Richterium* Werlhofii quoque judicio et ſuffragatione commendatum. Evocatus itaque inter primos, quos Georgia Auguſta profeſſores habuit (a. XXXV.) RICHTERVS, mox condixit: nam academicae vitae amorem jam ante contraxerat tantum, ut ejus vitae deſiderio ſe teneri media in aula palam profiteretur. Conſequutus eſt ſtatim tum omnia praemia omnesque honores, quos inde ad vitae exitum habuit: Profeſſoris primarii in Medicorum Ordine partibus, et Archiatri regii honore cum Conſiliarii aulici honorifica appellatione ornatus eſt. Commigravit Gottingam vere anni XXXVI. lectionesque medicas habere jam tum coepit: anno ſequente (XXXVII, XXVII. Sept.) inaugurationis ſollemnibus interfuit, ipſe *inter praecipua novae academiae ornamenta* adnumeratus; Decanique functionem ſortitus decem in illa panegyri medicae artis Doctores renuntiavit. Similis fortuna ei obtigit poſt decem annos, ut rege Georgio II. praeſente (a. XLVIII.) duodecim candidatis ſummos honores largiretur. Regendae Georgiae Auguſtae praefuit Prorector quartum.

Lectionibus habendis ceterisque et professoris et medici muniis obeundis praeclare de academia et urbe meruit per triginta et quod excurrit annos, cum senilem vocationem circumspicere coepit, maturius quidem quam aut reipublicae aut ipsi erat optandum; Nam nec fructu tam copiosae doctrinae callidaeque peritiae aequo animo carebat academia, nec ipse otium, quo se abdere voluerat, minoribus molestiis vexatum expertus est, quam quibus negotiosissima vita implicari potuisset. Nam et per se difficile molestumque est animo per longam vitam curis negotiisque exercito subita remissione et vacatione languere, et succedere aerumnae domesticae, quae interceperunt seni dignissimo praemiorum partem, quae ex tot meritis publice privatimque in cives suos collatis exspectare poterat.

Matrimonio sibi conjunxerat, cum adhuc Eutini viveret, matronam primariam, Amaliam Augustam, e gente illustri Schreiberia, quam Gottingam adductam mox per multorum annorum decursum gravi multiplicique morbo ex nervorum labefactatione vexari vidit: vivam non minus quam morte ereptam (sub a. LXVI.) omni pietatis genere prosequutus est *a*). Cum exinde senectutem ingravescentem in solitudine sibi exigendam esse cerneret, ut haberet, cujus officii pietate, ministerii sedulitate, amorisque affectu sustentaret extremae orbaeque aetatis molestiam et aegritudinem, senilique otio, ad quod se converterat, suaviter frueretur, secundis nuptiis duxit Rufinam Cupressiam, natam Liebhaberiam, Magni Crusii, qui, inde ex Georgiae Augustae incunabulis per aliquot annos Professor Theologiae, mox ad Haarburgensem diocesin curandam discesserat, viduam; quae marito superstes nunc relicta est. Ex neutro conjugio liberos suscepit. Verum nominis et doctrinae heredem reliquit ex fratre nepotem, Augustum Gottl. medicinae Professorem ordinarium, chirurgica arte et doctrina clarissimum.

Majus elaboratiusque opus exorsus est RICHTERVS nullum, emisit tamen ingenii doctrinaeque documenta haud pauca, cum com-

a) Memoriam ejus Elogio academico, tum carminibus suis amicorumque celebravit a. 1766.

commentationum genus praeferret, tam praeclare accommodatum ſubtiliori ſingularis alicujus argumenti inveſtigationi et pertractationi uberiori, inprimis in iis diſciplinis, in quibus, cum ſumma doctrinae ſemel ſatis accurate conſtituta ſit, in ſingulis partibus cauſſisque excutiendis et illuſtrandis elaborare praeſtat. In Commentationibus his, quas ſive diſputandi ſive praefandi cauſſa ſollennibus academicis perſcripſit, doctrinae et lectionis copia locuples cum terſa et ornata oratione inprimis mirationem facere ſolet idoneis harum rerum arbitris *a*).

Singulare in RICHTERO fuit hoc, quod lectionis amoenioris amorem et ſtudium in poëtis quoque et fabellis Mileſiis etiam ſenex retinuit; illud autem plane mirabile, quod facultate eximia, qua pollebat, latinos elegos condendi, nunquam excidit. Monumenta hujus rei praeclara ſunt non modo *ſex querelae* de bello ſuperiore, cum *Iubilo Pacis*, et *Funebria carmina* in obitum conjugis cariſſimae ſcripta, verum etiam paullo ante mortem vulgatum *Epicedion in diſceſſu Gebaueri*, quocum a longo inde tempore familiariter vixerat.

Faciebat jam in octogenario ipſa ſenectus morbum, tentarique corpus varia multiplicique infirmitate coeperat, cum placida morte ex hac vita diſceſſit pia anima, XXVIII. Maii anni LXXIII. Vos, amantiſſimi Cives, hauere eam jubete, converſique ad eam cogitationem, quantum laeta Georgiae Auguſtae incrementa hujus viri nomini, doctrinae, ſtudio fideique debeant, memoriam ejus propagate et ad omnem poſteritatem conſecrate. Nobis utique, quotquot ejus amicitia ac familiaritate uſi, come ac mite viri ingenium, omni humanitate expolitum, jucundum, venuſtum cognovimus, fidemque et officium ac pietatem in multis vitae temporibus probatam vidimus, venerabilis optimique ſenis deſiderium, quoad vixerimus, erit perpetuum. PP. Gottingae d. XXX. Auguſti CIↃ IↃ CCLXXV.

a) Apponere horum opuſculorum indiculum neceſſe non eſt, cum ille proſtet in libellis ſupra laudatis, inprimis in Putteriana narratione de G. A. et in Hambergero. Boerneriani operis Supplementa vulgavit nuper Baldingerus, experientiſſ. Vir. Collega conjunctiſſ. quem v. p. 143.

DISSERTATIO
DE
LACTE INSONTE
PVBLICE PROPOSITA
GOTTINGAE, D. 9. MENS. SEPT. 1737.
RESPONDENTE
NIC. WILH. CVHN
HOMBERGA - HASSO.

PROOEMIVM.

Quam frequenter morborum pertinacia curas Medici et vim pharmacorum maxime celebratorum eludat, satis superque inter illos, qui arti salutari nomen dederunt, et ejus praecepta in ægrotantium incolumitatem conferre annituntur, constat. Neque vero adversorum horum eventuum causae praestantissimos in arte viros facile fugere potuerunt, cum et rerum, quas non naturales vulgo appellant, injuriae salutari Medici scopo nimis nonnunquam obstent, et causae morbificae internae aliquando solertissimi cujusvis examen subterfugientes subitam haud raro aegrotanti mortem afferant. Praesidium medici est, has geminas causas ita ante oculos habere, ut prae-

praevalentes illarum vires et in perniciem aegri saevientes cognoscens manum abstineat, et sollicita prognosi contra calumnias obtrectatorum sese praemuniat. Cui recte attendenti unice patet, quo vitae errore qua virulentia morbi aegroti enecentur, quamvis illud tam universale non sit, quin etiam ad summam ejus attentionem causae abditae maneant, quas vix deinde sectio Anatomica in majorem cognitionis lucem ad posteri aevi cautelas producit. Satis hic tuta est prudentis Medici fama, modo non ipse in selectu medicamenti, vel ejus praeparatione aut applicatione funestum morborum eventum acceleret. Nunquam certe satis dolendum est, in tanta nostri aevi luce, *post medicinam rationalem magis magisque* excultam, feliciorem tamen Clinicam praxin vix evasisse. Mirandum est, quantopere in seligendis ad morbos profligandos remediis, multi hallucinentur, & quod vix a te impetrabis, ut credas, qui medicinam maxime rationalem callent, rationalem in curandis morbis methodum ut plurimum deserant. Cujus quidem exitus rationem in vana specificorum jactantia, vel gravi viro plane indigno receptae hypotheseos amore, quo rationalis theoriae usus nimium sufflaminatur, invenire haud *difficile* erit, cum et sint, qui in formulas praeceptorum jurare, et gregem antecedentem coeco impetu sequi soleant. Quae omnia, quantum arti salutari detrimentum afferant, cuivis facili

negotio patet. Mittimus iſthaec, et unum ſolum addimus idque huic ſeculo fere peculiare vitium, quod medicamenta ſpecioſa compoſita, ab exteris allata, nimio apud plerosque pretio habeantur, cum ſimplicia e contrario, eaque, quae terris noſtris, ex vix in uſum trahantur. Cognoverunt id praeclari in arte viri, utque ſimplicium medicamentorum uſus reſtitueretur, id diu inter ingenua illorum deſideria haud ultimum locum occupavit. Sic aquae tum in multis chronicis, tum praeſertim in ſanitate conſervanda eximiam efficaciam, ſtabiliverunt multi. In ſaponaceis vero atque mellitis quantum ad morbos profligandos lateat praeſidium, Hippocratica methodus docet, a clariſſimis aevi noſtri viris condecorata. Nos veſtigia magnorum virorum terimus, et praecipuum addimus, quo natura noſtras regiones donavit, idque egregium tum ad ſanitatem conſervandam, tum ad illam amiſſam recuperandam remedium, Lac nempe, quo nullam fere gentem providentia naturae deſtituit, luculento argumento, in hoc ſuo munere potiſſimum adquieſcendum eſſe, quod et agnoviſſe videntur tum ſacri tum profani ſcriptores, quando lactis inprimis proventu felicitatem regionum aeſtimaverunt. Noſtri nunc inſtituti eſt, lactis virtutes examinare, et tunc, quae famae ejusdem detrahere videntur, opprobria removere.

Cap. I.

De lactis virtute et natura.

§. I.

De lacte acturi ea ſtatim removemus, quae ob coloris albicantis ſimilitudinem hoc nomine veniunt. Ita quae ex ſeminibus quibusdam, aut medulla fructuum interveniente fluido emulcta lacteum liquorem conſtituunt, uti lac amygdalinum, non ſine magna convenientia utrarumque proprietatum, hanc appellationem ſuſcipiunt. Verum et haec et longe magis reliqua, quae ſub lacteo colore inſignem amarorem, vel vires plane contrarias tegunt, hic excludimus, uti lac mandragorae, vel mechocannae, lac aloeticum, lac ſulphuris, lac ſaturni, et quae hujus ſunt generis plura, quae quilibet ſponte intelligit huc non pertinere. Intelligimus vero ſuccum ex cibis maxime vegetabilibus aſſumtis actione viſcerum digerentium elaboratum, et ſuo per pulmones et vaſa circuitu humoribus corporis animalibus aſſimilatum, et proxima tunc via in mulierum mammis vel brutorum uberibus ſub ſpecie blandi chyloſi humoris ſecretum. Non adeo opus eſſe videtur, hanc ipſam ſecretionem a phyſiologicis toties deſcriptam repetere, quodam tamen compendio dicemus; in mammis pinguedine et laxa cute tectis, quae externas arterias ab axillaribus internas a ſubclaviis accipiunt, eas cum epigaſtricis nexas in ſpiras noduloſque coire, ex quibus recta via tubi lactiferi emergunt, qui uniti latiores ſenſim arctiori exitu in papillam terminantur, ſpongioſa et nervoſa textura multisque emiſſariis anaſtomoſi junctis gaudentem. Notandum vero, non ſolum matres nutricesque, ſed et ſteriles virginesque imo mares omnes ejusdem fabricae ſubſidio perpetuum lac a ſanguine ſeparare, quod quamvis in his remeare per venulas in maſſam ſanguineam ſoleat, ſubinde tamen alendo infanti ſerviiſſe non excluſis venulis puerisque, collectae apud Francum de Franckenau *a*) innummerae obſervationes docere poſſunt.

§. II.

a) vid. Satyr. med. XV. pag. 249. et ſeq.

§. II.

Statim igitur apparet, quibus beneficiis animalis mutationis lac gaudeat. Non enim ſolum in ore, in ventriculo, in inteſtinis et per tractum meſenterii vaſorumque lacteorum magnus eſt virium mutantium apparatus, ſed et quicquid natura elaboratiſſimorum humorum habet, per omnes has vias copioſe affunditur, donec poſt tranſitum in ſanguinem ipſorum viſcerum ulterior mutatio ſuccedat, ſummus imprimis in pulmonibus attritus fiat, et poſt reditum in cor ſiniſtrum ex aorta in ſubclavias mammariasque propulſio ſequatur, et hic prima ſit in toto corpore ſecretio, eaque ſtatim tam copioſa, ut vaccam Epiri Ariſtoteles *a*) ſcribat, 80 libras lactis ſingulis diebus dediſſe. Sequitur ex inde lac omni dote ſenſibili chyli naturam adhuc referre, et poſt longiorem in ſecundis naturae viis circulationem ad receptacula ſua accedere. Illud videtur diſcrimen inter lac animale et chylum, quod ex hoc caſeum coagulando premere minus liceat, quamuis ceteroquin et colore blando, et ſapore dulci et ſpisſa pinguedine facilique aceſcentia mirum in modum conveniant. Novimus autem, omne oleum quod ingeſtis ineſt, ſi aquae ſic miſceri poſſit, ut tenaciores ejus partes miſcibiles fiant, ſtatim lacteſcere. Ipſum gramen recens viride diu manducatum cum ſaliva copioſa jam in ore lactis ſpeciem induit. Ipſa aqua, ſi cum ſupernatante oleo in vitro concutitur, albeſcit aliquamdiu, donec rurſus ſecedente oleo color pereat. Igitur quo plus olei ineſt ingeſtis, et quo facilius ſolvitur ſalivae bilis ſimiliumque liquorum ſaponacea virtute, eo albeſcit citius, ut in farinaceis imprimis videmus, quae utpote valde oleoſa preſſa contrita et in mortario cum aqua, quae inter terendum lente affunditur intimius permixta, in maſſam albam homogeneam tranſeunt. Quem ipſum alborem lactis in circulatione per vaſa ad 12. horas perſiſtere Lowerus docuit. Poſt id tempus vis vitae circumagens et magis compingens in flaveſcentis ſeri naturam mutat. Hanc mutationem exprimit alcalinorum cum lacte permixtio, poſtquam flavere, ſique diutius coquimus, intenſius rubere lac ſolet. Infundamus lacti oleum tartari per deliquium, ſenſim a flavedine dilutiori ad colorem profunde rubrum perget, ut quis ſit ſanguificationis indoles, exinde egregie

a) vid. Lang. Oper. part. 1. Phyſiolog. pag. 256.

egregie demonſtretur, cum motus naturae alcalinorum genium manifeſte exprimant, et hinc animalia febricitantia illico ſuggerant lac flaveſcens, ex dulci ſalſum, ex craſſo ſanioſum, ex inodoro ſubfoetidum.

§. III.

Lac quodvis ex quocunque animali emulctum triplices ex ſuo contextu partes ſuppeditat. Quoties ſitum eſt in loco frigidiusculo & leviter tecto. ſecedit candidus blandus & nec acidus nec alcalinus cremor, & cuticulae inſtar reliquis partibus innatat. Si aufertur, ſenſim ſuccedit novus, donec remanens lac, quod defloratum appellatur, prorſus tenue pellucidum & ſubcœruleſcens appareat. Hæc eſt oleoſa pars & balſamica, pro externo internoque uſu, miris modis omnem acrimoniam mitificans, licet hic ipſe cremor, in aere puro & ſubtepido, gradu ſenſim ſatis notabili aceſcat, denique etiam vi vitæ & colore ſi nimis & diutius urgetur, amareſcat, ranceſcat & alcaleſcat. Altera pars lactis per coagulum praeceps terreſtris & caſeoſa eſt, & in duritiem ſaepe corneam coagmentatur, quam in tam molli & fluido corpore latere vix ſuſpicentur ignari, attamen Zoroaſtri in deſertis viventi per annos viginti omnem alimoniam ſuppeditaſſe Plinius *a*) ſcribit. Tertia denique pars ſeroſa eſt, per minima corporis vaſa tranſiens, & utrisque deſignatis partibus pro vehiculo ſerviens.

§. IV.

Quid de ſingulis ſpeciatim expectari posſit, obſcurum non eſt. Pars illa oleoſa & butyracea partes ſolidas rigidioresque corporis lubricat, emollit, lenit, & neceſſariam ſæpe fibrarum flexibilitatem conciliat, humorum vero acrimoniam temperat, & ex hac ortos irritantes ſtimulos compeſcit. Neque eſt *ulla olei ſpecies, quae hanc noſtram ſua virtute æquet. Cum enim reliqua ægerrime* ſubigantur & miſceantur cum aqueis humoribus, cremor longe reſiſtit minus, & non niſi pedetentem ex connubio partium aquearum emergit. Docent experimenta circa opus digeſtionis inſtituta

a) Hiſt. natur. Lib. 2. cap. 42.

BIBLIOTEKA KLOBASKA

nullam dari pinguedinem, quam promtius natura aqueis humoribus miſcibilem reddat. Præterea ignotum non eſt, has cremoraceas partes vegetabilem & aceſcentem indolem animali putredini oppoſitam diu retinere, adeoque ab hac non cito nimis in rancorem alcalinum permutari. Quod ſi jam tot morbi a fibra nimis rigida pendent, nec pauciores ab humorum acrimonia, elucet medico, quid inde præſidii ſæpiſſime expectandum ſit. Nec caſeoſa illa & ſicca pars pro meris fecibus eſt reputanda, maxime ſi in minimas moleculas divulſa permeare ſub vehiculo ſeroſo omnes corporis latebras poteſt. Qui enim non ignorat, ex terreo elemento totum corpus conflatum eſſe, judicabit facile, in his partibus ſummam nutriendi facultatem poſitam eſſe, quamvis ceteroquin non negem, illa coagula caſeoſa & in primis viis infantum, & in uberibus nutricum noxios infarctus producere, ſed non niſi cauſæ morboſæ vitio, quam arcere Medicus debet. Serum denique, quod incomparabili virtute gaudet, fluxilitatem humorum conſervandi, æſtum temperandi, ſordes ſtagnantes abſtergendi, & emunctoria naturæ aperiendi, uſu fere perpetuo celebratur antiquiorum & recentiorum temporum. Sed de ſingulis quid in ſpecialiſſimis morbis expectandum ſeorſim exponemus.

§. V.

Verum præmittenda eſt diverſa lactis conſideratio. Nam ingens differentia intercedit pro varia aſſumtorum indole, ex quibus lac nunc ſalubrius nunc inſalubrius ſecernitur. Ex aſſumtis ſtatim novimus, quid de carnivororum animalium lacte ſperandum ſit, quippe quod cito alcaleſcens natura humana faſtidit, et in culinis aeque quam pharmacopoliis ſpernitur. Unum eſt regnum vegetabile, quod in domeſticis animalibus lac ſalubre ſuggerit, et cum ſingulis fere regionibus a natura peculiaria conceſſa ſint herbarum genera, alimentum inde corpori humano nunc magis nunc minus conveniens naſci, quilibet intelligit.

Inde eſt, cur Dioſcorides, cum quo etiam Galenus, Ægineta et alii conſentiunt, caprinum lac ovillo praetulerit, quod frutices ſalubriores caprae depaſcantur, veluti oleam maſtichen terebinthinam et alia. Quod ipſum medicis antiquis ita notum fuit, ut pro viri-

bus

bus purgandi ſimilibusque lacti conciliandis haud neſciverint talia animalia ad certa et prius determinata pascuorum genera ducere. Vaccas in montibus lac dare omni dote diverſum ab eo, quod illae praebent, qui in pratis et locis paludoſis pabulum ſibi quaerunt, neminem facile fugit. In priori enim loco, cum et ſint herbae magis ſiccae vulnerariae et abſtergentes, in poſteriori magis humidae et pingues, patet in anteceſſum utrasque herbarum virtutes diverſis viribus lac imbuere, et nunc magis nunc minus vel diluere vel ſolvere vel nutrire. Nec illa omittenda lactis differentia eſt, quae varia anni tempora reſpicit. Ver reliquis anni partibus palmam praeripere videtur, quo tempore ſolis calor nec nimius eſt, nec volatilium partium nexus juſto citius deſtruitur, inde et ſucci expreſſi herbarum et potiones theiformes, et ipſa lactis cura tum laudari maxime ſolet. Autumno quae prodeunt herbae, ſalubritate plerumque cedunt, et ſunt eo tempore vires corporis mutantes calore praegreſſae aeſtatis magis debilitatae. Aeſtate ipſo calore ſolis plus exſiccatae ſunt herbae et vires vitae languidiores, unde in regionibus maxime calidioribus in uſu fuit, fere omnem hic medicinae uſum, niſi in mora periculum eſſet, interdicere.

§. VI.

Et haec quidem externe ad mutandam lactis naturam pertinent, interne praeſidia mutationis animalis differunt. Si vegetum animal et in optimo flore aetatis conſtitutum, internisque digeſtionibus, quae requiruntur, omni ex parte par eſt, juſtisque exercitationibus ad ſubigenda ingeſta utitur, dubium non eſt, aliud inde lac expectandum eſſe, quam ex corpore ſenili, exhauſto, morboſo, in ſtabulis quieſcente, et ſolo foeno vel paleis paſto. In quo loco ſimul monendum eſt, ipſa hic animalia in ſuas claſſes eſſe reducenda. Lac humanum eſt omnium optimum, quia homini integrum eſſe ſolet eligere, quae ſibi proſint, et herbas nimis cito fortasſis aceſcentes cum carnibus jungere, debitosque corporis motus ingeſtorum indoli accommodare. Eſt lac muliebre tenue blandum dulce ſeroſum, minus prompte aceſcens, caſeoſarum et terreſtrium partium magis expers et ſpeciali humani corporis virtute elaboratum.

tum. Quod ſi poſt coctionem vel tepide vel calide adhuc potatur, vel ipſo ſuctu hauritur, nec erroribus diaetae nec affectibus animae nec ipſa corporis debilitate corrumpitur, haud dubie omnibus aliis ſpeciebus eſt anteferendum. Proximum eſt ſalubritate aſininum. Illius tenuitas, in qua nec pinguedinis nec caſei multum latet, a coagulo fere omni praeſervat, vias ubivis ſibi aperit, et per alvum aliaque emunctoria, poſtquam ubivis efficaciſſime abſterſit, facile iterum ſecedit. Caprinum intermediae naturae eſt, crasſius et pinguius, minime tamen ita uti vaccinum, lactis utrisque jam dicti genere nutrit magis, ſed abſtergit minus, vi nutriendi vaccino cedit, at non tam promptum coagulum ſubit, inprimis ſi addito ſaccharo vel melle caveas. Certe uſui communi et medicamentoſo hic illud uſui eſſe ſolet, et capras ſemper animal agile eſſe videas, altiora loca petere, paludoſis plantis non delectari, ſic optimos herbarum ſuccos in optimum lac commutare, ob easdemque et alias cauſas ſecundum Hieronymum capras quaſi ob ſolum lac conditas videri. Lac ovillum a Varrone et Columella caprino praelatum, cum tamen plus terreſtris et caſeoſae partis et coagulo obnoxiae complectatur, rectius cedere exiſtimamus. Bubulum vero licet vi nutriendi praecipuum et quotidiani apud nos uſus, ob crasſitiem tamen ſuam et nimiam pinguedinem in debiliorum ventriculis aegre coquitur, facile coagulatur, viscidis partibus viſcera obſtruit, difficillime diſtribuitur, et tardisſime prae reliquis abscedit. Haec tamen ipſa ſpecies cum farinis cocta, robuſtiorum ſine dubio accommodatiſſimum epulum eſt.

§. VII.

Vſus lactis ad quem poſt ejus differentias definitas ſpeciatim transeundum eſt, vel erit diaeteticus vel pharmaceuticus vel chirurgicus. Diaeta ſive firmet corpus ſive morbum imminentem arceat, uſus eſt longe praeſtantisſimi. In corpore debiliori, ubi cruditates ingeſtorum perpetuae metuendae, et ex imperfecta digeſtione quicquid remanet in ſaburram accumulatur, id ſine dubio requiritur, quod ſine magna mutatione tranſire poteſt. Habemus igitur infuſo lacte non niſi chyli ſpeciem in vegeto animali jam expreſſam, adeoque vix novis, quae ulterius permutent, viribus indigentem.

Inde

Inde natura debilisſimis infantibns hoc ſolum alimentum deſignavit, dilutius in embryone, meracius ſi ille partui propior, craſſius recens nato et deinceps confirmatiori inter admiſtas farinas deſtinat, ita ut hanc differentiam uſus provido conſilio diverſis aetatis gradibus ars et natura accommodet, et varia eduliornm forma exhibeat. Praeterea vero, quando per varios morbos naturae vires franguntur, idem fere ſtatus redit, qui infantum erat, hoc eſt quicquid ingeritur a viſceribus, aegerrime in naturam inquilini hnmoris permutatur. Atque tunc rurſus primarium lactis eſſe uſum, et quousque continuatur, vincula quaſi injici erumpentibus morbis, podagricorum exemplo patet. Denique in oppoſito nimiae rigiditatis ſtatu, palam quidem eſt, tenacius aliquid et quod fortius obluctetur in cibis requiri; verum cum iſte corporis ſtatus cum arctitudine vaſorum, denſitate fluidorum, et calore et motu fortiori conjunctus ſit, unde facile fluida in anguſtiis vaſorum ſtagnent et acreſcant, et varia febrium genera exoriantur, nemo facile negabit, lac aqua dilutum et copioſius ingeſtum, arctiora vaſa relaxare, denſius fluidum diluere ac ſolvere, aeſtum nimium temperare, et illud quod ſtaſi ſua in acrimoniam degenerat, demulcere, et ſic morbos in primo exortu ſubinde inhibere. At maxime tabidis et emaciatis ipſisque phtiſicis, niſi vis morbi nimium adoleverit, et plena ulcerum ſint viſcera, bonum alimentum lac noſtrum praeſervative promittit, et conſumentum acrimoniam, ex qua atrophia naſcitur, pro viribus et gradu morbi corrigit.

§. VIII.

Pharmaceuticus uſus hinc quoque; in morbis apparet. Nam quae conditiones corporis a ſtatu naturali leviter deflectentis vires in lacte notatas requirunt, ſine dubio in morbis ejusdem genii eadem via ſed paulo conſtantius incedere jubent. Quicquid febrium eſt, tenues exigit potiones, vaſa omnia permeantes, et ad naturam acidiusculam tendentes. Nihil eſt horum characterum, quod non in lacte dilutiori et inprimis ſeroſa ejus parte reperiamus. In morbis vero chronicis, ubi plerumque omnes digeſtiones languent, et circa interiora viſcerum vel et intra latebras artuum ſedes mali ſigitur, hoc remedium quod et perluit vaſa omnia, nec operam

digeſtionis circa ſe magnopere requirit, utrique ſcopo eſt accommodatum. Quae in arthriticis circa ligamenta ad dolores et ſpasmos irritant, et ſuo ad partes nerveas et ſenſibiles decubitu infeſtant, non modo ejusmodi viribus demulcentibus ut in lacte indigent, ſed et tunc in maſſa ſanguinea id haud facile regeneratur, quod aliis emunctoriis excluſum, ad illa iterum loca per praecedentes paroxysmos debilitata deponi ſolet. Haud in alio cibo tantum praeſidii fuit, quippe quo admiſſo renovati ſunt paroxysmi, qui incerta fide quieverant, unde ille podagricus lacti ſuccenſuit, quod alium juxta ſe victum non ferret, quin ſaevius recrudeſceret morbus. Rheumatismos deſperatisſimum ſaepe morbum, Sydenhamus ſola diaeta et quidem ſero lactis per totum menſem aſſumto ſanare jubet. In calculis vero, quibus tot lithontriptica opponi ſolent, quae nominis fidem nunquam implent, forte nullum datur, quod verius calculoſam materiam in renum viis reſolvat et evacuet. Notum eſt, boves in ſtabulis hyemalibus torpentes et arido gramine paſtos, dum mactantur, calculis obrutos apparere, at si ad vernum ſervati tempus prima paſcua demetere incipiunt, obſervatio docet diarrhoea eos macileſcere, deinde ita ſanari, ut in mactatis nullum calculi veſtigium appareat. Quod ſi hoc ſucco graminis magis elaborato competit, convenit ſine dubio cum virtutibus lactis, in cujus ille naturam ſtatim tranſit, imo pro comperto ſatis habemus, quod qui per menſes bis in anno utuntur ſero lactis, a calculis, quibus alioquin obnoxii fuerunt, immunes ſe pulcherrime praeſervaſſe, imprimis ſi herbae diureticae ſero lactis incoctae illam virtutem auxerint, qua renalis ſaburra in calculos aliquando coitura diſſolvatur et exterminetur. In teneſmo, dyſenteria, diarrhoea aliisque fluxibus, ubi acredo demulcenda eſt, opportunus lactis uſus, cui tunc injicere lapillos, vel orbiculos ferreos ignitos, ad leniter adſtringendum medici ſolent, mirum ſæpe in modum profuit. Non male vulgo propinant oryzam, milium, amygdalas dulces cum lacte coctas, et hujus modi pulticulis fluxum cohibent, et mordacitatem humorum contemperant. Sed omnium maxime in acerrimis venenis, in corpus humanum quacunque occaſione admiſſis, ſalutare eſt lac. Quemadmodum enim venena irritantibus ſuis ſpiculis inteſtinalem tubum atrociſſime convellunt, inflammant, lace-

lacerant, et ſubitam gangraenam producunt, ita in his caſibus, qui ſuopte ingenio in certam mortem terminantur, copioſe ſtatim et ad integras menſuras ingeſtum lac, pingue inprimis et cremoraceum, quale prae ceteris vaccinum eſt, obvolvit cauſtica illa ſpicula, vomitu liberat, et praeſentiſſimum vitae periculum avertit. Hoc de arſenico, de mercurio ſublimato et de aliis acerrimis venenis valere dictum in modum mature obvolvendis et excutiendis, loquuntur innummerae experientiæ. Et quamvis eadem praeſtare videantur omnia oleoſa et pinguia, ignotum tamen non eſt, quam labem haec inferant tono ventriculi et inteſtinorum, quam cito ranceſcant in corpore calente, et hinc ſaepe poſt ſuperata venena, corpus elangue, debile, et nullis fere artis praeſidiis refovendum relinquant, qualem noxam minus lacti tribuere poſſumus. Denique cum nutrientiſſimum ſit lac, in omni tabe, macie et conſumtione corporum, nunc ſimplex nunc aqua dilutum, nunc virtute variarum herbarum pro ſcopo medico impraegnatum egregie inſervit aegrorum commodis, quod uti reliqua omnia, quae ſpeciatim proſequi longum foret, ex generatim determinatis viribus patet.

§. IX.

Ratione uſus chirurgici non ſolum conſtat, balnea ex lacte confici, in quae cum magno valetudinis commodo ii ingrediuntur, quibus rigida et aſpera eſt externa cutis ſuperficies, porique, qui per diaphoreſin eliminant, obſtructi, in qua re fortaſſis inunctionibus veterum adeo celebratis palmam praeripiat; ſed et praeterea in gravioribus morbis tot cataplaſmata, quibus lac pro baſi eſt, emolliendi inprimis, dolores mitigandi et ad ſuppurationem deducendi ſcopo a Chirurgis quotidie externis partibus obvolvuntur, tot etiam clysmata lacte parata contra torſiones roſionesque infunduntur. In aſperrimis ulceribus nil plus demulcet, et balſamicam virtutem exſerit cremoracea lactis parte. Non ſunt hic exſcribendae formulae in foro Chirurgorum uſitatae, ſed ut externa et interna medicina unas easdemque ſequitur auxiliorum ſuorum indicationes, ita jam ex dictis elici poteſt, quomodo in externos uſus lac commode trahatur. Reſtat nobis alteram argumenti partem conſiderare, illam nempe, quae querelas diluit, quibus gravari innocuum lac ſolet.

Cap. II.

De lactis virtutibus.

§. I.

Quae in opprobrium lactis congeruntur, ita ſe habent, ut multis haud omni fundamento deſtituta videantur. Verum nec illa recenſitas lactis dotes obfuscare poſſunt, nec tanti ſunt ponderis, ut praeter certas cautelas aliquid aliud in uſu lactis requirant. De lacte vitioſo facile Avicennae largimur, quod nihil ſit eo nocentius, et bene Galenus *a*) oſtendit exemplo quarundam nutricum, quae ob annonae caritatem ſylveſtribus ſunt uſae oleribus, quam ſubito in corpus lactantium pravae hujus lactis qualitates ſint impreſſae, ſed loquimur hic de bono et incorrupto lacte, quod cum eodem Galeno omnium fere ferculorum optimi ſucci eſſe arbitramur. Objicitur maxime corruptibilitas partium, et quod lac in quiete conſtitutum, tam ſubito in coagulum abeat, inprimis ſi in loco calido aſſervetur. Minime negamus, in primis corporis humani viis, maxime ſi debilior ſit ventriculus cum inteſtinis, ſpeciem alicujus quietis eſſe, et longe minus hic calorem, qui coagulo faveat, diſſimilamus, imo concedimus, fere invictam eſſe tenacitatem caſeoſae partis, ſi ſemel feceſſerit, et irritando obſtruendoque tenella inprimis corpuſcula maxime afficere. Verum haec omnia tantum monent, ſumi ſub certis conditionibus lac debere. Certe niſi acidorum vis, vel alia lacti adverſa interne occurrant, lactis celerrimus eſt in ſecundas vias tranſitus, adeoque tantum id agendum eſt, ne corporibus acido et ſiburra oppletis, et recepta omnia male digerentibus et transmittentibus, lac celeri coagulo obnoxium ſuppeditetur. Repurganda ſunt talia corpora, et lac ejusmodi partibus, quae deſcenſum juvent, et coagulum impediant, a corruptione ſua praemuniendum. Inde jam veteres nunc mella nunc ſalia contra metum coaguli admiſcuerunt. Qui inveteratos morbos lacte vincere anniſi ſunt, non inique hanc praeſcripſere methodum, ut in principio mane et veſperi certis horis aliquam lactis doſin offerrent, et tunc detraherent aliquid pran-

a) de aliment. ſufficient.

prandio et coenae, idque per ſex vel octo dies, donec purgato et aſſueto corpore lac pro omni alimento eſſet. Semper vero aliquid ſacchari roſarum vel ſimile addiderunt, et in certa lactis quantitate, cum qua aeger ſentiret ſibi bene convenire, perſtiterunt. Nimirum exiſtimamus, hanc non contemnendam cautelam eſſe, quae lac vetat inter alios plures cibos, acres inprimis calidos et corruptibiles adhibere. Puto hic cauſam latere, cur infantes facilius lac ferant quam adulti, cum iis non quemadmodum his aliorum ciborum varii generis uſus permittatur. Ne enim dicam, multos eſſe ejusmodi cibos, qui per ſe virtutem lactis infringant, ſufficit hoc indicare, quod lactis ad lactea vaſa tranſitus, inter tot cibos qui moram digeſtionis requirunt, nimis retardetur, atque ſic in quiete et calore loci, ejus corruptio omnino formidanda ſit.

§. II.

In febribus quoque dudum eſt, quod male audiat lac, quippe in quo omnis fere antiquitas conſentit. Nam cum illud in aeſtuante corpore nidorem facile contrahat, et ſeceſſui partium ſuarum ſit obnoxium, inde mirum non eſt in febribus ejus uſum valde metui. Sed graviter hanc ſententiam concuſſit celeberrimus Haſſorum Medicus Joh. Jacob Waldſchmidius, qui adverſus ipſius Hippocratis judicium lactis tutelam hic ſuſcepit, et cum commodo aegrotorum ipſe illud liberaliſſime propinavit, cujus exemplum hodie celebres medici imitantur, et vilioris conditionis aegros per totum febris inprimis acutae decurſum, potu lactis cum duplo aquae diluti ſuſtentant. De lacte ebutyrato et de ſero lactis hic dubitari vix poteſt, ad permeanda vaſa, aeſtum minuendum, et emunctoria aperienda fere nihil eſſe convenientius. De ipſius vero lactis cremoracea parte, quae aeſtu facile corrumpitur, quamvis et illa aceſcentem indolem ſuam diu retineat, non idem hic largiendum eſt.

§ III.

In cephalalgiis pariter veteres vehementer lac diſſuaſerunt, et neſcio quid halituoſi in lacte occurrentis, et caput opplentis ſomniarunt.

runt. Sane ſi cauſa cephalalgiae ſita in roſione nervorum, qui ventriculi et inteſtinorum tunicas ſuccingunt, tunc a corrupto lacte id fieri poſſe inter dictas cauſas, quae illud in tranſitu corrumpunt, haud inficiamur. At vero ſi lac per integra prima viſcera immutatum et intemeratum tranſiit, vires ſuas demulcentes, acre temperantes, ſtimulos quosvis ſopientes capiti aeque quam aliis partibus applicare ſine ulla offenſa poterit. Id longe plus miror, quod et ſiticuloſis lac noxium cenſeatur. Praeterea enim quod multi hac ſola potione ſitim omnem exſtinguant, certum inprimis eſt, ſero lactis hanc vim compeſcendi ſitim fere magis quam ipſi aquae convenire. Originem ſine dubio dictae ſententiae adverſariis dedit, quod lac craſſius et pinguius in corporibus bilioſis, in acre nidoroſum degenerans, ſitim ſubinde accendere ſoleat. Verum his ipſis vix quicquam occurrit, quod diluere bilem et ejus ad alcalinam naturam progreſſum, qui ſummae ſitis cauſa eſt, remorari melius poſſit. Quod igitur de praedominio unius partis in aliquo caſu concedendum eſt, id male ſtatim ad omnes caſus, ad omnes lactis ſpecies refertur. Majori cum veritatis colore in flatulentis hypochondriorum tumoribus quidam pro noxio lac declarant. In his nimirum corporibus ſpleneticis, hepaticisque, quorum hypochondria μετεωρα ſeu ſuſpenſa et elata dicuntur, in ſaburram et acidum degenerare ſolent alimenta, ſi ad inteſtina et loca ulterioris diſtributionis ſuae perveniunt. Hic ingreſſus vaſorum lacteorum pituita tenaci eſt obſitus, tonus inteſtinorum debilitatus. et quae per majorem quietem coacervantur, haud poſſunt debita lege permutari et attenuari, adeoque etiam lac viſcida ſua et caſeoſa parte auget ſaburram, fibrarum tonum magis labefactat, flatus gignit, et in hoc ſtatu corruptionis ſuae nocere omnino poteſt. Hic vero iterum de ſalubritate ſeri lactis, cujus perenni uſu non ſemel irradicata melancholia hypochondriaca devicta eſt, quaeſtio moveri nequit, ab ipſo vero craſſiore lacte tam diu omnino abſtinendum eſt, donec repurgati ſint et ab infarctu ſuo liberati roboratique primarum viarum termini. Imo lac ipſum chalybeata virtute impraegnatum poſt praecedaneas evacuationes in dictis morbis levamen aegris non exiguum ſubinde attulit.

§. IV.

§. IV.

Alii lac accuſant in corporibus quibusvis exinanitis et vacuefactis. His nimirum cum infirmiores ſint naturae facultates, lac facilius vitiari atque aceſcere videtur. Verum quis neſcit, non in lac ſolum ſed omne ciborum genus hoc opprobrium redundare, ut niſi provide et parciſſima doſi, poſt ingentes haemorrhagias aliasque evacuationes corpus aegrotum ingrediantur, ſpontaneam ſuam mutationem ob vires vehementer attritas ſequi ſoleant. Si eadem cautela in uſu lactis rite obſervatur, ut aegris ejusmodi per intervalla et paulo dilutius ſuggeratur, non eſt quod noxam aliquam inde metuamus, ſiquidem per ſe nulla fere mutatione ſed levi tantum propulſionis ſtimulo eget. Interim rectiſſime medicus nec frigido ac languenti corpori, nec nimis commoto et calenti bilioſoque lac imprudentius ſuadet, ſed nidorem ibi, hic acorem formidans, certas in uſu regulas ac cautelas inculcat, maxime ut dilutius praebeatur, et ſine ſocietate ciborum, quibus inquinari poſſit, curam operamque adhibet.

§. V.

Videamus adhuc querelam illam, quae dentibus et gingivis lac obeſſe, et has quidem flaccidas reddere, illos corroſioni obnoxios exiſtimat. Haec ſane damna ab omnibus ſordibus, quae diu dentibus adhaereſcunt, cujuscunque ratione ciborum ſint originis, pendere poſſunt, et nihil niſi eorum negligentiam arguunt et ſorditiem, quibus in more poſitum non eſt, frequentioribus oris collutionibus uti. At jam Galenus, Oribaſius, Paulus et Avicenna poſt lactis eſum potumve, vino diluto aut meraco, aut cui mellis aliquid admiſtum eſt, colluere os docuerunt, et ſic abſtergere, quae gingivis aut dentibus tenacia adhaereant. Tutiſſimum ait Galenus *a*) praeſidium eſſe, os primum melicrato deinde adſtringente vino abluere. Haec vero et ſimilia conſilia in omnem quadrare videntur oris ſpurcitiem, ſed hic pedem figimus.

a) lib. 3 de aliment. facult. cap. 15.

DISSERTATIO

DE

MORBO HYPOCHONDRIACO

PVBLICE PROPOSITA

GOETTINGAE D. 25. MART. 1739.

RESPONDENTE

LEHM. ISAAC. KOHEN.

HAMBVRGENSI.

CONSPECTVS.

§. I. *Mali hypochondriaci etymon.* §. II. *Aliarum appellationum minus appoſitarum origo.* §. III. *Succincta mali hujus definitio.* §. IV. *Aliorum, qui ab hac definitione diſcrepant, conciliatio.* §. V. *Status ſanguinis in hoc morbo tenui parte orbati et hypochondria obſidentis.* §. VI. *Cauſae, quae hanc corrupti ſanguinis craſin producant.* §. VII. *Effectus et ſymptomata morbi ex indole harum cauſarum explicata.* §. VIII. *Diagnoſis & prognoſis.* §. IX. *Fundamentum ſanationis et varia hujus impedimenta.* §. X. *Prima ſanationis conditio in leni ſolutione lentoris et correctione inhaerentis acrimoniae.* §. XI. *Conditio ſecunda in determinatione ſolutae correctaeque materiae hypochondriacae ad loca convenientia.* §. XII. *Tertia conditio in roboratione vaſorum hypochondriacorum praecedente infarctu debilitatorum.* §. XIII. *Epicriſis in remedia ab multis autoribus jactata.* §. XIV. *Praeſidia pauca ex fonte chirurgico petenda.* §. XV. *Dieteticum vitae regimen hypochondriacis praeſcribendum.*

§. I.

§. I.

Acturus de *Malo Hypochondriaco*, quamvis non ſit cur multum in voce haeream, cum tamen nomina ſubinde rerum ſint ſymbola, et ad earum pleniorem cognitionem, judice SCALIGERO, quaſi praeparent, paucis hic indicare licebit, appellari morbum noſtrum a ſede affecta, ſecundum quam ſit morbus coſtis ſpuriis ſubiacens. Nam ὑπὸ χόνδρε eſt ſub cartilagine; iſtas vero coſtas maximam partem cartilagineas eſſe conſtat, atque inde eſt, ut veteres, quicquid vitii in prima regione tertii ventris occuparet latera, quae Hypochondria appellabant, hac voce indigitarent, in primis vero Hypochondrium ſiniſtrum, quod lienem complectitur, intelligerent; unde origo Germanicae vocis *die Milz-Beſchwerung*.

§. II.

Palam eſt, cum morbus noſter ſe per omne fere abdomen, imo ulterius diffundat, arctiorem vocis eſſe ſenſum, quam pro rei veritate. Sed quis unquam tam concinnam invenerit appellationem, quae omnes rei determinandae conditiones exhauriat. Id an rectius factum ſit nomine olim impoſito *affectus Mirachialis* ab affecto abdomine *a*), aut ſecundum Avicennam *Illiſis* h. e. affectus praecordialis, diſcernant illi, qui barbararum vocum origines acutius inſpicere volunt. Certe non niſi levia morbi momenta attendunt, qui cum *Aetio b*) affectum flatuoſum, cum Diocle apud Galenum *c*) *phlogoſin* ſive calefactionem viſcerum, cum Barbetto *matrem ſcorbuti*, cum aliis morbum Eruditorum vel etiam *paſſionem Heroicam d*) appellant. Forte convenientior non eſt vox quam ipſius Hippocratis *e*), qui morbum reſiccativum vocat, cum ſiccisſima ſine dubio morbi moles impleat vaſa abdominis, et ſi quid tenuis

 lymphae

a) Sennert. L. 3. Pr. M. P. V. S. I. C. I.
b) Tetrab. 2. Sermon. 2. c. 9.
c) Lib. 3. d. loco affect. cap. VII.
d) Wedel. in theorem. part. 2. ſect. 5. introd. med. ad laeſa mech. corp. reliqu. pag. 75. §. 45. Sylv. pr. med. append. tract 7. §. 189.
e) Lib. 2. de morb. germ. Sect. 3. p. 146.

lymphae ſupereſt, ad glandulas oris determinet, unde hos aegros idem ſputatores nominat. Talem inquam ſiccitatem iuſtius in hoc morbo arguimus, quam chymici quidam tartarum hypochondriacum. Verum piget ſolis appellationum naeniis ulterius inhaerere.

§. III.

Conſiſtit ipſa indoles mali noſtri in ſanguinis fluxiliori parte orbati, verſus vaſa coeliaca et meſenterica *f*), per legem hydraulicam determinati, et in horum ramis per totum fere abdomen diſperſis, et extra vim cordis magis poſitis, aegre circumeuntis reſtagnatione et infarctu, in quo ſenſus perpetui ponderis circa illa loca urgentis, identidem anxietates, ſpasmi, et impeditae illarum partium ſecretiones functionesque ſimul obſervantur.

§. IV.

Haec quae in compendio dixi, facile conciliabunt multorum in diverſa euntium ſententias. Fuerunt nempe, qui ſedem mali in inteſtino Colo ponerent *g*) idque ex flatibus perpetuisque obſtructionibus, quas comites ille morbus habet, derivarent. Fuerunt, qui ſolum incuſarent ventriculum *h*), quod ructus ſaepe et vomitus aegros infeſtaret. Imo fuerunt, qui inter diaphragma et ſtomachum nidum tot flatulentiarum ſibi imaginarentur *i*). Quid illi niſi ſparſim indicarunt, quae coniunctim comprehendere debebant? Qui hic tumorem lienis *k*), qui hepatis infarctus, qui glandularum meſen-

f) Haec vaſa cum ramis venae portae jam Sennertus coarguit M. P. L. III. P. V. S. I. C 2.

g) Hildan. 5. Obſervat. 58.

h) Highmor. pag. 74. Barbett prax. pag. 140. Hoechſtetter. decad. 5. Obſerv. Ettmull. diſſert. Acad. VI. §. XII.

i) Inter quos fuit Lev. Fiſcherus, qui edidit peculiarem tract. de loco et foco mali Hypochondriaci.

k) Sennert. prax. med. l. 3. part. 5. Sect. I. Cap. IV. *Sylv.* in diſſert. de liene §. 20.

meſentericarum obſtructiones accuſaverunt, pariter non ſunt niſi hoc nomine redarguendi, quod totum mali ambitum arctioribus circumſcripſerint limitibus. Fortaſſis rectius iudicaſſe illi videbuntur *l)*, qui totum hoc malum in *meſentericum*, *ſtomachicum*, *hepaticum*, *ſpleneticum*, *cardiacum*, *hyſtericum*, *haemorrhoidale* et *melancholicum* diviſerunt, ſed officit hic turba nominum, cum ſuccinctior idea ſit, in ſolis illis dictorum vaſorum, per vaſa abdominalia repentium, propaginibus ſedem mali inveſtigare.

§. V.

Praeſtat omnia ſeorſim intueri. Sanguinis hic illam naturam coarguimus, quae neceſſariae circulationi per vaſa abdominalia repugnet. Nemo neſcit, in ſanguine aquam inprimis, ſalem, oleum, terramque certa connubii lege, quae fluxilitatem ſuſtentet, coiviſſe, ſed aquam reliquarum partium intuitu adeo abundare, ut ejus plus quam decem uncias complexu ſuo ſuppeditent duodecim ſanguinis *m)*. Solam ponamus cauſam, quae aquoſam illam et diluentem partem diſcutiat et eliminet, difficile non erit intelligere, quomodo reliqua maſſa, quae in terra ac oleo cum latente ſale tenacius miſtis conſiſtit, haereat maxime circa hypochondria, ubi lentior motus et vaſa laxiora. Atque ille ſanguis cum ater et piceus appareat, mirum non eſt, quod apud veteres atrae bilis ſuſceperit nomen, quam pro cauſa melancholiae venditabant. Talem ſane originem ſpiſſioris ſanguinis abdominalis facilius ſine dubio eſt concipere, quam cum aliis *n)* acidam ſaburram, vel corroſivum acidum

l) M. Martin. de morb. meſent. pag. 152. Godofrid Smoll. triadem deſcripſit Hypochondriacarum, quarum una eſſet ſplenetica, altera Meſaraica, tertia phantaſtica Hamb. 12. 1610.

m) Imo poſſunt *levi igne ſuppoſito* ℥XI. *elici*, *id* quod remanet craſſum nigrumque nova deſtillatione dat ſalem volatilem, dein oleum, hinc ſalem viſcidiorem & tenax oleum in fundo haerente terra cum aliquo ſale marino. Ita prout morbus noſter validior eſt vel languidior, plus accedit ad ſtatum illum nigricantis et viſcidioris acriorisque ſanguinis.

n) Sennert, prax. med. lib. 3. part. 5. ſect. 1. cap. 3. pag. 509.

acidum *o*), tartarum acidum *p*), aut pituitoſum terreſtre adſtringens et auſterum *q*) ſibi vel fingere, vel obſcuris ambiguique ſenſus adſtruere vocibus. Perplacet hic Cel. Boerhaavii triplex, quod deſcribit, hujus morbi ſtadium. Quousque deſcriptus ſanguis legibus conſuetae circulationis, quamvis inter varia impedimenta, adhuc obſequitur, nomen dat atrabilarii humoris: Qui adhuc magis ſpoliatus tenui parte et ad vaſa hypochondriaca pro favente eorum ſitu et conditione delatus, accumulatusque ac ſtagnans, lienisque, ventriculi, pancreatis, omenti et meſenterii obſidens vaſa, Morbum hypochondriacum generat, in progreſſu vero ex fixata magis et compacta materia, nunc acriori et rodente ac corrumpente loca, in quibus continetur, melancholiam parit, quam in his ſedibus ortam appellant hypochondriacam. Abſtinemus ab intuitu poſtremi mali, quippe omnium atrociſſimi et in manias, deliria veraſque viſcerum abdominalium conſumtiones deſinentis et peritiſſimorum quoque medicorum operam plerumque eludentis *r*).

§. VI.

Apparebit nunc luculentius, ex quibus cauſis tenacitatem illam vaſa enarrata opplentem ſuſcipiat ſanguis. Primum huc referimus exercitia animi et corporis, quae magna nunquam ſunt ſine jactura liquidioris partis. Ex illa perpetua mentis meditatione conſumi ſpiritus, cruda ſtagnare in lentis ramis coeliacae ac portae, et aggeſta obſtruere, nemini poteſt eſſe obſcurum. Inde robuſtos etiam, ſi ſtudiis contumacius ſe applicare incipiant, brevi, mutato corporis habitu, conſtat melancholicos fieri, quales fere omnes ſapientes eſſe docuit Ariſtoteles. *Pervigilia horum hominum, et longae lucubrationes*, uti ſubtiliſſimam partem ad caput ducunt, ita effoetum et craſſius in viſcera deponunt. Adde affectus quoſcunque, ſive hilaritatis ſive moeſtitiae, qui ſpiritus ſubducunt motuum autores, unde

o) Highmor. pag. 105.

p) Paracelſus.

q) L. Joubert. lib. d. febr. quart. cap. 8. p. 319. Lang. part. II. p. 38.

r) V. Boerhaav. Aphor. §. 1092. 1098. 1108.

unde quieſcentis ſanguinis & coëuntis ſaburra inferne inprimis, ubi virium propellentium minus eſt, accumulatur. Ita et Venus ſubtilia diſſipat, nervoſque concutit, & mature libidinoſam juventutem ſiccat & emaciat. Multos occurrere in Veneris caſtris exercitatiſſimos, qui creſcente paulum ætate triſtes & moroſi ſint, novum plane non eſt. Ulterius huc numeramus, qui longo itinere in aëre ſicco & per loca calida & arenoſa defunguntur, cum ille externus æſtus tenuiora diſſipet, unde Aſiæ, Africæ & aliarum calidarum regionum incolæ longe magis huic morbo ſunt obnoxii. Si denique homines molles ac ſedentarii, quorum perpaucos ab hoc malo immunes manere Sydenham ſcribit, cibos duros craſſioresque appetant, ut carnes bubulas fumo duratas, lardum, farinacea non fermentata, fructus immaturos & ſimilia, nemo dubitabit, ſanguini exinde ingentem acquiri ſpiſſitudinem. Et fortaſſis illi primum in hoc catalogo nomen merentur, quibus volupe eſt, quotieſcunque valetudinem vacillare metuunt, nunc ſudorifero, nunc purgante vel alio remedio evacuante aut ſtimulante, quod tenue diſſipet, uti. Idem effecit Sylviana hæreſis, quæ febre laborantes calidis & ſudoriferis, negato etiam potu tractavit, ut adeo hic & morbus et ars conſpirarent ad defraudandum tenuiori parte ægrotorum ſanguinem.

§. VII.

Nihil amplius requirimus quam hunc inſpiſſati ſanguinis ſtatum, ut ſymptomata quævis, quibuscum æger conflictatur, commode interpretemur. Color eorum cutem occupat poſt pallidum flavumque nigricans, cum deficiat in corpore lympha, quæ atriorem humorem diluat, & pellucidiorem reddat. Ipſum illud tenax et viſcidum, quod magnam acrimoniam involuit, diſtendendo irritandoque vicinas maxime partes, ubi tot nervi eorumque plexus reperiuntur ſollicitat in ſpaſmos, nunc cum vomitu, qui ſæpe linguam, guttur & fauces obſervante Highmoro exurit, nunc cum ingenti cordis palpitatione et deliquio ſpirituum ob anguſtatum pectus, nunc cum copioſo mictu tenuiſſimi ſeri, quod pathognomonicum in primis hujus morbi ſævientis ſignum eſt, nunc cum ptyaliſmo, quo excluſum hic ſerum ad os redundat, ingruentes. Et quoniam poſt tot novas

tenuis partis jacturas ſanguis parum in ſe habet *a*), quod ad loca ſecretoria & excretoria derivatus ex ſe dimittat, quid mirum ordinarie nec mictum fere nec ſudorem, nec alvum lubricam in his hominibus obſervari, ſed macilentos totos apparere, quod comſumtionem lateralis liquidi, lymphæ & pinguedinis declarat. Nam quoniam liquida iſta non continuo renovantur, & vaſa ſibi deſtinata implent, ſequitur inde, ut collabantur exceptis tantum venis & arteriis maioribus. Mœſtitiam et amorem ſolitudinis ex eadem ratione in hypochondriacis plerisque obſervamus, & omnes ſimul ab inſtinctu quodam ſoli eſſe cupiunt, in primo hujus morbi ſtatu eſſe judicamus. Nam cum lentore illo ſanguinis coniunctus eſt amor vitæ ſedatioris & omnis varietatis faſtidium. Mobiles quippe eſſe fluxilesque humores oportet, ſi agilitas ſit animi circa res ſemper novas occupata. Creſcente morbo cum maiori ſenſu gravitatis maxime poſt aſſumta tumere & inflari hypochondria ſolent, exareſcente reliquo corpore, unde Traianus olim cum ſplene & hepate fiſcum comparavit, quo pleno marceret populus. Ex abdomine ita tumente patet ratio anheloſæ reſpirationis & ductorum frequenter ſuſpiriorum, cum non poſſit non pulmonis functio a preſſo & aſſurgente diaphragmate cum quodam ſuffocationis ſenſu impediri. Id vero quod in toto morbo frequentiſſimum ſymptoma eſt, ructus vomitus & ingeſtorum corruptio intelligi partim ex dictis poteſt, partim ex adminiculis digeſtionis hic fere oppreſſis. Ex tali enim ſanguine quia tum lymphæ gaſtricæ, tum inteſtinalis, tum vero inprimis bilis & ſucci pancreatici parum ſecerni, et derivari ad inteſtina poteſt, inde liquido patet, ingeſta ſpontaneam corruptionem ſubire ob deficientem illam inquilini humoris, qui maxime ſubigit & mutat, miſcelam, adeoque vegetabilia ingeſta plerumque aceſcere, animalia alcaleſcere, glutinoſa in craſſam ſaburram condenſari. In tali vero ſtatu ſtipari alvum, oriri ructus, excitari vomitum, bilemque his locis excluſam & in ſanguinem revolutam creare icterum, omni-

a) Fit inde, ut hypochondriaci, omni morbo ſuperveniente, qui pro benigna criſi copioſam lympham requirit, vehementer periclitentur. Ita 1732. ſub cl. Junckero Halae prodiit diſſertatio medica de variolarum pernicie in hypochondriacis.

omnibus vel leviter rem cognoſcentibus, intellectu facile & expeditum eſt.

§. VIII.

Dicta ſymptomata quousque in ſenſus incurrunt, diagnoſin morbi haud difficulter conſtituunt, maxime ſi veſtigia antecedentium cauſarum pariter iam recenſitarum, in corpore tali morboſo animadvertimus. Quoties nempe occurrunt ægri vel ſedentariæ vitæ & nocturnis lucubrationibus aſſueti, vel inter vehementes corporis motus in ſicco & æſtuante aëre, ſitim ferre & craſſos cibos ingerere ſoliti, vel perpetuis ſudoribus diarrhœis aliiſque internorum liquidorum conſumtionibus obnoxii, quorum inflari hypochondria & gravativo dolore infeſtari incipiant inter vomitus flatuſque, anorexiam & dyſpepſiam, ſpaſmos abdominales, ſputa perpetua & limpidioris urinæ, quoties vis morbi increſcit, excretiones, haud dubitabimus medicam iis opem tanquam hypochondriacis ſine ullo temporis diſpendio præſtare. Quod ſi dicta ſymptomata catervatim ingruant & violenter, ſuſpicari oportet teterrimas melancholias & poſt increſcentia læſæ digeſtionis & chylificationis vitia majorem indies ſanguinis corruptelam & funeſtam abdominalium viſcerum labem. Ceterum pertinet ille morbus ad chronicos ſive longos, quos teſte Platone in Timæo blandiſſime tractari convenit haud vehementioribus irritari. Verum de his nunc accuratius.

§. IX.

Poſtulat morbi indoles, ut viſcidum illud et tenax, quod indigitatam a nobis ſedem occupavit, ſolutum ac mobile juſti circuitus impleat per vaſa poſt infarctum debilitata, ſed nondum deſtructa, legem, & vim nocendi irritantis acrimoniæ, quam mora ac ſtaſi acquiſivit, iterum deponat. Huc tendenti medico multae obſiſtunt difficultates. Rem enim aggredi purgantibus, ut quorundam mos eſt, id non ſolum plus liquidæ partis ſubducendo auget infarctum, ſed & in loco ſenſibili & nervoſo magnam illam ad ſpaſmos proclivitatem irritando aggravare ſolet. Quod & de ſtimulantibus valet

ſive aromatica ſint, ſive ſalina, quorum abuſus fatuos teſte Sydenhamo multos reddidit ejusmodi ægros. Cum Pitcarnio quidem & Wodwardo vomitum ante omnia provocandum eſſe, Allenius *a*) exiſtimat, quaſi hæc baſis ſit curæ, qua fomes morbi ſubtrahatur. Verum quid a tam vehemente ſtimulo metui debeat, ex mox dictis apparet, quantumvis non negemus, ea quæ in ejusmodi corporum primis viis corrupta & indigeſta fluctuant, cum quodam levamine per vomitum eliminari, quod tamen non eſt idem ac fomitem mali expugnare. Qui miſturas ex ſalibus volatilibus cum caſtoreo, vel trochiſcos de myrrha, vel fuliginem furni ſplendentis, vel flores ſulphuris cum nuce moſchata & theriaca in vino ſolutos, ſimiliaque cum multis commendant, probe viderint, ne ſpaſmos, ſcotomias, vertigines, anguſtias thoracis, tremores cordis imo apoplexiam & alia immedicabilia mala accerſant iis, quibus conſultum volunt. Non plane ſpernimus horum omnium uſum, ſed ut ferre illum corpus poſſit, aliquanto benignioribus ab initio remediis tentandum eſt. Videbimus ſeorſim, quæ vel ex fonte pharmaceutico, vel chirurgico vel diætetico in ægri emolumentum peti poſſint.

§. X.

Talia ſunt eligenda, quæ placide lentorem ſoluunt. Præſtat enim tranquilla poteſtas, quod nequit violenta. Soluunt omnis generis ſalia, quæ tamen niſi mitiſſimâ eligis, ſuo ſtimulo nocent, miteſcunt autem ſi in ſaponis naturam tranſeunt, & blandioris olei vinculo tegunt nonnihil aculeos ſuos. Et quoniam lentum illud, cujus vaſa ſua opplentis ſolutionem requirimus, acrimoniæ non eſt expers, pro hujus determinata *indole* eligere *ſoluentia* oportet. Quod ſi alcalina acrimonia peccat, quam fœtor arguit animæ liquidique cujuscunque excreti, ſitis & ſicciras oris & multa alia, confirmantque præcedens victus animalis, vehemens motus &c. oppugnare eam ſoluentium contrariorum doſi exigua ſed frequente oportet. Quid præter aquam & mel potiorem hic exſerit virtutem, Hippocrati tantopere commendatam & a Dureto aliisque prudentiſſimis medicis pro exploratiſſimo remedio agnitam? Vel ſolo hydromellis longo

a) Synopſ. med. pract. cap. 3. art. 123.

longo uſu effectum eſt, ut fluxus ſolutæ materiæ ſiſtere nequirit. Ita ſummum veterum remedium contra ſplenicos morbos erat paratum cum aceto mel cum ſquilla incocta. Conducunt eadem ratione fructus horæi, quorum ſaponaceam vim & leni vi ſolventem alcaliniſque humoribus infeſtam nemo diffiteri auſit. Vel ſolis cerafis maturis copioſe ingeſtis, illos qui per annos maniaci erant, ſanatos legimus. Addimus hic vegetabilium ſuccos, uti lactucæ, ſonchi, taraxaci, ſcorzoneræ, fumariæ, endiviæ, ſimileſque in Germanorum medicina minus quam exterorum frequentiſſimi uſus, & mitiſſima vi humorum alcaleſcentium tenaciumque vitia corrigentes. Si vim refrigerantem aut flatus generantem metuis, licebit aliquid aromatum, vini Rhenani ſimiliumque intermiſcere, quale certe potionum genus nemo facile faſtidiat Poteſt miſeris vel ſolum ſerum lactis ſuaderi, cujus uſus neſcio an in alio morbi genere manifeſtior eſſe poſſit. Quandoquidem enim ſummam fluxilitatem habet, & ex partibus acidiuſculis conſtat, commode lubricare alvum, lactea penetrare, ſanguinem renovare, loca ſecretoria aperire,& putre illud inprimis ac tenax coagulum diſſoluere, & fluxum per infarcta vaſa provido & diuturno uſu inſtaurare poteſt. Quod ſi praeterea fere per omnes horas cremoris tartari aut tartari vitriolati tantillum ſumatur, non ſolum eum in modum perpetuis digeſtionum vitiis conſulitur, ſed & ſenſim vis illa ſolvens ad noxia loca cum certo effectu diffunditur. Atque hæc prima eſt quæ ante oculos verſari debet, medici auxilii conditio. Si vero ſpiſſum illud, quod in hoc morbo ubivis arguimus, in ſe complectitur acre acidum, unde nigram ſubinde fœcem, cum terra & ſimilibus efferveſcentem, & vaſa metallica erodentem ejectam eſſe, poſt Hippocratem Aëtius, Ballonius aliique reſtari ſunt, quamvis ſine dubio rariſſime fieri ſoleat & poſſit, ſunt & huic acri praedominanti ſaponacea ſua opponenda, uti ſapo venetus, addito ſale abſinthii vel cardui benedicti, minimis & refrenatis doſibus, ſaepiſſime in una alterave pilula, cum juſculis carnium ingerendis. At palmam reliquis praeripiunt aquæ minerales, ut Spadanæ & Schwalbacenſes, in quibus mars leniſſime ſolutus abſorbet acidum, reliqua contenta diluunt, ſolvunt, abſtergunt, viaſque ſecretorias expediunt. In acrimonia muriatica, quid abſtinentia a ſalſis calidiſque, uſus ſub acidorum, lixivium cal-

cis vivæ, & ſimilia poſſint, abunde conſtat peritis & his, quibus opus eſt, armis eos inſtruit.

§. XI.

Verum non ſufficit, in his remediis, quæ ſolvere viſcidum & latentem in eo acrimoniam pro cognito diſcrimine ſuo expugnare docent, ſubſiſtere; ad id jam enititur medicus, ut ſolutam motamque materiam, & ex veterum ſententia turgentem caute determinet & ad loca convenientia. Nam ſi ante coctionem perfectam tranſit ſubito impetu in venam cavam & deinde in ſanguinem, poteſt febre exorta intra paucas horas funeſta excitare ſymptomata. Lata ad cerebrum generabit deliria, ad pulmones tabem, ad inteſtina diarrhœam. Sæpe convulſiones terribiles, ingentes cardialgias, nauſeas intolerabiles; deliquia animi & alia mala producit. Haud id facile in leviori gradu morbi noſtri metuendum eſt, at in adultiori, qui in melancholiam degenerare incepit, omnem medici attentionem meretur. Omnis hic ars hunc ſibi ſcopum præfixum habet, ut vim, quæ ſolvat & expellat, haud quieſcere patiatur, deinde, ut caveat, ne celerius mota materia noceat viſceri, in quod irruit. Jam alvum incipit ſolvere, ſed ita, ut materiam, quam huc allicit, corrigere ſimul pergat. Optime hoc fit, ſi ſoluta materia alcaleſcentis genii eſt, ut cryſtallorum tartari uncia una miſceatur cydoniorum, ribeſiorum, baccarum ſambuci ſimiliumque libræ uni, coquanturque in ſero lactis, utque ita deinceps æger tali decocto bis per horam in modica quantitate utatur. Sine dubio ſolvunt hæc alvum & corrigunt ſimul oppoſita vi malignum morbi genium. Properandum autem eſt, ne ſiſtatur materia in illo molimine expulſionis, quod inſtare cognoſcimus ex pulſu debili inæquali, nauſea, anxietate & febricula. Atque ſic pariter acido prædominante ſolvimus in juſculis carnium ſaponem venetum cum ſale fixo, & tum omni hora pilulam leniter eccoproticam exhibemus. Ita pariter ad vias ab acrimonia exeuntis materiæ præmuniendas diverſæ indolis clysmatibus utimur, & in tota hac methodo, quam diu vires adſunt, perſiſtimus, nec ubi dolores nimis urgent, pauxillum opii denegamus. Atque hæc eſt methodus, evacuantibus poſt præmiſſa ſolventia

ventia rite utendi. Neque enim Hippocratem, qui eadem ſolutione præmiſſa helleborum album propinavit, hic ſequi tutius arbitramur. Præſtant mitiora, quod nimis multi a vomitoriis & purgantibus convellantur. Hinc opiata etiam purgantibus miſceri ſuaſit Gorterus *a*).

§. XII.

Tertium quod fieri debet, poſt ſolutam materiam & in circulum redactam, illud eſt, ut vaſa debilitata & ad novam proinde fovendam ſtaſin proclivia juſto iterum tono potiantur. Serviunt hic medicamenta chalybeata, remedia volatilia, infuſa amara, vina medicata & hujus generis alia, quæ aucto vaſorum elatere novi infarctus geneſin impediunt. Itaque hic etiam ob lenem adſtrictionem & amaritudinem laudare uſum corticis peruviani minime dubitamus, quamvis illum in hoc morbo minus certo prodeſſe laudatus Gorterus *b*) ſcribat. Cæterum hic non inepte eodem ſuadente gummata præſcribuntur, quæ ſolvunt viſcida, nervis proſunt & corruptioni reſiſtunt *c*).

§. XIII.

Ex dictis haud difficulter judicabunt, qui in auctorum lectione ſedulo verſantur, quorſum pleraque ab eis jactata remedia pertineant. Si theriacam Andromachi & vinum Hiſpanicum laudarunt multi vel & zingiber conditum & ſemina carvi, aut cum Sydenhamo crudam ferri limaturam vel aquam ferreis clavis & calceis equinis imprægnatam, ſponte intelligimus, hæc in ultimo morbi ſtadio locum habere poſt liberata vaſa & prægreſſas ſufficientes evacuationes. Multa quidem ex his in prima etiam acie ſtare & morbum cum læſa digeſtione conjunctum lenire poſſunt, verum nunquam bona fide, ſi arx *mali haud impugnetur*. Ita qui ſalia volatilia oleoſa, ſpiritus lavendulæ aliosque, oleum ſuccini, caſtoreata, bezoardica, tinctu-

a) Vid. ei. compend. med pract. 17. §. 62.

b) Vid. l. c. tract. 52. §. 28.

c) Vid. l. c. tract. 72. n. 5.

tincturas acriores &c. infinitis ornant elogiis, niſi tempora diſtinguant, efficiunt neceſſario, ut in deterius ruat morbus. Illis aſſentior maxime, qui ſalia modice ſtimulantia & aperientia, qualis eſt ſal Tackenii, cum leniſſimis ſaponaceis, toto fere morbi decurſu commendant, & in acri ac viſcido dignoſcendo juſtam medelæ normam agnoſcunt.

§. XIV.

Fons chirurgiæ vix quicquam ſolidi remedii ſuppeditat. Nihil hie corrigit venæ ſectio, cum qua tenuior ſanguis effunditur, & remanens eo hæret immobilior. Nolim tamen omnem diſſuadere, ſi qua plethoræ veſtigia adſint, quod rariſſimum eſt. Ingruentia etiam paulo ſæpius ſymptomata momentaneam interdum opem hanc requirere videntur. Maxime vero hæmorrhoidarii, ſi ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus in ſtatum illum morbi incidunt, fluxu per artem chirurgi reſtituto præclare adiuvantur. Qui punctionibus, ſcarificationibus, veſicantibus, uſtionibus, calefacta ſartagine &c. *a*) ſuccurrere volunt, vix ponderare videntur in ſcopo ſuo ad alia loca determinandi, quam rebelle ſit & immorigerum, quod intra vaſa recluſum hæret. Adeo enim ad hos ſtimulos non deſerit latebras ſuas, ut potuis tenui parte hinc magis diſcuſſa longe quam ante hæreat tenacius.

§. XV.

Plus vero præſidii ſpondet fons diæteticus. Quemadmodum diæta omnibus morbis tutiſſimam opem præſtat, ita maxime ea opus eſt teſte Sennerto *b*) in malo hypochondriaco. Parum abeſt, quin ea ſola in miſerrimum ſtatum dejectos ægros optime ſibi conſuluiſſe firmiter credam. Aër ſiccus & calidus, uti lympham corporis potentiſſime diſſipat, ita ſi hypochondriaci in eas regiones ſe conferunt, ubi humidior aër ſpirat, non exiguum perſentiſcunt levamen. Quod ſi victum ejusdem generis eligunt, nunquam ſiccio-

a) Vid. Allenii ſynopſ. med. c. 3. art. 119.
b) Vid. ej. Prax L. 3. P. 5. S. 1 C. 7.

ſicciorem & longo digeſtionis molimine egentem, ſed humectantem & ſuaviter refocillantem, præcavebunt egregie progreſſum morbi. Optime hic erunt cibi leviſſimi, uti jus recentium carnium cum ſucco citri, vel cui lactuca, endivia, chondrilla, beta, chærefolium, & quæ ad eandem claſſem pertinent, incoquuntur. Maxime præfero plantas ſuccum lacteum ſtillantes & magna ex parte culinares. Nec lac improbo aut ejus ſerum, aut lac ebutyratum & quæ ejusdem ſunt progeniei. Omnibus his vis eſt ſaponacea, quod jam pariter monui de fructibus horæis, quorum ſuccos vi ſua diſſolvendi vim ſuperare ipſorum ſalium volatilium oleoſorum haud temere perſuadeor. Inter hæc optime ſe habent hypochondriaci, quando e contrario poſt victum carnium piſciumque manifeſte eorum valetudo in deterius mutatur. Ex piſcibus maxime iis nocent, qui ſquamis ſunt deſtituti, ex carnibus bubulæ, ſuillæ, caprillæ, anſerum, anatum, cervorum &c. Peſſime ipſis farinacea cum pinguedine inprimis ſubacta conſulunt. Potus ſive cereviſiarum ſive vinorum ſive ptiſanarum nomine venientes minime ſunt ægris negandi, in primis quod præter vires humectandi ſolvendique ad acorem inclinent, huic morbo ut plurimum oppoſitum. Craſſas vero & lupulatas nimis cereviſias quin & fortiora vina ideo non permittimus, quod breviter duret vis humectans, & ſtimulo ſuo plus liquidi excutiat quam advexit. Somnum non nimis prope a cœna initum indulgemus liberaliter, ſique per vigilias fatigantur ægri, etiam arte conciliamus. Neque enim major poteſtas eſt quam illa ſomni, circumactos jugiter humores ad omne ſecretionum genus præparandi, & nova ſpirituum copia ſenſuum motuumque organa implendi. Motus corporis moderatos, quibus ſubſtitui in debilioribus frictio poſſit, pro ingenti habemus remedio, modo non ad nimium gradum laſſitudinis vel etiam ſudoris continuentur. Quid non hic ab equitationis auxilio Sydenhamus promittit? Adde quod exercitia illa motuſque, quoniam cum certa oblectatione mentis conjuncta ſunt, illum ſolitudinis amorem pulchre ſemper imminuant. Denique diæta cauſas ſollicitudinum, timoris aliorumque vehementiorum affectuum removet. Venerem non niſi illa ex parte, qua animo ſerenitatem reddit & ægrum ad ſocietatem humanam revocat, indulgere ſolet, circa excreta vero & retenta, ne morbus invaleſcat, vigilem ſimul impendit operam. Atque de his ſatis!

CAROLI PHILIPPI I. M. F. GESNERI *)
DISSERTATIO
DE
DIVINO HIPPOCRATIS
PRÆSIDE
G. G. RICHTERO
PROPOSITA
GOTTINGÆ, D. 1 JUL. 1739.

SUMMARIA.

§. *I. Ut opera naturæ in universum ad Deum deducunt.* §. *II. Ita singulæ hujus universi particulæ hoc agunt,* §. *III. Et nominatim illæ quæ medicæ considerationis sunt.* §. *IV. Hinc probabile, Hippocratem divinam naturam agnovisse, quod ex libris magis probatur,* §. *V. quos Hippocraticos sumimus, cum a nobis accurate definiri non possit, qui inter illos genuini sint.* §. *VI. Ex illis vero* τὸ θεῖον *tractandum suscepimus,* §. *VII. VIII. & primum quidem de Deo Hippocratis quædam adhuc disputantur,* §. *X. deinde locus, de quo in primis sermo, laudatur,* §. *XI— XIX. atque de eo sententiæ aliorum allegantur,* §. *XX. & ad summa capita rediguntur.* §. *XXI. quibus nostra sententia subjungitur,* §. *XXII. quæ nullam fere aliam excludit.* §. *XXIII. Nimirum* τὸ θεῖον, *(quod etiam sulphur Hippocrati significat,)* §. *XXIV. in primis notat, quod a Deo est.* §. *XXVI. XXVII. XXVIII. Et hoc docet de morbo sacro*

*) Nolui dissertationem omittere, non quidem a RICHTERO profectam, verum tamen ob argumenti gravitatem memoria doctorum virorum inprimis dignam.

ſacro liber, §. *XXIX — XXXII. tum ea quæ de Scytharum affectione a Coo diſputantur*, §. *XXXIII. & locus ex libro de natura muliebri petitus.* §. *XXXIV. Neque enim morbos magicos*, §. *XXXV. neque aëris conſtitutionem hoc poſteriori loco intelligendam eſſe, probabile redditur.* §. *XXXVI. XXXVII. De morbo Scytharum quædam adjiciuntur*, §. *XXXVIII. & in genere ex tribus illis locis colligitur, Hippocratem omnium morborum cauſas ad Deos retuliſſe, ea ratione*, §. *XXXIX. ut alii etiam auctores multa ad Deos referre ſolent; Et* §. *XL. Galenus in primis illa, quæ extra ordinem accidere videbantur, divina vocat. Ita vero etiam divinum Hippocratis libro prænotionum intelligendum videtur, quod* §. *XLI. Connexionem totius libri*, §. *XLII. Naturam rei ipſius*, §. *XLIII. Convenientiam cum reliquis auctoris ſententiis docere, oſtenditur.* §. *XLIV. Cauſæ hujus divini indicari non poſſunt: quæ omnia magis* §. *XLV. exemplis illuſtrantur.* §. *XLVI. Augetur vero apud nos ſemper, & decreſcit viciſſim illud, quod divinum dicimus*, §. *XLVII. neque ex Hippocrate exempla ſuppeditare licet.* §. *XLVIII. Explicatur tamen huc faciens locus*, §. *XLIX. & aliorum ſententiis, quam potuit breviſſime, cum noſtra comparatis*, §. *L. finis tractationi imponitur.*

§. I.

Opera a ſummo rerum auctore condita, divinam ſapientiam teſtari, & evidentiſſima de illo, qui hæc perfecit, teſtimonia perhibere, ſapientiſſimorum quorumque hominum & populorum conſenſu declaratur; ita quidem, ut quo magis a ſummis viris, cognitionis humanæ termini adhuc prolati ſunt, quo magis in abditos naturæ receſſus penetrarunt homines, eo vaſtiorem eſſe, & ultra imaginationis limites magnam, univerſi hujus amplitudinem, minutiorem vero ſtructuram, quam ut ulla cogitatione aſſequi poſſis, in plantis & animalibus obtinere, partim usque quaque certis experimentis & argumentis, partim probabilibus

etiam rationibus, edoceamur. Qui hæc ſerio & ſtudioſe cogitarit, ille ſacro & religioſo horrore perfuſus membra, nullum de natura divina dubitandi locum relictum ſibi animadvertet, cum nihil omnino, ex illis omnibus, quæ ad demonſtrandam Numinis præſentiam ab acutiſſimis Philoſophis undique conquiſita & inventa ſunt, ita ad feriendum hominis bene nati animum faciat, quam hinc magnitudinis hujus immenſæ, & illinc minutiei infinitæ attentior conſideratio.

§. II.

Verum hæc ita comparata ſunt, & illa intento animo cogitantium mentibus adeo ampla rerum imago occurrit, ut neque initium, nec finem videntes, ipſa tandem cogitandi facultas defatigata deſtituat: neque etiam opus eſt, tam vaſtis & humanam rationem pene ſuperantibus, rerum imaginibus animum implere, cum unaquæque hujus univerſi particula, ſi etiam ſola conſideretur, tot ſapientiæ conditoris ſui veſtigia monſtret, ut nulla pene res in hoc univerſo cogitari poſſit, quæ non id agentem ad divinam cognitionem deducat; *a*) & ſit omnino hæc felicitas illorum, qui his conſiderandis magnam vitæ ſuæ partem tribuunt, quod divina veſtigia legere & venerari, atque Deum e proximo ex operibus ejus intueri & admirari liceat, qua quidem re nihil nobilius, & nihil magis homine dignum in rebus humanis eſſe arbitramur.

§. III.

Et hæc quidem, quæ adhuc protulimus, uti de rebus a Deo conditis in univerſum vera ſunt, ita optimo jure ad illa, quæ maxime in medici conſiderationem cadunt, transferri poſſunt. Tractat

a) Librorum, quibus collecta undique de his rebus proponuntur, & ex inſtituto pertractantur, indicem dedit Vir Summus, Jo. Albertus Fabricius, adjectum *ad verſionem* germanicam *Derhami Aſtrotheologiæ*, ab ipſo procuratam & præfatione ornatam. Plures etiam indicat *Syllabus Scriptorum, qui veritatem religionis Chriſtianæ aſſeruerunt*, ab eodem non fatigatæ diligentiæ viro Hamburgi 1725, 4. in lucem editus.

Tractat nimirum medicus partem nobiliſſimam rerum creatarum, hominem dico, quem propter artificioſiſſimam ſtructuram, compendium hujus univerſi appellare quibusdam placuit, *b*) & ejus machinationem, actiones omnes, cauſasque earum, quantum quidem ejus fieri poteſt, perquirendo, inveſtigandis iis, quæ circumſtant hominem, iisque omnibus, quæ in illo fiunt, diligenter obſervandis, eo pervenire ſtudet, ut & integrum conſervare corpus poſſit, & ſi quid læſum ſit, illud ope eorum, quæ vel ipſe convenire expertus eſt, vel aliorum experimentis utilia deprehenſa ſunt, prudenti ratione applicatorum, reſtituere. Hæc propoſita medico hujusmodi ſunt, ut GALENUS, cum in ſtructura & uſu partium explicando verſaretur, hymnos conditori ſuo ſe facere exiſtimaret, *c*) & ut, quo quis magis in his verſatus ſit, eo minus excuſationem mereatur, ſi de divina natura dubitatio animum ejus ſubeat.

§. IV.

Hæc cum ita ſe habeant, non mediocri admiratione dignum videretur, ſi Hippocrates, quem ſapientiſſimum fuiſſe, & in exploranda corporum natura ſagaciſſimum, antiqui pariter & hodierni medici, viri induſtriam & ingenium admirantes, agnoſcunt,

b) Ita enim GALENUS poſt verba, quæ ſtatim laudabimus, animale corpus viris antiquis, in phyſicis rebus verſatis, appellatum dicit. Τὸ ζῶον, μικρόν τινα κόσμον εἶναι φαεῖν ἄνδρες παλαίοι.

c) Adſcribere viſum eſt notatu dignum GALENI locum; extat ille *libro III. de uſu partium edit. Baſil.* 1538. *Tom. I. p.* 402. Vocat libros ſuos ἱερὸν λόγον, ὃν ἐγὼ, inquit, τῷ δημιουργήσαντος ἡμᾶς ὕμνον ἀληθινὸν συντίθημι, καὶ νομίζω τοῦτ' εἶναι τὴν ὄντως εὐσέβειαν, οὐχὲ εἰ ταύρων ἑκατόμβας αὐτῷ παμπόλλας καταθύσαιμι, καὶ τὰ ἄλλα μυρία μύρα θυμιάσαιμι, καὶ κασίας· ἀλλ' εἰ γνοίην μὲν αὐτὸς πρῶτος, ἔπειτα καὶ τοῖς ἄλλοις ἐξηγησαίμην, οἷος μὲν ἐστὶ τὴν σοφίαν, οἷος δὲ τὴν δύναμιν, ὁ ποῖος δὲ τὴν χρηστότητα. - - - - καὶ γὰρ σοφίαν, καὶ δύναμιν, καὶ πρόνοιαν εὑρήσεις ἐνταῦθα. Plura deinde de conditore ex operibus cognoſcendo pulcherrime diſputat, quæ vero hic referre longum foret.

ſcunt, illam ſapientiam, qua hæc omnia gubernantur, in dubium vocaſſet. Verum, ut ab omni ſuperſtitione alienum fuiſſe bonum & candidiſſimum ſenem, ex illis quæ hoc ipſo ſcripto proferentur patebit *d*), ita, ſi SORANO in vita ejus deſcribenda fides habenda eſt *e*), patriam religionem profeſſum eſſe conſtat, qui nimirum ab Athenienſibus Eleuſiniis ſacris initiatus ſit *f*). Et ſunt loca manifeſta in ipſis ſcriptis Hippocratis, quibus ſcientiam de Diis animo medici implexam eſſe; in morbis, & quæ morbis accedunt incommodis curandis, medicinam reverentiam erga Deos parere; medicos diis concedere *g*); Deos naturam exornaſſe; a diis conſtituta

d) Allata ſunt §. in primis 28, 32, 33 &c.

e) Quam DAN. CLERICUS *Hiſt. Med. III*, 31. in dubio relinquere videtur, JO. HENR. SCHULZIUS vero, quem honoris & reverentiæ cauſa nominamus, *Hiſt. Med. I*, 3, 1, 11. plane elevare.

f) Verba hæc ſunt, *Λαμπρῶν ἔτυχε τιμῶν παρὰ κώοις - - - καὶ ἀθηναίοις, οἵτινες καὶ δεύτερον αὐτὸν ἀφ' Ηρακλέους δημοσίᾳ τοῖς ἐλευσινίοις ἐμύησαν, καὶ πολίτην ἔγραψαν, καὶ τὴν ἐν πρυτανείῳ σίτησιν ἔδοσαν εἰς ἐκγόνους.* Leguntur *in vita Hippocratis ſecundum Soranum* II, 13 *ſqq.* editionis *Lindenianæ*, quam in poſterum etiam ſemper laudabimus.

g) Deſumta ſunt hæc ex libro *περὶ εὐχημοσύνης* 6, 2. ſq. *ἡ περὶ θεῶν ἴδησις ἐν νόῳ αὐτῇ.* (Ita LINDENIUS & alii, FOESIUS *αὐτὸ* reponendum arbitratur; verum nihil impedit, quo minus accentu mutato ad *ἴδησιν* quis referat, vel ut monuit de hoc loco amiciſſimus MATTHIÆ, ad *ἰητρικὴν*, quod præceſſerat, reſpectum a Coo eſſe dicat. Senſus certe manet pene idem, quodcunque recipere placeat.) *ἐμπλέκεται· ἐν γὰρ τοῖσιν ἄλλοισι πάθεσι, καὶ ἐν συμπτώμασιν, εὑρίσκεται τὰ πολλὰ πρὸς θεῶν ἐντίμως κειμένη ἡ ἰητρική. οἱ δὲ ἰητροὶ θεοῖσι παρακεχωρήκασιν. ἐ γὰρ ἔνι περιττὸν ἐν αὐτέῃ τὸ δυναστεῦον.* Et hanc eſſe veram Hippocratis ſententiam, ex tota hac ſcriptione apparebit. Jam locum parallelum ex ARETÆO CAPPADOCE, exempli loco, afferre placet. Exſtat ille *de cauſis & ſignis morborum diuturnorum* II, 1. edit. *Boerhaauianæ p.* 48. Dixerat ab Hydrope paucos liberari *ἐπ' εὐτυχίης, καὶ θεῶν μᾶλλον, ἢ τέχνης. τὰ γὰρ μέζονα πάντα ἰῶνται μᾶνοι θεοί.* Ita *ibid.* I, 5. *p.* 125. *ὑγίεας μὲν ὧν ἅπαντας ποιέειν ἀδύνατον τὺς νοσέοντας. ἢ γὰρ ἂν ἰητρὸς κρέσσων θεῦ.*

ſtituta ſemper recte habere *h*); Deos invocandos eſſe, & curationem cum precibus ſuſcipiendam *i*), ita dilucide profitetur, ut religionem & Deorum reverentiam in animo Hippocratis firmam ſedem habuiſſe, ex illis confici poſſe arbitremur.

§. V.

Hippocratis hæc eſſe diximus. Neque enim id nobis ſumimus, ut quosdam ex illis libris, qui Hippocrati inſcribi ſolent, ſpurios & auctore ſuo indignos pronunciemus *k*), quia diverſo genere ſcribendi compoſiti videantur, vel quod pugnare quædam, minus nobis forte intellecta, arbitremur; quin potius, auctoritate antiquæ inſcriptionis ſe tueri illos poſſe arbitrantes, neque argumenta, quibus non eſſe ab Hippocrate ſcriptos, ab HIERONYMO MERCURIALI aliisque affirmari poſſit, ſatis perſpicientes, in partem illam, quæ tutior eſt, peccare malumus, etiamſi ſummorum virorum auctoritatem, qui contrariam ſententiam tuentur, veneremur, & nobis ſufficiat, Hippocratica certe dogmata, quocunque demum auctore, propoſuiſſe. *l*)

§. VI.

h) *Libro I. de diæta* 12, 14. *ſqq.* Νόμον μὲν ἔθεσαν ἄνθρωποι αὐτοὶ ἑαυτοῖσιν, ἃ γινώσκοντες περὶ ὧν ἔθεσαν· Φύσιν δὲ πάντες θεοὶ διεκόσμησαν. - - - ὁκόσα δὲ θεοὶ ἔθεσαν, ἀεὶ ὀρθῶς ἔχει.

i) Totus *liber de inſomniis* plenus eſt exhortationibus ad preces, ita ut ſemper preces remediis naturalibus conjungi præcipiat. Inprimis ſtatim ab initio libri, de illorum imperitia conqueritur, qui certam artem habentes, qua ſomnia dijudicanda ſuſcipiunt, de neutris recte ſentiunt, neque docent, quomodo mala in ſomniis præmonſtrata cauere oporteat, verum ſolum preces commendent. Et his ſubjicit, τὸ μὲν εὔχεσθαι πρέπον, καὶ λίην ἐσὶ ἀγαθὸν δεῖ δὲ καὶ αὐτὸν ξυλλαμβάνοντα τὰς θεὰς ἐπικαλέεσθαι.

k) Neque tamen hic comprehenſa volumus illa ſcripta, quæ operibus Hippocratis ſubjici ſolent, *epiſtolas nimirum*, *orationem ad aram*, *decretum Athenienſium*, & *Theſſali filii declamationem*, quorum ſubleſtam fidem pluribus demonſtrauit DANIEL CLERICUS *Hiſt. Med.* III, 31.

l) Nihil enim videmus, quod impediat, quo minus pleraque illorum ſint certe Hippocratica, cum & ea, quæ proferuntur, Philoſophiam, quæ magni viri ætate maxime florebat, plane referant, & videatur idem vir,

§. VI.

Hac cautione præmiſſa, ſcripta, quæ Hippocrati vulgo tribuuntur omnia, & ipſi Hippocratica appellabimus, neque quicquam de eo, utrum genuini an ſpurii ſint, nunc quidem ſoliciti, hoc ſolum agemus, ut argumentum, quod tractandum ſuſcepimus, quantum quidem pro tenuitate virium noſtratum fieri poterit, inde illuſtremus. Diſputabimus autem τὸ θεῖον Hippocraticum, de quo cum & commentatores Coi tam varias opiniones protulerint, & ſummi etiam viri dixerint ſententiam, vereor ne juvenili temeritate audaces videamur, qui poſt tantos viros de eo argumento ſcribere ſuſceperimus. Tacere igitur expediviſſet, niſi florentiſſimæ Academiæ inſtituta aliquid exhiberi popoſciſſent, & perlecta ſcripta Hippocratis, quæ certe nunquam legiſſe pœnitebit, animum addidiſſent poſſe aliquid a nobis afferri, unde cognoſcere poſſint ingeniorum arbitri, an recte in illis legendis verſati ſimus.

§. VII.

De divino igitur Hippocratis acturis, dicendum omnino pluribus erat, quid Hippocrates de divina natura ſenſerit. Sed magnorum virorum auctoritates, & agitatæ lites *m*), ſuſpenſum &

in obſervationibus conſcribendis, & morbis curandis caſtiſſimus, atque nihil illis hypotheſium admiſcens, in aliis libris theorias, quin conjecturas ſuas etiam proponere poſſe. Videmus in ipſis *Aphoriſmis*, opere ſi quod aliud genuino, quædam non obſervatione deprehenſa, verum inventa ſolo ingenii acumine contineri. Exemplo ſit *ſectionis* V. *theſis* 63. Hic rationem redditurus, cur mares infœcundi fiant, ſcribit, ἢ δι' ἀραιότητα τῦ σώματος τὸ πνεῦμα ἔξω φέρεται, πρὸς τὸ μὴ παραπέμπειν τὸ σπέρμα· ἢ διὰ τὴν πυκνότητα, τὸ ὑγρὸν ἐ διαχωρέει ἔξω. ἢ διὰ τὴν ψυχρότητα ὐκ ἐκπυριᾶται, ὥϛε ἀθροίζεθαι πρὸς τὸν τόπον τῦτον. ἢ διὰ τὴν θερμασίην τὸ αὐτὸ τῦτο γίνεται, quæ omnia experimentis niti, vel inde deſumta eſſe, nemo facile tuebitur, cum in illis manifeſte doctrinam, quæ libro *de natura pueri* continetur, deprehendere liceat.

m) Catalogum eorum, qui de Theologia Hippocratis ſcripſerunt, & partim diſceptarunt, dedit ὁ πάνυ FABRICIUS *Biblioth. Græc. Vol.* 13.

& fluctuantem reddiderunt animum, cuinam potiſſimum ſententiæ accedendum ſit. Hoc tamen, ſervata illa reverentia, quæ maximis nominibus debetur, dicere liceat, ex locorum ipſius Hippocratis comparatione, & conſideratione argumentorum, quæ magnus vir FABRICIUS collegit *n*) magis illorum ſententiam placere, qui ab Hippocrate agnitum eſſe Deum, gubernantem omnia, omnia in corpore humano etiam dirigentem, poſuerunt.

§. VIII.

Inter argumenta vero, quibus maxime ad hanc ſententiam ducimur, non omnino omittenda videntur, quæ jam §. IV. allata ſunt, quibus Deum, quemcunque demum, poſitum ab Hippocrate, vero ſimile factum eſt. Neque vero ille locus, qui contrariam ſententiam tuentibus maxime favere videtur, quo nimirum Hippocrates calido ſuo, immortalitatem tribuit, illud intelligere omnia, omnia videre & audire, quin præſentia pariter atque futura ſcire dicit *o*), ita certo demonſtrat, ignem vel æthera ab

p. 191. cui JO. STEPHANI BELLUNENSIS librum, de eo argumento ſcriptum, & notis eruditiſſimis a ſe illuſtratum, adjecit. Notalis eſt, inter viros Celeberrimos NIC. HIER. GUNDLINGIUM & DANIEL. WILH. TRILLERUM agitata. CAROL. DRELINCURTII, & JO. ANDREÆ SCHMIDII Diſſertationes, religionem Hippocratis laudant, ita ut ille Coi effata, cum ſcripturæ ſacræ ſanctiſſimis præceptis conferre non dubitarit. Vir ſumme reverendus JO. LAURENTIUS MOSHEMIUS, in annotationibus, adjectis ad *Rad. Cudworthi* Syſtema intellectuale, a ſe ex Anglico latine redditum, *pag.* libri 104, rem ita in dubio relinquit, ut certe ab Atheiſmi turpiſſimo crimine, patrem medicinæ abſolvere videatur, a qua ſtultitia ſummus FABRICIUS, de genere humano optime promeritum & ſapientiſſimum virum, in notis ad *Jo. Stephanum Bellunenſem* plane liberum pronunciat.

n) In annotationibus ad *Jo. Steph. Bellunenſis* librum modo laudatum.

o) Locus ille memorabilis, de quo tot lites, exſtat libro περὶ ἀρχῶν ἢ σαρκῶν I, 14. *ſq.* quem totum adſcribere non pigebit. Δοκέει δέ μοι, ὃ καλέομεν θερμὸν, ἀθάνατον εἶναι, καὶ νοέειν πάντα, καὶ ὁρῆν, καὶ ἀκούειν, καὶ εἰδέναι πάντα, καὶ τὰ ὄντα καὶ τὰ ἐσόμενα. Τοῦτο ἓν τὸ πλεῖστον, ὅτε ἐταράχθη, πάντα ἐξεχώρησεν ἐς τὴν ἀνωτάτω

ab Hippocrate Deum putari, (etiamsi, uno solum obtutu, & extra connexionem cum reliquis spectatus, forte in eam opinionem inducere aliquem possit;) ut non plura adhuc sint, quæ pro venerabili illo sene afferri possunt. Inter quæ primum esse hoc videtur, quod cum de rebus sublimibus se non dicturum prædixisset *p*), ignem *q*), reliquorum motorem, inter principia, ut omnia alia, ita hominem constituentia recenset; eundem vero ignem postea, tum ipso illo libro de principiis, tum primo de diæta, certis legibus adstringit, & per necessitatem a Deo positam omnia fieri, difertis verbis declarat *r*). Neque absurde dicere videre-

περιφορήν· καὶ ὀνομῆναι μοι αὐτὸ δοκέουσιν οἱ παλαιοὶ αἰθέρα· ἡ δευτέρα μοῖρα ἡ κάτωθεν αὐτῆ καλέεται μὲν γῆ, ψυχρόν καὶ ξηρὸν, καὶ πολὺ κινεῦν. καὶ ἐν τετέῳ ἐνὶ δὴ πολὺ τῷ θερμῷ· ἡ δὲ τρίτη μοῖρα, ἡ καὶ τῷ ὕδατος, μέσον χωρίον εἴληφε, θερμόν τι καὶ ὑγρὸν ἐὸν· ἡ δὲ τετάρτη, ἡ τῷ ἐγγυτάτω πρὸς τῇ γῇ, ὑγροτάτόν τε, καὶ παχύτατον. Apparet, Hippocratem quatuor elementa ex communi sententia hic ponere, cum tria ultima in libris de diæta uno nomine aquæ complectatur, & duo solum ponat, ignem nimirum & aquam.

p) Περὶ τῶν μετεώρων ἐγὼ δέομαι λέγειν, ἢν μὴ τοσοῦτον ἐς ἄνθρωπον ἀποδείξω, καὶ τὰ ἄλλα ζῶα, ὁκόσα ἔφυ καὶ ἐγένετο, καὶ ὅ, τι ψυχή ἐστὶν, καὶ ὅ, τι ὑγιαίνειν, καὶ ὅ, τι τὸ κάμνειν, καὶ ὅ, τι τὸ ἐν ἀνθρώπῳ κακὸν καὶ ἀγαθὸν, καὶ ὅθεν ἀποθνήσκει. Legere est locum hunc paulo ante illum, quem modo laudavimus, libro eodem I, 5. *seqq.*

q) Ignem vocamus, id quod Hippocrates θερμὸν, quia illud idem esse, quod τὸ πῦρ vocat *libro* I. *de diæta*, arbitramur, certe utrisque eosdem effectus videtur tribuere. De cetero, calidum inter principia rerum ab Hippocrate recenseri, non alia probatione, quam inspectione loci ipsius, qui paulo ante laudatus est, indiget.

r) In *libro de principiis* loci plures suppetunt, quibus ostendi potest igni certas leges præscribi. Ex grat. II, 2. ἀποκλείσθη τῷ θερμῷ πολὺ ἐν τῇ γῇ ἄλλοθι - - καὶ τῷ χρόνῳ ὑπὸ τῷ θερμῷ ξηραινομένης τῆς γῆς, ταῦτα καταληφθέντα περὶ αὐτὰ σπεδόνας ποιέει &c. Ita *libro* I. *de Diæta* X, 14. Τὸ πῦρ ἐκ τοῦ συμμιγέντος κινεμένῳ τῷ ὑγρῷ, διακοσμέεται τὸ σῶμα κατὰ φύσιν, διὰ τοιήνδε ἀνάγκην. Hanc ipsam vero necessitatem eodem libro VI, 24. divinam vocat. αὐτοῖσι πάντα γίνεται δι' ἀνάγκην θείην, καὶ ἃ βέλονται, καὶ μὴ βέλονται.

videretur, ſi quis ſententiam Hippocratis fuiſſe dicat, calidum illud immortale *s)* animum ipſum fieri, vel certe organum in homine evadere, per quod omnes ſenſus, cogitationes, conjecturæ peragantur, quæ nimirum pene omnia ſpiritibus ſuis tribuunt, qui ingenioſiſſimam illam & pluribus rationibus ſtabilitam, de ſpiritibus animalibus hypotheſin amplectuntur.

§. IX.

Superſunt illi loci, qui de natura, ejusque effectibus & potentia in corpore humano, magnifice ſenſiſſe Hippocratem oſtendunt *t)*, & occaſionem dedere, ut bonus ille ſenex, qui forte com-

G 2

s) Neque enim poterat calidum illud mortale dici, a viro, qui ex ſua, & communi gentilibus illius ævi philoſophia, illam naturam, qua cœlum, aſtra, & animæ ipſæ conſtant, immortalem & immutabilem arbitrabatur. Neque magis mirum videtur, Hippocratem igni ſuo, nobiliſſimæ jam ſubſtantiæ in homine, ex ejus hypotheſi, ſenſus tribuere, quos ſapientiſſimi quique ex antiquitate, aliis rebus, minus nobilibus, tribuere conſueverunt, verb. gr. HOMER. *Iliad.* V, 275.

Ζεῦ πάτερ, Ἰδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε,
Ἠελιὸς θ', ὅς πάντ', ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις
Καὶ ποταμοὶ, καὶ γαῖα - -

& SOPHOCLES apud *Gellium* 12, 11. ὁ πάνθ' ὁρῶν, καὶ πάντ' ἀκούων, πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.

t) Paucos ex illis adſcribere placet. Requirit HIPPOCRATES *Lege* II, 9. in medico aptam naturam, φύσις γὰρ ἀντιπαττούσης, κενεὰ πάντα, φύσις δὲ εἰς τὸ ἄριστον ὁδηγούσης, διδασκαλίη τέχνης γίνεται. In *præceptionibus* II, 1. *ſqq.* Ὑπολητέον ἔν, τὴν φύσιν ὑπὸ τῶν πολλῶν καὶ παντοίων πρηγμάτων κινηθῆναι τε καὶ διδαχθῆναι, βίης ὑ πειθοῦς· ἡ δὲ διάνοια, παρ' αὐτῆς λαβοῦσα, ὕστερον εἰς ἀλήθειαν ἤγαγεν. Ex iis quæ præceſſerunt apparet, ſenſum hunc eſſe, *Naturam*, i. e. ſtructuram corporis atque ſenſus, *a multis rebus non ſine violentia ſæpe moveri & doceri, mentem vero illa accepta, poſtea ad veritatem producere.* *Libro* I. *de Diæt.* XIV, 1. *ſqq.* Ἰητρικὴ τὸ λυπέον ἀπαλλάσσει, καὶ ὑφ' ἓ πονέει ἀφαιρέουσα, ὑγίεα ποιεῖ. ἡ φύσις, αὐτομάτη ταυτὰ σπίσεται· καθήμενος πονέει ἀναστῆναι, κινεύμενος

voce naturæ plerisque locis, nihil quam cauſarum efficientium *u*) complexum intellectum voluit, & naturam a Deo ornatam eſſe profeſſus eſt *x*), non agnoviſſe Deum putaretur. Et hæc quidem eo lubentius hic prætermittimus, quod tota hac ſcriptione, manifeſta religionis Hippocraticæ veſtigia apparitura ſperemus *y*), quibus adhuc prolata magis magisque confirmentur.

§. X.

His præmiſſis, proponendæ ſunt ſententiæ eorum auctorum, qui ante nos de θείῳ Hippocratico ſcripſerunt. Ante omnia vero locum,

πονέει ἀναπαύσασθαι, καὶ ἄλλα τοιαῦτα ἔχει ἡ φύσις ἰντρικῆς. Eadem plane ratione *Epidemiorum libro* VI. *ſect.* V, 1. *ſq.* dicuntur νούσων φύσιες ἰητροί. Ἀνευρίσκει ἡ φύσις αὐτὴ ἑωυτῇ τὰς ἐφόδους, ὄκ. ἐκ διανοίης, τὰ μὲν οἷον τὸ σκαρδαμύσσειν, τὰ δὲ καὶ ἡ γλῶσσα ὑπουργέει, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα, ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα, καὶ ἐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιέει. Δάκρυα, ῥινῶν ὑγρότης, πνεύματος εἴσοδος, ἔξοδος, χάσμη. Ita *de alimento* IV, 1. Φύσις dicitur ἱξαρκέει πάντα πᾶσιν. & VIII, 8. Φυσιες πάντων ἀδίδακτοι.

u) Sæpe, quin plerumque incognitarum, quæ ipſæ naſcuntur, & efficiunt aliquid per ordinem rerum omnium, primum conſtitutum; neque ex voluntate humana pendent, ſed maximam partem ex effectibus demum cognoſcuntur. Intelligentiam naturæ Hippocraticæ tribuit Ill. HALLERUS in not. ad HERM. BOERHAAV. *prælect. in Inſtit. Med. Vol. I.* §. 107, not. 4, cujus auctoritatem in dubium vocare non licet. In genere nobis videtur vox natura aſylum fuiſſe, & eſſe ſæpe etiam hodie adhuc, illorum, qui cauſas rerum reddere, vel non poterant, vel non volebant. De cetero variæ illi ſignificationes ſemper tributæ ſunt, e quibus quædam apud GORRÆUM & FOESIUM ſub titulo φύσις collectæ habentur. Ὁ χαριέσατος WERLHOFIUS, magnus domus noſtræ εὐεργέτης & Patronus, quod lætī vidimus, nobiſcum fere facit, & arbitratur, *naturam eſſe aliquam vim naturalem, quæ præter artis potentiam ordinate in humano corpore operetur, & in ſanitatem conſervandam, vel reſtituendam, congruentibus motibus tendat.* Vid. viri Cl. *cautiones medic. de limitandis laud. & vitup. medel. Hann.* 1734. *p.* 3. ubi plures aliæ, de ſignificatione vocis *naturae* ſententiæ leguntur.

x) v. §. 4. not. *e.*

y) ex gr. §. 24, 28. &c.

locum, in quo explicando potiſſimum verſati ſunt, integrum adſcribemus. Extat ille libro, quis alius eſt, genuino Prænotionum 2); verba hæc ſunt. Γνόντα οὖν χρὴ τῶν παθέων τῶν τοιουτέων τὰς φύσιας, ὑπόσον ὑπὲρ τὴν δύναμιν εἰσὶ τῶν σωμάτων· ἅμα δὲ, καὶ εἴ τι θεῖον ἔνεσι ἐν τοῖσι νούσοισι, καὶ τούτου τὴν πρόνοιαν ἐκμανθάνειν, οὕτω γὰρ θαυμάζοιτό τε δικαίως, καὶ ἰητρὸς ἀγαθὸς ἂν εἴη. Eſt enim hic ille nodus, in quo ſolvendo omnes interpretes Coi elaborarunt. Nos jam illos, qui ad manus fuere, laudabimus.

§. XI.

Cl. GALENUS, inter illos, & antiquitate, & eruditione ſua, primum locum meretur. Hic in Commentariis ſuis, ad Hippocratis prænotiones *a*), locum qui §. ſuperiori adſcriptus eſt, explicaturus, divinum Hippocratis eſſe aëris nos ambientis conſtitutionem *b*), perſuadere lectoribus ſuis conatur. Refutaverat vero antea illorum opiniones, qui propter Deorum iram hominibus accidentes morbos, qui epilepſiam, qui morbos ab amore ortos, qui *ipſorum denique criticorum dierum genus*, ab *Hippocrate* θεῖον appellatum arbitrabantur; his in primis uſus argumentis, quod Hippocrates in ſcriptis ſuis, nullius morbi cauſam in Deum transferat, verum ſideratorum etiam, & morbo ſacro laborantium affectiones, ſecundum naturam fieri dicat; & quod abſurdum ſit, ſcriptorem quemcunque commendare cognitionem rei, quam ipſe non tradiderit. Atque propter hoc melius facturos fuiſſe interpretes dicit, ſi loco ejus quod falſam Hippocrati ſententiam imputarunt, quæſiviſſent, cur Hippocrates de divino illo, in quod inquirere vult medicos, ipſe nihil tradiderit. Deinde &

2) I, 14. *ſqq.*

a) Ad manus fuit GALENI *editio*, *Baſil.* 1538. *typis* excuſa. Locus de quo ſermo eſt extat *Tom.* IV, p. 120.

b) τὴ περιέχοντος ἡμᾶς ἀέρος κατάσασιν. Neque tamen definivit GALENUS, quam aëris conſtitutionem intelligat, ſed ſi conjecturæ locus eſt, unamquamque κατάσασιν huc retulit, modo illa ad morbos generandos aliquid conferat, certe ex illis locis, qui ex ipſo Hippocrate laudantur, aliud quid intelligere non licet.

Epidemiorum libros *c*), & locum ex Aphoriſmis laudat *d*), quibus prognoſis eorum, quæ mutationes anni, tempeſtatis, ſiderum in corpore humano efficiant, traditur & commendatur medico. Inprimis vero hoc urget, in fine libri prænotionum, ſolicite ad Epidemios morbos, & temporis atque tempeſtatum conſtitutionem, medicos attendere jubere Hippocratem. Hæc nimirum in genere ſolum dicta eſſe arbitratur, ex amplis Epidemiorum commentariis, quos hic ſtatim ſubjunctos eſſe vult, fuſius petenda.

§. XII.

Hanc ſententiam GALENI, vir de bonis literis in univerſum optime meritus, JO. ALB. FABRICIUS *e*) tuitus eſt, & novis argumentis corroboravit, inter quæ non omittendum videtur, ab Hippocrate aërem maximum, in omnibus quæ corpori accidunt affectionibus, dominum dici *f*), quin ſolem, frigus, ventos expreſſis

c) Toti Epidemiorum libri pleni ſunt locis, ex quibus apparet, Hippocratem omnino ad aëris, tempeſtatum, & anni temporum mutationes attendiſſe. In primis vero notatu dignum videtur, *lib.* I, *ſect.* 3, initium, ubi morbos ex communi aliis, & unicuique propria natura cognoſci dicit, & inter alia fubiicit, ἐκ τῆς καταςάσιος ὅλης, καὶ κατὰ μέρεα τῶν ἐρανίων καὶ χώρης ἑκάςης, morborum diagnoſin formandam; Et *popularium lib.* III, *ſect.* 3, *text.* 157, præcipit oportere καταμανθάνειν ἀκριβῶς τὴν κατάςασιν τῶν ὡρέων ἑκάςην, καὶ τὸ νόσημα.

d) *Sectio tertia Aphoriſmorum* pene tota in eo verſatur, ut ea, quæ in corpore humano temporum & tempeſtatum varietate efficiuntur, diligenti obſervatione collecta, & ad certas leges redacta, proponantur. GALENUS, quædam ex *aphor.* XI. deſumta protulit, ex gr. ἢν μὲν ὁ χειμὼν ἀυχμηρὸς καὶ βόρειος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ ἔνομβρον καὶ νότιον, ἀνάγκη τῶ θέρεος πυρετὸς ὀξέας, καὶ ὀφθαλμίας, καὶ δυσεντερίας γίγνεσθαι, μάλιςα δὲ τῆσι γυναιξὶ, καὶ ἀνθρῶν τοῖσι ὑγροῖσι τὰς φύσιας, atque has, & his ſimiles obſervationes, ad prognoſin in morbis formandam facere, adeoque in his quærendum divinum Hippocraticum, arbitratur.

e) In laudatiſſimis notis ad JO. STEPHANUM BELLUNENSEM.

f) *Libro de flatibus* IV, 9. de ſpiritu ſermo eſt, qui ſi intra corpus contineatur, flatus vocetur; ſi extra, aër. ὅτῳ δὲ μέγιςος ἐςιν, ἐν ἅπασι

expreſſis verbis divina vocari *g*). Hæc ipſa vero doctiſſimorum virorum GALENI & FABRICII argumenta non uſque quaque firma eſſe, neque omni exceptione majora, vel ex eo patet, quia poſt GALENUM multi hunc locum aliter interpretari auſi ſunt: quin id ipſum, quod in primis urget magnus vir, nullum morbum Deo peculiariter adſcriptum; non minus atque illud, tradi debuiſſe, & traditas eſſe morborum divinorum prognoſes, argumentum videtur, a ſene Coo non ſolam aëris diatheſin, divinam in morbis habitam. Verum hæc quidem poſtea pluribus diſceptanda erunt.

§. XIII.

IO. FERNELIVS *h*) Hippocratem voce τὸ θεῖον, totius ſubſtantiæ morbos, & illos quidem vel ſolos, vel aliis morbis implici-

τῶν συμπτωμάτων δυνάσης: Et VI, 1. Τοῖσι θνητοῖσι ἕτος αἴτιος τοῦτε βίε, καὶ τῶν νέσων, τοῖσι νοσέεσι. & antea jam dixerat IV, 3. ἔςι δὲ μία τῶν νέσων ἀπασέων καὶ ἰδέα, καὶ αἰτίη ἡ αὐτή. Porro VI, 8. Morbi omnes inde oriri dicuntur, ſi aëris ἢ πλέον, ἢ ἔλασσον, ἢ καὶ ἀθροώτερον, καὶ μεμιασμένον νεσέροισι · μιάσμασιν, ἐς τὸ σῶμα ἐιτέλθη. Poſteriores duos locos, etiamſi a FABRICIO non laudantur, adſcripſi tamen, quia ad GALENI ſententiam omnino pertinere videbantur.

g) Extat locus libro *de morbo ſacro* XVII, 20. quem vero poſtea ad §. 27. *n.* g. laudare commodius fuerit, ubi totum illud argumentum exponitur. Huc etiam facere arbitratur FABRICIUS ea quæ Hippocrates, *libro* IV. *de morbis* XXVI, 1. τὰ ἐκ τῦ ὑρανῦ vocat, quo nomine primo adſpectu æthera intelligi putaret, ſi quis theoriam libri *de principiis & carnibus* huc transferre velit, cum tamen ex toto libro, & inprimis ex ſubſequentibus manifeſtum ſit, de caloris & frigoris mutationibus, ſermonem eſſe. Nimirum febris, ut hoc utar, originem XVII, 6. arbitratur Hippocrates, ſi aër calidior, quam oportebat, æſtate in primis, intra corpus trahatur, ventriculo adhuc antiquis cibis pleno, & novis onerato, atque inde venis repletis, calore & dolore corpori oborto.

h) Expoſuit illam, magnus vir, libro *de abditis rerum cauſis*, *Francof.* 1575. typis expreſſo *p.* 193. *ſqq.* quo libro toto, illa in primis expedienda ſibi ſumſit, quæ ab antiquis medicis divini nomine deſignata arbitrabatur.

plicitos, complexum esse putat. Totius vero substantiæ morbos, vel simplici corruptione, vel putredine constare arbitratur, quæ ipsa sæpe ex manifesta, sæpe etiam ex occulta causa originem habeant. Et inter has occultas causas refert etiam aëris constitutionem, non generalem illam, quam a GALENO indicari superius dictum est, verum morbidam aliquam excretionem *i*), in aëre hærentem, toti nostræ substantiæ infensam, quæ nulla cogitatione nullo sensu cognosci possit. Hanc esse divinum Hippocratis arbitratur, & hanc etiam GALENI sententiam fuisse ponit, atque adeo, cum totam morborum totius substantiæ classem, tum causam illorum specialem in aere hærentem, ab Hippocrate divinas appellatas existimat. Et habet consentientem Io. GORRAEUM *k*), qui & ipse latentius aliquid, cognituque difficilius ab Hippocrate intelligi putat, proprietate totius substantiæ nobis infensum, in aëris & alimentorum natura hærens, morbisque epidemicis generandis aptum: nimirum quod a Deo vel a cœlo ad nos veniat, Dei instar magnum & admirabile sit, & a causa oriatur, nullo sensu assequenda.

§. XIV.

Aliter aliquantum sentit HIERONYMUS MERCURIALIS *l*), & illud, quod divinum vocat Hippocrates, in aëre quidem quærendum esse cum GALENO arbitratur, sed a cœlo oriri credit, quod in aërem ipsum qualitates benignas aut noxias imprimere existimat, eadem plane ratione, ac ceteris corporibus terrenis reconditas qualitates largiatur. Hanc igitur constitutionem, & qualitatem aëris occultam, ab Hippocrate divini nomine appellatam

i) Νοσηρὴν ἀπόκρισιν, quam in aëre hærere, & morborum epidemiorum causam esse, affirmat Hippocrates libro *de natura humana* XIX, 3. & propter hoc aërem, vel pauciſſimum admittere, vel plane mutare jubet.

k) *In definitionibus medicis Francof.* 1678. editis, voce Θεῖον. FRANC. VALLERIOLÆ eandem fuisse sententiam, ex JORDANO, de quo vid. §. 15. didicimus.

l) *In prælectionibus de Pestilentia habitis, Patavii an.* 1577, quæ extant in Opusculis viri *Venetiis* 1644. conjunctim editis.

tam putat. Neque huic convenit opinio ANUTII FOESII *m*), qui divini nomine Hippocratem ſæpe ipſam divinam naturam, humanorum cauſam præcipuam, hic vero ea, quæ a Deo ſunt, & quorum cauſam aſſequi non poſſis, comprehendiſſe dicit.

§. XV.

PROSPER MARTIANUS *n*) per divinum in morbis, aliquid ex aëris conſtitutione, aut a cœlo ipſo pendens, ab Hippocrate indicari credit, a quo deinde morbi epidemici, & in illis monſtroſiſſimi effectus, ordinarias morborum leges deſerentes, ſubnaſcantur. Et hæc quidem in Commentario ad prænotiones *o*) proponit: verum ad alterum locum *p*), quo Cous divinum morborum muliebrium cauſam primam dicit, bonum ſenem morbos a malis dæmonibus & diis inferis, ſceleſtorum hominum veneficio, concedente Deo, immiſſos, divinos appellaſſe arbitratur; & hoc quidem illo argumento, quod libro de inſomniis *q*) diis inferis ſupplicari præcipiat, ut malum avertant, dæmonum vero præſtigiæ, *ad hanc usque diem in feminis inprimis frequenter obſerventur*. MELCHIOR SEBIZIUS *r*) & HIERONYMUS JORDANUS *s*) intelligi putant ea, quæ adeo abſtruſa, abdita & arcana ſunt,

m) Viri de Hippocrate optime promeriti, in *Oeconomia Hippocratica* voce Θεῖον, *p.* 163. *ed. Genev.* 1662. propoſita.

n) Titulus libri, ex quo hæc deſumta ſunt, eſt, *Magnus Hippocrates Cous, Proſp. Martiani medici Romani notationibus explicatus. Rom.* 1626.

o) pag. libri 479.

p) Qui totus adſcriptus eſt §. 33. in *Commentario ad libram de muliebri natura p.* 233.

q) Verba inferius ad §. 34. adjecta ſunt.

r) Peculiari *diſſ. de* Θείῳ, ſive *divino Hippocratis ed. Argent.* 1643, quæ *illud inprimis proprium* habet, quod Hippocratis argumenta, in ſyllogiſmorum forma proponuntur, morbi etiam quidam & medicamenta recenſentur, & quid in illis divinum ſit, oſtenditur.

s) Phyſicus Gottingenſis, *de eo quod divinum eſt, aut ſupra naturam in morbis humani corporis contingit, ejusque curatione*, librum ſcripſit, editum *Francofurti* 1651, cujus pag. 17. *ſqq.* etiam divinum Hippocratis

ſunt, ut nec ſenſuum beneficio, nec ope rationis inveſtigari poſſint: ſive ea lateant in ipſis affectionibus, ſive cauſis eorum, & oriantur, vel a principio Phyſico occulto, vel ab alio naturæ vires excedente. Huc tamen etiam referunt, morbos cognitu difficiles, propter ſymptomata ſtuporis & admirationis plena.

§. XVI.

Jo. Stephanus *t*) Bellunenſis arbitratur, Hippocratem illo ipſo loco, quo divinum morbis ineſſe dicit, ignorantiam ſuam eſſe profeſſum, & forte aliquid occultum, vel inexplicabile, vel cœleſte & a Deo profectum illa voce indicaſſe. Franciscus Ranchinus *u*) divinum Hippocraticum a Deo ipſo derivat, & morbos a Deo inflictos, ab Hippocrate divinos appellatos putat, ita tamen, ut dæmones ſæpe cauſam ſecundariam eſſe, & aëris, ventorum, & temporum conditionem improprie eodem pertinere credat.

§. XVII.

Georgius Wolffgang Wedelius *x*) divinum in morbis ab Hippocrate dictum putat, ſi citra regulam aliquid eveniat, & plures indifferenter eodem morbo corripiantur, quibus omina in morbis contingentia adjicit, morbos magicos vero plane ex divinorum claſſe excludit. Et hanc ſententiam etiam Jo. Andr. Schmidius *y*) ſua auctoritate confirmat.

§. XVIII.

tangit, & poſt varias de eo variorum auctorum ſententias prolatas, Melch. Sebizii opinionem adoptat.

t) *In Theologia Hippocratis*, quæ jam aliquoties laudata eſt. Extat vero locus hic Fabricii *Biblioth. Græc. Tom.* XIII. *p.* 235.

u) *Pathologiæ univerſalis Sect.* II. *c.* 5. *edit. Lugdun.* 1627. *p.* 98.

x) Propoſuit hanc ſententiam, pauciſſimis verbis, in peculiari ſcriptiuncula, quam honoris cauſa adjecit ad *diſſertationem de morbis a faſcino, a Frid. Kæſeberg Jen.* 1682. publice diſputatam.

y) In *diſſert. de Theologia Hippocratis, Jenæ* 1691. *a Jo. Henr. Schmidio* publice defenſa.

§. XVIII.

DANIEL CLERICUS z) Hippocratem, cum divini in morbis mentionem facit in prænotionibus, ad Aſtrologorum dogmata reſpexiſſe ſuſpicatur, quia partim rerum cœleſtium influxum in corpora humana Cous ſtatuere aliunde videatur *a)*, partim GALENI ſententia non ſatis firma ſit; cum GALENUS vel ſimplices aëris conſtitutiones intellectas velit *b)*, vel ut commentatores ipſius interpretati ſint, occultas & corpori humano noxias: Hippocrates autem ſæpe quidem ad conſtitutiones aëris provocet, verum ipſos adeo morbos peſtilentes ad ordinarias ſolum diatheſes, ad frigus, calorem, ſiccitatem, & humiditatem referat, neque quidquam dicat de qualitatibus occultis atque peculiaribus aëris, unde tamen morbos divinos oriri arbitrentur, & ſi dicat aliquid, non magis explicet, quid intelligi velit, quam quomodo Aſtrorum influxus in rebus terreſtribus, & corpore humano aliquid mutare poſſit. Aërem vero Hippocrati eſſe cauſam maxime generalem omnium morborum, arbitratur.

§. XIX.

Reſtat unicus recentiſſimus auctor commemorandus, quem honoris & reverentiæ cauſa nominamus, JO. HENR. SCHULTZIUS. Hic in Hiſtoria Medicinæ, libro qualem a tanto viro

 expectes,

z) *Hiſt. Med. Tom. I. lib. III. c. 4. p.* 189. *edit. Amſtel.* 1702.

a) Etiamſi negandum non ſit, Hippocratem ſæpe rerum Aſtrologicarum cognitionem medico commendare, cum inter alia ſiderum obſervationem, multum ad præſagiendos morbos conferre, libro *de aëribus aquis & locis* profiteatur, ſi nimirum cognitioni ceterarum rerum, quas ibi requirit, adjungatur, (v. §. 29.) ille tamen locus, quo inprimis ad ſententiam ſuam confirmandam utitur CLERICUS, ex *lib. IV. de morbis* ſumtus, ἵν᾽ τὰ ἐκ τοῦ ἀέρος ἀνεπιτήδεια ἔιη, vix ad Aſtrorum vim declarandam ſpectare videtur, quod ſupra ad §. 12. jam uberius aliquantum explicatum eſt.

b) Hanc vero fuiſſe GALENI ſententiam CLERICUS arbitratur. Ceterum τὸ Θεῖον Hippocratis JO. LUDOV. HANEMANNUS de morbis aſtralibus & ipſe explicat, in libro, quem *ſpiritum univerſalem mundo reſtitutum* vocavit, §. 30. p. 59.

expectes *c*), locis, qui exſtant libris de morbo ſacro, itemque de aëre, aquis, & locis, plane negat ab Hippocrate morbos Deo adſcribi; fidem porro illius loci, qui libro de natura muliebri continetur, ſuſpectam reddit; & de θείῳ, quod in prænotionibus memoratur, ita ſentit, vel dicendum eſſe Hippocratem prænotiones illas juvenem ſcripſiſſe, deinceps vero mentem mutaſſe; vel cum Galeno intelligendam, divini nomine peculiarem aëris nobis circumfuſi conſtitutionem morboſam.

§. XX.

Divinum igitur Hippocraticum *d*), ut ea, quæ adhuc fuſius dicta ſunt, ad ſumma capita, quantum ejus fieri poteſt, redigamus, quidam in aëris conſtitutione quacunque, modo illa ad morbos excitandos apta ſit, collocarunt: *e*) alii eſſe illud latentius aliquid, cognituque difficilius, in aëre & alimentis hærens, toti ſubſtantiæ noſtræ adverſum, ſuſpicati ſunt *f*): fuere, qui illud in aëre quidem ponerent, verum a cœlo, vel ſideribus oriri, & morbis epidemiis progignendis aptum eſſe, arbitrarentur *g*): alii, illa quæ adeo abſtruſa ſunt in morbis & cauſis eorum, ut neque ſenſuum nec rationis ope intelligi poſſint, divini nomine Hippocrati intellecta voluerunt *h*): quibus proxime accedunt, qui ea, quæ extra ordinem in morbis eveniunt, huc retulere *i*): fuere denique

c) *Per. I. ſect. III. cap.* 3. §. 11. *ſeqq.*

d) Hippocraticum diximus, ne quis miretur de divino in univerſum, quod in morbis, eorumque cauſis & curatione obtinet, nullas ſententias auctorum allatas, quæ vel ex Fernelio, Sebizio, Wierο, (Jo. Wierus *de præſtigiis dæmonum, de lamiis* &c. in operibus conjunctim editis *Amſt.* 1660.) Jordano facili opera ſuppeditari potuiſſent, niſi inſtituti noſtri, & temporis ratio illa omnia plane excluderet, & in Hippocratico divino ſubſiſtere juberet. Ita ſententias de Θείῳ, a Galeno jam refutatas repetere inutile, viſum eſt.

e) Galenus, Fabricius, Schulzius.

f) Fernelius, Valleriola, Gorræus.

g) Mercurialis, Martianus, Clericus, Hanemannus.

h) Sebizius, Jordanus, Stephanus, Fœſius.

i) Wedelius, Schmidius.

denique, qui divinum Hippocraticum a Deo ipſo dirivarent *k*): ut taceamus illos, qui morbos a magis inductos hic admiſcuerunt *l*).

§. XXI.

Nobis videtur Hippocrates, opera naturæ in univerſum omnia, & inprimis in illis morbos omnes, divinos, & putaſſe, & etiam aliquoties vocaſſe. Verum quamdiu cauſam aliquam illorum aſſignare poterat, quamdiu omnia ordinarium decurſum, a ſe ex pluribus obſervatis definitum, ſervare videbat, non erat opus homini Philoſopho, cauſam primariam omnium rerum ſemper indicare, cum ſecundæ ſuppeterent: ſufficiebat has indicaſſe, illa ſubintellecta *m*). Ubi vero extra ordinem aliquid accidere obſervabat, ubi cauſa magis ipſum fugiebat, in illis ad primariam cauſam tantiſper recurrebat, donec vel ſæpius obſervatum eſſet, & leges conſtitui poſſent, vel inventæ eſſent cauſæ, quæ non minus quidem divinos redderent morbos, ſed efficerent tamen, ut non amplius divini vocarentur *n*). Divina igitur erunt Hippocrati, Deus ipſe, ejusque opera; deinde preces ad Deum; & morbi omnes, tum ordine conſueto, tum inprimis extra ordinem evenientes *o*), qui ultimi, a quacunque demum cauſa orti eſſe poſſunt, dummodo illa incognita videatur.

k) Jorræus, Stephanus, Fœſius, Ranchinus.

l) Martianus, Ranchinus.

m) Non magis atque hodie vitio verteretur homini Phyſico, ſi in illis rebus, quarum cauſæ cognitæ, vel quarum certe leges ſtabilitæ ſunt, his omiſſis ad Deum ſemper refugeret, etiamſi nemo illum rerum omnium auctorem temere negarit. Verum tum demum confugiunt eo omnes, cum aliquid contra leges poſitas, cujus cauſam ex cognitis aſſignare non poſſunt, evenire vident, etiamſi poſtea non minus cauſas ejus deprehendere, vel certe leges ſtabilire ſtudeant.

n) Fruſtra ſæpe hoc tentari, rei ipſius natura docet, neque tamen ea res pulcherrimum ſtudium retundere debet.

o) Priores ſignificationes convenire locis ceteris, ultimam iſti, qui in prænotionibus extat, & de quo proprie ſermo eſt, nobis non monentibus apparebit, ſumiturque hoc ultimo loco vox ſubſtantive, quod vocant, in ceteris adjectivi notionem habet, niſi ubi Deum ipſum & ſupplicationes ſignificat.

§. XXII.

Et hæc noſtra ſententia, ipſis verbis & dogmatibus Hippocratis, clarior reddenda erit. Jam primum illud monere juvat, nullam ab ea antiquiorem opinionem plane excludi, ſed ampliſſimis terminis pene omnia hic contineri, quæ paulo ante (§. 20.) adlata ſunt. Nimirum ſi divinum ita intelligas, ut a nobis intelligi dictum eſt, poterit illud ab omnibus cauſis oriri, modo illæ ſint occultæ, & non intellectæ medico; poterit in omnibus morbis obtinere, modo illorum eventuum, qui divini erant, natura nondum recte intellecta & obſervata videatur. Verum hæc partim per ſe ſtatim animo legentium occurrunt; partim poſtea amplius aliquantum exponentur. Interim jucundum eſt, quod moleſtum legentibus pariter, atque ſcribenti opus, removendi aliorum ſententias magnam partem ita compendi factum eſt, & nihil agendum reſtat, quam ut omnia, quæ ad noſtram ſententiam confirmandam faciunt, commemorentur.

§. XXIII.

Unum tamen adhuc monendum eſt, vocem θεῖον, præter has ſignificationes, ſulphur etiam Hippocrati indicare *p*), quod etiamſi omnibus notum ſit, tamen vel ideo adjectum eſt, ne omiſiſſe ſignificationem vocis argui poſſemus *q*). Fuiſſe vero, qui hac ipſa forte ſignificatione inducti, illa, quæ in morbis divina Hippocrates appellat, a ſulphureo principio oriri dicerent, ex Jordano *r*) conſtat. Neque videntur plane abſurda & inepta poſuiſſe,

p) Forte, quod illud ad religioſos cultus adhiberent veteres, ut ex omni antiquitate relicta monumenta, nimis manifeſto docent. Hoc vero etiam ex Hippocratis ſcriptis eluceſcere ſequens ſectio docebit.

q) Unam adhuc ſignificationem, qua ὁ Θεῖος patruum notat, unde forte Italorum *Zio* ortum, omiſimus, quod in Hippocrate legendo illam nobis obſervatam non meminerimus.

r) Verba Jordani, quæ exſtant libri jam ſupra laudati p. 18. hæc ſunt: *Denique neſcio quis Chemicorum hoc Θείῳ Hippocratico morbos ſulphureos, quas illa gens vocat, inepte ſtabilire ſategit*, & non ita multo poſt *p.* 2. *de inepto Chemico ſulphure, non eſt quod verbulum addam.*

poſuiſſe, cum non conſtet, an non ſulphur ſit, vel oleoſum principium, in aëre, ceterisque rebus hærens, quod contagium, ipſosque morbos epidemicos creet: hoc certe negari non poſſit, ab oleo in corpore humano, inprimis ſi vi febris acrimoniam contraxerit, maxime anomala ſymptomata poſſe excitari, quæ Hippocratem pro divinis habuiſſe, mirum non eſſet. Hæc tamen non attulimus, quo cauſa illa defendi poſſe videatur, quam non aliunde, quam ex JORDANO cognitam habemus, & ab Hippocraticis effatis ita alienam putamus, ut forte ne cogitaſſe quidem Hippocratem, de hoc morborum genere divino appellando arbitremur: verum mentio ejus injecta eſt, quod iniquum videretur ineptiarum accuſari hominem, qui certe ſanum aliquid, & de cetero ad rem explicandam aptum, protulerit, etiamſi ſint, quæ impediant, quominus ſententia illius locum habeat.

§. XXIV.

Proponere jam placet locum Hippocratis, in quo τὸ θεῖον ſulphuris notionem requirere videtur, ut & exemplum exſtet illius ſignificationis, & ſententia Hippocratis, minus recte adhuc explicata ab interpretibus, reddatur dilucidior. Habetur ille libro de morbo ſacro s), quo quidem ſcripto, Hippocrates, queſtus de illorum hominum impudentia, qui variis incantamentorum generibus audeant medelam morbis facere, quos tamen a diis immiſſos dicant; Ipſe ægros ad templa potius deferri, diis ſupplicari, & ab his curationem expectari ſuadet, ſi quidem ab illis morbos immiſſos arbitrentur. Denique, *non tamen*, inquit, *exiſtimo, a Deo hominis corpus inquinari, ſordidiſſimum a puriſſimo: Ceterum etiamſi forte ab alio commaculatum aut adfectum ſit, a Deo purgari & expiari malit, quam inquinari; & ea de cauſa maxima*

s) IV, 45. ſqq. Verba, quæ huc inprimis ſpectant, hæc ſunt. Τὰ γὰρ μέγιστα τῶν ἁμαρτημάτων καὶ ἀνοσιώτατα τὸ θεῖον ἐξι τὸ καθαίρον, καὶ ἁγνίζον; καὶ ἔρυμα γενόμενον ἡμῖν; quæ ſi de Deo ſimpliciter & proxime intelligenda ſunt, Hippocrates præcedentem ſententiam, non confirmavit, ſed otioſe repetiit.

maxima & impuriſſima peccata purgans & purificans τὸ θεῖον i. e. ſulphur *eſt, perfugium factum nobis; Ipſi nos terminos diis templorum ſacrorumque deſignamus, quos nemo niſi purus tranſeat, intrantes vero adſpergimur, non ut inquinemur, ſed ſi quid prius habeamus ſceleris, ut ab eo purificemur.* Omnes interpretes, qui ad manum fuere, per τὸ θεῖον Deum ipſum intelligi rati, ſenſum obſcuriſſimum reddidere, quem, patre optimo primum monente ſulphur hic intelligendum, expeditiorem factum, atque magis rei ipſi, & fidei antiquitatis convenientem, conſiderantibus apparebit. Nobis exemplum hujus θείε dediſſe ſufficit.

§. XXV.

Jam feſtinantes ad reliquas ejus ſignificationes, primum quidem locos, qui oſtendunt ex Hippocratis ſententia morbos omnes a Deo pendere, & ideo divinos illi eſſe, proferemus, ut ex illis deinde firmiore pede, ad alterum divinum in morbis, quod libro prænotionum lectoribus ſuis commendat Cous, progredi liceat. Initium autem fiet, enarrandis breviſſime iis, quæ pluribus de morbo ſacro profert optimus ſenex, ut & appareat, an ſententia viri bene intellecta ſit, & ex illis ea, quæ inprimis ad rem noſtram facere videbuntur, elici poſſint.

§. XXVI.

Invaluerat nimirum ante Hippocratis tempora inter homines communis opinio, epilepſiam ab ipſo Deo hominibus infligi, neque proinde remediis ordinariis curari poſſe. Opinionem vero hanc primi induxerant, & fovebant poſtea, illi, qui curationem certam promittere non auſi, in Deum culpam rejicere, & certis Diis certos morborum effectus tribuere, quam profiteri ignorantiam ſuam *t)* malebant, & credulitate aliorum abuſi, præſcribebant

t) Adſcribendus eſſet fere totus liber *de morbo ſacro*, ſi omnia, quæ huc pertinent, afferri deberent. Verum hoc quidem minus neceſſarium videtur, & præcipua ſolum loca indicaſſe ſuffecerit, adſcriptis pauciſſimis, quæ ad rem inprimis facere videbuntur. Hæc quæ adhuc dicta ſunt, in-

bant quidem illa, quæ profutura putarent, & ab iis, quæ nocere animadvertiſſent, ægros iubebant abſtinere *u*), verum ſummam curationis in expiamentis & incantationibus variis collocabant *x*), & ita efficiebant, ut ſi male ceſſiſſet res, ipſi, qui nulla remedia præſcripſiſſent, culpa, quam in Deum reiiciebant, vacare putarentur; ſi bene, ipſorum arti ſanatio tribueretur *y*).

§. XXVII.

Hippocrates vero pro ingenii ſui acumine, & cognitione eorum, quæ inter homines fieri ſolebant, facile fraudes horum homi-

primis exſtant II, 1, *ſqq.* & III, 38, *ſqq.* En verba II, 1, *ſqq.* Ἐμοὶ δὲ δοκέουσιν οἱ πρῶτοι τοῦτο νόσημα ἀφιερώσαντες, τοιοῦτοι εἶναι ἄνθρωποι, οἷοι καὶ νῦν εἰσὶ μάγοι τε καὶ καθάρται, καὶ ἀγύρται, καὶ ἀλαζόνες, ὁκόσοι δὴ προσποιέονται σφόδρα θεοσεβέες εἶναι, καὶ πλέον τι εἰδέναι· ἔτοι τοίνυν παραμπεχόμενοι καὶ προβαλλόμενοι τὸ θεῖον τῆς ἀμηχανίης, τὸ μὴ ἴσχειν ὅ, τι προσενέγκαντες ὠφελήσουσιν, ὡς μὴ κατάδηλοι ἔωσιν ἐόντες ἄπρηκτοι, ἱερὰν ἐνόμισαν τοῦτο τὸ πάθημα εἶναι. &c.

u) II, 7. *ſqq.* III, 1, *ſqq.* Ex. gratia, præceperunt a carnibus ſuillis, caprinis, cervinis, caninis, diverſis piſcium generibus, ab avibus quibusdam, inter quas etiam gallum poſuerunt, a mentha denique, allio & caepis abſtinendum, non incubandum pellibus caprinis non ponendum pedem in pede, in manu manum, pallium nigrum non habendum, & id genus alia, quæ quidem omnia, partim curationem inpedire Hippocrates arbitratur, partim religionis cauſa adjecta.

x) III, 45. *ſqq.* Καθαίρουσι γαρ τὰς ἐχομένας τῇ νόσῳ ἄιμασι καὶ τοῖσι τοιούτοισι μιάσμασιν, ἔχοντας ἢ ἀλάσορας· ἢ πεφαρμαγμένας ὑπὸ ἀνθρώπων, ἢ τι ἔργον ἀνόσιον εἰργασμένας. - - - καὶ τὰ μὲν τῶν καθαρμῶν γῇ κρύπτουσι, τὰ δὲ ἐς θάλασσαν ἐμβάλλουσι, τὰ δὲ ἐς τὰ ὄρεα ἀποφέρουσι, ὅπη μηδεὶς ἅψηται, μηδὲ ἐπιβήσηται. Sequuntur jam quæ §. 24. allata ſunt. De cetero eandem fabulam hodie adhuc, etiamſi alio nomine, ab imperitis ſæpe agi, certum eſt, qui febres intermittentes, arthridites, ipſam epilepſiam non minus abſurdis remediis, curaturos ſe promittunt.

y) [II, 1, *ſqq.* Non adſcripſimus Græca, quia nihil continere videntur, quod non jam Latine dictum ſit.

hominum, ut in aliis rebus z), ita hic in primis perſpexit, atque curationem ſolidiorem *a*), & a ſuperſtitione certe vacuam, in libris ſuis tradidit, ingenue profeſſus, ſi quid medici cognitionem, vel potentiam ſuperare videretur *b*). Verum ut eſſent, qui curari vellent, auferenda erat ante omnia inveterata illorum opinio, quibus iam perſuaſum & firmiter animis infixum erat, nulla omnino remedia, præter incantamenta, quidquam ad hunc morbum, a Deo videlicet immiſſum, valere. Hoc ita perficere conatus eſt, ut partim artificia & fraudes incantatorum illorum apertiſſime deſcriberet *c*); partim epilepſiam nulla re diuiniorem eſſe aliis morbis *(d)* oſtenderet, cum a cauſis naturalibus oriatur

z) Exemplo ſit *liber de virginum morbis*, quo Hippocrates, cum harum affectionum cauſas, ſigna, effectus, curationem tradidiſſet, libere II, 30 dicit, ſi a deliriis hyſtericis reſipiſcant virgines τῇ Ἀρτέμιδι αἱ γυναῖκες ἄλλα τε πολλὰ, ἀλλὰ δὴ καὶ πολυτελέςατα τῶν ἱματίων καθιεροῦσι τῶν γυναικείων, κελευόντων τῶν μάντεων, ἐξαπατεώμεναι. Haec vatum myſteria, pro more horum hominum ſollicitiſſime peplo religionis occultata, detegere, magni ingenii & audaciae fuit, & vel ideo maxima Hippocrates veneratione dignus videtur.

a) Diximus ſolidiorem curationem. Nam theorias, vt Graeco, ſed commodo tamen vocabulo vti liceat, quas ad hunc morbum, cum hoc ſcripto, tum *libro de flatibus* affert, noſtro quidem ſeculo, poſt circulum ſanguinis ab immortali HARVEO in plena luce collocatum, nemo ſolidas eſſe dixerit, etiamſi multa in iis veriſſima eſſe, & hodiernis etiam experimentis conſtare, certum ſit. Verum ſingula examinare, non huius loci eſt.

b) De *morbo ſacro liber* fere totus in theoria morbi ſola occupatur, curatione pene omiſſa, neque adeo in illo aliquis diſtinctionem inter ſpecies affectionis, quæ curari poſſint, quæ minus, aut ipſam curationem expectabit. Ne tamen precario candorem Hippocratis laudaſſe videamur, *Prædictorum libr.* II, *cap.* XVI, inſpici rogamus. Quamvis etiam *libro de morbo ſacro* paſſim interſperſa ſint practica, ut vix caput ſit, quo non aliquid, quod huc referendum videatur, reperias. Vid. ex. grat. totum c. IX, & huius §. *not. e*, & g.

c) Hæc quidem §. ſuperiore iam expoſita ſunt.

d) Totum I caput libri, in quo verſamur huc referendum videtur: in illo enim Cous morbum ſacrum nihilo diviniorem ſibi videri, quam reliquos morbos omnes, neque natura ab aliis illum ſe diverſum putare, dicit; verum homines in eam opinionem veniſſe, quod & minus experti ef-

oriatur *e)*, a procatarcticis ordinariis exciteturque (*f*), & medicationem

ſent, in morborum natura explicanda; & admiratione morbi, qui nihil ſimile reliquis haberet, perculſi. Pergit porro *καὶ τὸ θεῖον αὐτῇ διασῴζεται, κατὰ τὴν ἀπορίην αὐτοῖσι τῷ μὴ γιγνώσκειν, κατὰ δὲ τὴν εὐπορίην τῷ τρόπῳ τῆς ἐήσι@.* (Ita enim disjecta verba colligenda, omiſſo *ἰῶνται*, quod ab aliquo, dilucidorem reddituro difficilem ſibi, vel minus intellectam, conſtructionem, infarctum videtur, ſuadet & expedita ita ſententia, & parentis optimi auctoritas.) Admiratione vero non divinum reddi morbum, eo probat, quod ſint multi morbi non minus illi quidem mirabiles, & portentoſi, quos nemo divinos cenſet. Febres tertianas & quartanas exempli loco affert, qui morbi *οὐδὲν ἧσσον δοκέουσιν ἱεροὶ εἶναι, καὶ ὑπὸ θεῦ γίνεσθαι, ταύτης τῆς νόσου, καὶ οὐ θαυμάσιον ἔχωσι.* Eodem argumento utitur CICERO *de Nat. Deor.* II, 10. *Vide quæſo, ſi omnes motus, omniaque, quæ certis temporibus ordinem ſuum conſervant, divina ducimus, ne tertianas quidem febres, & quartanas divinas eſſe dicendum ſit, quarum reverſione & motu, quid poteſt eſſe conſtantius? ſed omnium talium rerum ratio reddenda eſt.* Ita furores etiam, deliria, ploratus dormientium & clamores, a nullo manifeſto principio orta, & mox tranſitura ſæpe tamen obſervata, non minus mirabilia videri ſubjungit, quæ tamen nemo divina dicat. Similis huic locus exſtat V, 1, *ſqq.* quo Hippocrates diviniorem epilepſiam eſſe ceteris morbis, ideo in primis negat, quod naturam eandem, & easdem cauſas habeat, quas reliqui omnes. Τὸ θεῖον i. e. ſacrum *τοῦτο, φύσιν καὶ προφασιν ἀπὸ ταὐτοῦ γίνεσθαι, ἀφ' ὅτου καὶ τἄλλα πάντα.* (Coordinavimus verba aliter aliquantum, quam Hippocrates, ut ſenſus fieret expeditior, quem interpretes, per τὸ θεῖον Deum ipſum intelligi rati, obſcurum reddiderunt.) *καὶ ἱητὸν εἶναι καὶ οὐδὲν ἧσσον ἑτέρων, ὅτι μὴ ἤδη ὑπὸ χρόνου πολλοῦ καταβεβιασμένον ἔη, ὥστε ἤδη εἶναι ἰσχυρότερον τῶν φαρμάκων τῶν προσφερομένων. Ἄρχεται δὲ ὥσπερ τἄλλα νοσήματα κατὰ γέν@.* Εἰ γὰρ ἐκ τοῦ φλεγματώδεος &c. quæ hic adſcribere longum & inutile fuerit, cum a volentibus omnia ſcire, e loco qui ſupra indicatus eſt, peti poſſint.

e) Elegantiſſimus locus huc faciens legitur III, 9. Dixerat antea homines, qui incantamentis utantur, varia ſuadere & diſſuadere, in primis carnium caprinarum uſu interdicere epilepticis. (quod §. ſuperiore dictum eſt,) & ideo Africanos populos in primis epilepſia affligi opportere, ſi quidem hæc ad epilepſiam aliquid faciant, quod illi pene omnia ex pellibus ca-

rionem qualem alii morbi admittat *g*); partim illos homines manifeſtæ impietatis convinceret *h*).

§. XXVIII.

prinis habeant, caprina quotidie pene veſcantur. His ſubjungit. Εἰ δὲ ταῦτα προσφερόμενα καὶ ἐθιόμενα τὴν νοῦσον τίκτει τε καὶ αὔξει, καὶ μὴ ἐθιόμενα ἴηται, οὐκ ἔστιν ὁ θεὸς αἴτιος οὐδενὸς, οὐδὲ οἱ καθαρμοὶ ὠφελέουσιν, ἀλλὰ τὰ ἐδέσματα τὰ ἰώμενά τε καὶ βλάπτοντα· τῇ δὲ θείῃ ἀφανίζεται ἡ δύναμις. ὅτως ἔν ἐμοί γε δοκέουσιν, οἵ τινες τούτῳ τῷ τρόπῳ ἐγχειρέουσιν ἰῆσθαι ταῦτα τὰ νοσήματα, ὅτε ἱερὰ νομίζειν εἶναι, ὅτε θεῖα. &c. Contradiceret hic locus pluribus aliis, niſi τὸ θεῖον ita intelligas, ut Coi ævo ab vulgo hominum intellectum eſt, nimirum a Deo proxime ortum quid, nulla remedia admittens; contra hoc enim ſolum hic diſputat Hippocrates, & morbos omnes a Deo eſſe, aliis locis nimis manifeſte profitetur. Vid. libri in quo verſamur, *de morbo ſacro* I, II, vel *not. e.* Verum cauſas naturales morbi a capite inde VI, ad finem usque tradit, quam veras non diſputamus, quas in primis a cerebro pituita impleto derivat, quæ aërem per corpus diſcurrentem excludat. Singula adſcribere longum foret. Notatu tamen dignum videtur experimentum anatomicum in capris epilepticis inſtitutum, quorum cerebrum humore fœtido plenum deprehendit Hippocrates: hoc vero in hominibus etiam ita ſe habere putat, & hinc non Deum, ſed morbum eſſe, qui epilepticos affligat. *vid. c.* XIII, 10. *ſqq.* Neque vero illud omittendum eſt, quod V, 10, extat. ἕτερον μέγα τεκμήριον, ὅτι οὐδὲν θειότερον ἐστὶ τῶν λοιπῶν νοσημάτων· τοῖσι γὰρ φλεγματώδεσι, φύσει γίνεται, τοῖσι δὲ χολώδεσι οὐ προσπίπτει, καὶ τοι, εἰ θειότερον ἐστὶ τῶν ἄλλων, τοῖσιν ἅπασιν ὁμοίως ἔδει γίνεσθαι τὴν νοῦσον ταύτην, καὶ μὴ διακρίνειν, μήτε χολώδεα μήτε φλεγματώδεα· ἀλλὰ γὰρ αὐτοῖσιν αἴτιόν ὁ ἐγκέφαλον τοῦτο τῷ πάθεϊ, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων νοσημάτων τῶν μεγίστων.

f) XVII, 20, *ſqq.* Αὕτη δὲ ἡ νοῦσος ἡ ἱερὴ καλεομένη ἀπὸ τῶν αὐτῶν προφάσιων γίνεται, ἀφ' ὧν καὶ αἱ λοιπαὶ, ἀπὸ τῶν προσιόντων καὶ ἀπιόντων, οἷον ψύξιος, ἡλίου, πνευμάτων, μεταβαλλομένων τε καὶ μηδέποτε ἀτρεμιζόντων, ταῦτα δὲ ἔστὶ, θεῖα, ὥστε μηδὲν διακρίνοντα τὸ νόσημα θειότερον τῶν λοιπῶν νοσημάτων νομίζειν, ἀλλὰ πάντα θεῖα, καὶ ἀνθρώπινα πάντα. Hoc ſolum adſcribere viſum eſt, plurima quæ huc faciunt, paſſim exſtant; e g. totum caput XV. huc referendum videtur. Ceterum de cauſis procatarcticis morbi, hic agi, cum remotas in temperie pituitoſa & cerebro male affecto collocaſſet Cous, facile apparet.

§. XXVIII.

Et hæc quidem, quæ adhuc prolata ſunt, contra noſtram ſententiam facere quibusdam videbuntur, certe ad verba ipſius Hippocratis minus attendentibus proclive eſſet in eam ſententiam venire, Coum Deo omnes effectus in corpus humanum denegaſſe. Verum ſalva res eſt, & vel ideo ea, quæ Hippocrates plurimis illo libro exponit, quam potuit pauciſſimis adſcripta ſunt, & Hippocratis verba, quæ maxime huc facere videbantur, adiecta, ut inde, quis ſcopus fuerit magni viri, appareret, & tota rei connexione perſpecta, iudicent lectores, an erroris accuſandi ſint, ſi qui hic ita ſentire Hippocratem dicant, a Deo quidem, puriſſima natura, neminem inquinari, quin purgationem a ſordibus corporis,

g) Huc jure ſuo referuntur ea quæ *not. f*, hujus §. ex III, 9, *ſqq.* jam adſcripta ſunt. Verum ſunt & alia plura, quæ hic locum merentur, ut hoc utar XVIII, 38. ὅστις δὲ ἐπίσαται ἐν ἀνθρώποις τὴν τοιαύτην μεταβολὴν, καὶ δύναται ὑγρὸν καὶ ξυρὸν ποιέειν, καὶ θερμὸν καὶ ψυχρὸν ὑπὸ διαίτης τὸν ἄνθρωπον, ἔτος καὶ ταύτην τὴν νοῦσον ἰῶτο ἄν, ἢν τὰς καιρὰς διαγιγνάσκει τῶν ξυμφερόντων, ἄνευ καθαρμῶν καὶ μαγευμάτων, καὶ πάσης ἄλλης βαναυσίης τοιαύτης.

h) Pulcherrimus, & præter ea, quorum cauſa hic laudatur, ad religionem Hippocratis demonſtrandam aptus locus exſtat, III, 17, *ſqq.* Reprehendit nimirum acerbe Hippocrates illos, qui luſtrationibus & purificationibus ſuis alios decipiunt, notione religionis ad fraudem tegendam adjecta. Καὶ τοι ἔμοί γε ὃ περὶ εὐσεβείης δοκέουσι τὰς λόγας ποιέεσθαι, ὡς ὁιόντε ἀλλὰ περὶ δυσσεβείης μᾶλλον, καὶ ὡς οἱ θεοὶ οὐκ εἰσὶ· τὸ δὲ εὐσεβὲς καὶ θεῖον αὐτῶν ἀσεβὲς καὶ ἀνόσιον ἐστὶν, ὡς ἐγὼ διδάξω. Εἰ γὰρ σελήνην τε καθαίρειν, καὶ ἥλιον ἀφανίζειν, χειμῶνα τε καὶ εὐδίην ποιέειν - - τἄλλα τὰ τοιαυτότροπα πάντα ἐπιδέχονται ἐπίσασθαι. εἴτε καὶ ἐκ τελετέων, εἴτε καὶ ἐξ ἄλλης τινὸς γνώμης, ἢ μελέτης φασὶν οἱοί τε εἶναι, οἱ ταῦτα ἐπιτηδεύοντες, δυσσεβέειν ἔμοί γε δοκέουσιν, καὶ θεοὺς ἔτε εἶναι νομίζειν, ἔτε ὄντας ἰσχύειν οὐδέν, ἔτε ἐργεσθαι ἂν οὐδενὸς τῶν ἐχάτων ποιέοντας. ὧν ἕνεκά γε πῶς οὐ δεινοὶ ἂρ' αὐτοῖσιν εἰσιν· Sequentia omnia in hoc capite his adſcribi digna videntur: ſed ſpatio parcendum eſt: quædam damus §. 24.

corporis & animi a numine expectandam; ſed morbos tamen omnes, & ſpeciatim epilepſiam, etiamſi per cauſas naturæ ordine procedentes in nobis ſubnatos, ab occaſionibus ordinariis excitatos, & remediis naturalibus curandos, divinos tamen eſſe, & a Deo originem ſuam habere. En illuſtre religionis Coi noſtri teſtimonium, en unam divini Hippocratici ſignificationem

§. XXIX.

Alius locus magis etiam illo, qui modo adlatus eſt, hanc notionem divini poſcens, extat libro de aëre, aquis & locis, qui certe liber inter maxima cimelia artis, propter neglectam vulgo hanc doctrinam, referendus videtur. Commendat vero Hippocrates medico, in urbe quacunque medicinam facturo, ante omnia inquiſitionem in generales illas morborum cauſas, nimirum quibus ventis maxime propter ſitum peculiarem tangatur; quomodo ipſa regio & ſoli ratio conſtituta ſit, quo denique vivendi genere incolæ uti ſoleant: ex his enim, ſi Aſtronomiæ ſcientiam adiunxerit medicus, plurima mala & cognoſci poſſe affirmat. *i*) Percurrit deinde ſingularum plagarum ventos, & morbos familiares hominibus, qui loca illis expoſita incolant, indicat: aquarum porro paluſtrium, fontanarum, & pluviatilium, diverſas bonitatis notas indicat, & quid ſingulæ in corpore humano efficiant, pulcherrime tradit, quibus pauca de tempeſtatum ratione ſubiungit.

§. XXX.

De regionum poſtea & ſoli rationibus dicturus, exempli loco differentiam inter variarum Europæ & Aſiæ regionum plantas, animalia,

i) Eſt hoc compendium totius libri *de aëribus, aquis & locis*: hinc nemo expectabit, ut ſingula loca Græca adſcribantur, vel laudentur adeo. Neque tamen hic prætermittendum videtur, plerisque locis, quibus Aſtronomiæ cognitione medicam artem juvari dicit Hippocrates, illum non tam peculiarem aſtrorum ſingulorum influxum in corpus humanum ſpectaſſe videri, quam temporum rationem, quæ, cum calendariorum uſus nondum ita publicus eſſet, definito ſiderum curſu commodiſſime indicabantur. Verum hæc conjectura eſto, alio forte tempore diſputanda.

animalia, & incolas in primis affert, quorum ſpeciem externam, colorem, indolem, ingenium, mores enarrat, & illa regionum quas incolunt naturæ ſimilia plerumque eſſe, comparatione inſtituta pulcherrime oſtendit. *k*). Tradit deinde gentium quarundam ingenium ſingulare, ſpeciem externam, vivendi genus, ut exemplum præbeat illorum, quorum cognitionem eum in medico requirere, ſupra dictum eſt. *l*)

§. XXXI.

In illis gentibus Scythas Europæos in primis, qui ad Mœotidem paludem curribus loco domuum utentes, & ſede inſtabili paſcua ſequentes, (ut hodie adhuc ſolent illi populi,) vagabantur, commemorat, & illos propter rationem & ſitum ſoli, quo utebantur, atque ceteras vivendi rationes, humida corpora habere oſtendit. Nimirum regiones illas perpetua glacie, nivibus, imbribusque madere, ventisque borealibus expoſitas eſſe obſervaverat, viderat porro hos homines, hoc aëre, & aquis ex nive reſoluta utentes, vel nullo labore exerceri, & totos dies deſidere

k) Adſcribere locum elegantiſſimum, vel ideo placuit, quod illa etiam hodie adhuc, ſi ingenium totarum gentium ſpectes, deprehendi videantur, etiamſi ille, qui hæc ad ſingulos homines transferre vellet, non minus forte abſurde ageret, ac ſiquis cum urbem ſplendidam eſſe dictum eſt, ſingulas in illa domos pulcherrime exornatas requireret. Extat ille XXXIV, 5, &c. Ὅκως αἱ ὧραι μεγίσας καταβολὰς ποιέονται, καὶ πυκνοτάτας, ἐκεῖ καὶ ἡ χώρη ἀγριωτατη, καὶ ἀνωμαλωτάτη ἐςὶ — ὅκως δὲ αἱ ὧραι μὴ μεγάλα ἀλλάσσεσιν, ἐκείνοις ἡ χώρη ὁμαλωτάτη ἐςὶν; ὕτω δὲ ἔχει καὶ περὶ τῶν ἀνθρώπων, ἔν τις βάλεται ἐνθυμέεσθαι. Εἰσὶ γὰρ φύσιες, αἱ μὲν ὄρεσιν ἐοικοῖαι, δενδρώτεσί τε καὶ ἀνύδροισιν, αἱ δὲ λεπτοῖσί τε καὶ ἐνύδροισιν, αἱ δὲ λειμακεσέροισί τε καὶ ἑλώδεσι, αἱ δὲ πεδίῳ τὲ, καὶ ψιλῇ, καὶ ξηρῇ &c.

l) Per hanc occaſionem plura commemorat Hippocrates, quæ attentum ad omnia animum magni viri fuiſſe oſtendunt. Ex. gr. Cur libertas mutet hominum ingenia? unde Macrocephali longis capitibus naſcantur? & id genus alia, quæ ex libro ipſo requiri poſſunt.

re in curribus, vel equitare pedibus pendulis. Ex his enim omnibus pituitam albam accumulari, & arrticulos, pedum in primis, ad motum ineptos reddi aliunde ſciebat, & vel hoc ipſo Scytharum exemplo, in ea ſententia confirmabatur, qui cruſtis ſibi per totum corpus inuſtis, & parte humoris, quæ moleſta erat, ita ablata, medicinam faciebant. Hac ipſa vero humoris inertis abundantia, infœcundas porro fieri has gentes, Hippocrates credit, & viros quidem, propter ſubortam inde mollitiem alui, & laſſitudinem ab equitando, venerem minus petere; fœminas *m*) vero, propter tumidam aquis corporis molem, minus ad concipiendum & fouendum fœtum aptas eſſe, arbitratur.

§. XXXII.

Hæc vel ideo adlata ſunt, ut etiam illis, quibus otium non eſſet totum librum Hippocratis perlegendi, appareret, quomodo in eum ſermonem delatus ſit, ſummus vir, cuius cauſa hæc adſcripta ſunt. Nimirum, dum in Scytharum ingenio explorando verſatur, *non ſolum maxime familiaris illis gentibus languor* ad venerem ei oblatus eſt, de quo quidem iam quædam dicta ſunt, verum etiam multos ex illis plane ad res venereas ineptos haberi deprehendit, atque muliebribus veſtibus indutos, inter fœminas ætatem agere; populares vero huius rei cauſam ad Deos referre, & metuentes ſibi ipſis, *hos homines reverentia* ſumma colere, & humi proſtratos adorare. *n*) Cuius quidem affe-

m) Fœminas etiam ad ſterilitatem illam aliquid conferre, Cous exemplo ancillarum oſtendit, quas, cum magis laboribus exerceantur, etiam magis ipſis fœminis maritatis concipere & parere, conſtabat.

n) HERODOTUS I, 105, *p.* 44, *ed.* GRONOVII, ejusdem rei mentionem facit, & ut ſolet, quidquid accepit, qualecunque *illud* tandem ſit, referre, Scythis cauſam huius *mali fuiſſe dicit*, ſpoliatum ex Aegyptia expeditione redeuntibus, antiquiſſimum Veneris Vraniæ circa Aſcalonem in Syria fanum: Inmiſſum nimirum illis eſſe morbum fœmineum (θήλειαν νοῦσον) qui ad poſteros propagatus ſit. Locus hic HERODOTI a LONGINO *de ſublimitate ſ.* 28, *ed.* TOLLII *p.* 162, laudatus, ut exemplum præberet comptæ circum locutionis, mire torſit in-

affectionis cauſam veram explicaturus Hippocrates, non ille quidem negat, ſibi ipſi quoque has affectiones divinas videri, ſed nimirum, ut omnes alias; neque unum morbum altero diviniorem aut humaniorem ſe putare ait, ſed omnes divinos arbitrari, profitetur: etiamſi unumquemque ſuam ſibi habere naturam, (ſine qua nimirum nihil fiat,) affirmet, atque huius etiam Scythicæ affectionis rationem ſe reddituram promittat *o*). Neque eſt in his quidquam, quod mutare ſuadeat propoſitam ſupra de divino ſententiam, quæ ita dilucida eſt, ut unico adhuc exemplo adſcripto, ad alteram vocis notionem, quæ his præmiſſis, non magnam difficultatem habere videtur, transire placeat.

§. XXXIII.

Nimirum his utrisque locis ſimilis videtur ille, qui in principiis ſtatim libri de muliebri natura occurrit *p*), etiamſi interpretes

terpretes, cum quidam emmenia, hæmorrhoides alii, alii dyſenteriam intellectam ab HERODOTO vellent; TOLLIUS denique exemplis oſtendit, veteribus in uſu fuiſſe nomine Θηλείας νόσε turpiſſimam marium effœminatorum libidinem inſignire, & LONGINUM, arbitratum in loco HERODOTI periphraſin ἀμίμητον eſſe, erraſſe putat. Quidquid hujus ſit, in Hippocrate nullum ejus rei veſtigium invenire licuit, neque tamen videtur habere, quod non cum TOLLIANA interpretatione conciliari poſſit.

o) Locus qui huc in primis facit, extat libro de quo ſermo eſt, XLIX, 3ſq. Ἔτι τε πρὸς τετέοισιν ἐυνεχίαι γίνονται οἱ πλεῖοι ἐν Σκύθεσιν, καὶ γυναικεῖα ἐργάζονται, καὶ ὡς αἱ γυναῖκες διαλέγονταί τε ὁμοίως. καλεῦνται δὲ οἱ τοιῦτοι ἐνάριες· οἱ μὲν σπιχώριοι τὴν αἰτίην προστιθέασι θεῷ, καὶ σέβονται τετέας τὲς ἀνθρώπες, καὶ προσκυνέεσι, δεδοικότες περὶ τε ὠυτέων ἕκαστοι. ἐμοὶ δὲ καὶ αὐτέῳ δοκεῖ ταῦτα τὰ πάθεα θεῖα εἶναι, καὶ τἆλλα πάντα· καὶ ὐδὲν ἕτερον ἑτέρε θειότερον, ὐδὲ ἀνθρωπινώτερον ἀλλὰ πάντα θεῖα ἕκαστον δὲ ἔχει φύσιν τῶν τοιετέων, καὶ ὐδὲν ἄνευ φύσιος γίνεται. Plura dicentur §. 36. & 37.

p) Περὶ δὲ τῆς γυναικείης φύσιος, καὶ νεσημάτων τάδε λέγω. μάλιστα

pretes partim conſtitutionem aëris morbificam, partim incantamenta magica ad illum interpretandam, advocarint. Facillime vero ita explicari poſſe videtur, ut ſenſum maxime expeditum ſingulorum Hippocratis verborum ſequaris, & dicas, maxime quidem Deum ipſum *q*) ab Hippocrate pro morborum muliebrium prima cauſa haberi, deinde naturas fœminarum & colores *r*). Cui explicationi optime conveniunt, quæ deinde ſubiungit, hos morbos tractandos ſuſcipienti, primum quidem a divinis *s*) eſſe incipiendum, deinde cognoſcendas naturas muliebres, ætates, maturitates & locos.

§. XXXIV.

Morbos magicos, & ab *incantamentis* ortos, *hic non* intelligendos eſſe, ex libro de morbo ſacro oſtendi poteſt, quo, ut ſupra

μὲν τὸ θεῖον, ἐν τοῖσιν ἀνθρώποισιν αἴτιον εἶναι, ἔπειτα αἱ φύσιες τῶν γυναικῶν καὶ χροιαὶ.

q) Auctoritatem qua conſiſi *τὸ θεῖον* Deum ipſum indicare putamus *vid.* §. 34.

r) Videtur ſignum externum, pro tota corporis conſtitutione, poſitum eſſe, eadem plane ratione, atque *χλώρωσις* a Græcis, & *les pâles couleurs* a Gallis vocari ſolet, idem hoc morbi genus.

s) I, 11. *Δεῖ δὲ τὸν ὀρθῶς ταῦτα χειρίζοντα, πρῶτον μὲν ἐκ τῶν θείων ἄρχεσθαι, ἔπειτα διαγινώσκειν, τὰς δὲ φύσιας τῶν γυναικῶν; καὶ τὰς ἡλικίας, καὶ τὰς ὥρας καὶ τὰς τόπους, ἔς ἂν ἦ.* Τὰ Θεῖα hic ſupplicationes & preces ſignificare, ut ex ipſis verbis Hippocratis apparere videtur, ita nec ceteris ſapientiſſimi viri effatis repugnat. Religionem & preces magni feciſſe Hippocratem ſupra ad §. 4. oſtenſum eſt. Loquitur vero hic de morbis mulierum, quæ timidæ & ſuperſtitioſæ jam tum eſſe ſolebant, *ἀθυμοτέρη γὰρ, καὶ ὀλιγοψυχοτέρη φύσις ἡ γυναικείη.* v. *de morb. virgin.* I, 10. Natura porro morborum ab utero, metum & deſperationem mulierum animis incutere ſolet, & quod maximum eſt, commendabantur contra hoc genus morborum in primis ſupplicationes & donaria, v. §. 27, *n. a*, ut adeo mirum non eſſet, Hippocratem, quem non minus prudentem virum, quam bonum medicum fuiſſe, ſcripta ejus docent, etiamſi non ita ſentiret, deum cauſam hujus morbi pronunciaſſe, & a divinis initium curationis horum morborum fieri voluiſſe.

ſupra jam dictum eſt, *t)* venerabilis ſenex conqueritur, homines impiis ſuis expiationibus impietatem & impuritatem maxime τῷ θείῳ i. e. numini obiicere. Hic enim τὸ θεῖον eadem plane ratione, atque in libro de morbis mulierum, poſitum eſt, neque adeo credibile videtur, eundem virum qui de impietate in τὸ θεῖον acerbe conqueratur, & incantationes magicas nominet, eundem, inquam, virum poſtea, ſub eadem plane voce, incantationes ipſas intellectas velle. Neque addi quidquam opus eſſe videtur, cum illa, quæ ex libro Coi de inſomniis pro ſua ſententia afferre MARTIANUM ſupra (§. XV.) dictum eſt, nihil minus, quam morbos a maleficiis vel malis dæmonibus ortos indicent, quin argumentum contrariam partem tuentibus ſuppeditare videantur *u)*. Ita neque firmius eſſe, alterum MARTIANI argumentum, maleficia etiam nunc in fœminis frequentiora, quam in viris reperiri, adeoque probabile eſſe Hippocratem eo reſpexiſſe, vel inde apparet, quod hoc quidem ævo, quo literis regio quæque eſt excultior, eo minus id genus incantamenta locum habere deprehendantur. Et in univerſum in Hippocraticis monumentis, nulla omnino morborum a maleficiis ortorum ſuſpicio eſt, quin incantamentis curaturi morbos falſe ridentur, neque jam quærendum eſſe videtur, quid nos divinum in morbis

t) *Vid. notas* ad §. 26. & 27. Notandus hic in primis videtur locus III, 44. καθαρμοῖσί τε χρέονται, καὶ ἐπαοιδῇσι, καὶ ἀνοσιώτατόν γε καὶ ἀθεώτατον ποιέουσι τὸ θεῖον. &c.

u) Illo ipſo enim libro dividit vir acutiſſimus, ſomnia in duas claſſes, e quibus quædam certa bona aut mala præſagiant, & a Deo veniant, Θεῖα ἐστὶ, quædam a morbis corporis oriantur, quos & precibus & medicina avertere jubet. Percurrit deinde quædam ſomniorum genera, & quid ſingula ſignificent, quidque in illis facere, qualem medicationem adhibere oporteat, præcipit: & in primis diis ſuperis in ſignificatione ſecundorum, inferis, malorum averſoribus, in adverſis ſupplicari jubet, ut omnia mala avertant. Græca adſcribere longum fuerit. Extant vero II, 1 ſqq. & XI. 5 ſqq. &c. Nihil hic de magia quadam occulta, contra ea Deos inferos, ut mala avertant, publica religione invocari jubet.

bis muliebribus arbitremur, verum quid Hippocratem voce τοῦ θείου intellexiſſe probabile videatur.

§. XXXV.

Neque vero aëris diatheſin hic indicari, etiamſi multorum morborum cauſam aërem eſſe dicat Hippocrates, *x*) & illius cognitionem, ad morbos cognoſcendos & curandos multum conferre, cum divino ſene fateantur omnes boni medici; cum ipſa vocum ſignificatio, tum in primis hoc evincet, quod illis locis, quibus divini mentio fit, de aëre nihil plane dicit Hippocrates, quod quidem neceſſario eo referendum videatur; illis contra ea locis, quibus de aëris effectibus diſputat, de θείῳ nobis quidem nihil deprehendere licuit. Nam etiamſi libro de morbo ſacro *y*), aërem divinum vocet Hippocrates, tamen ſi cum reliquis ſententiis illius libri conferatur, ad illud ſolum hæc facere apparebit, ut pervulgata eo tempore opinio, quosdam morbos magis divinos & ſacros eſſe reliquis, eximeretur, non ut aëri peculiaris quædam divinitas tribueretur. Ex quibus omnibus *z*) hoc videtur confici, cum verba proprio intellectu ſumta, optimum ſenſum & ceteris auctoris ſententias non alienum habeant, tutius eſſe illum retinere, quam dubia & incerta, in eius locum ſubſtituere.

§ XXXVI.

Verum de morbo illo Scytharum dicendum reſtat, quam cauſam Hippocrates illius affectionis arbitratus ſit. Obſervaverat ſagaciſſimus vir, illos totos dies propendentibus pedibus equitantes, claudos primum fieri & trahere lumbos immobiles *a*), deinde

x) v. §. 12, ex *libro de flatibus* IV, 9.
y) v. §. 27, *n.* g.
z) v. plura §. 49.
a) Quæ hoc §. dicta ſunt, extant l. f. l. *de æribus aquis & locis*, L. *ſqq.* Verum hæc, quæ Scythis accidere dictum eſt, apud nos etiam evenire ſolent illis, qui nimiis equitationibus defatigantur, (& accidiſſe jam

inde ſibi ipſis medicinam facturos, utramque venam poſt aurem vulnerare, unde ſanguine multo profluente, & ſomno ipſis præ debilitate obrepente, condormiſcant, quo ſomno diſcuſſo, quidam ſanitatem recuperaſſe, alii vero minus deprehendantur *b*). Verum hoc genere medendi Hippocrates hos homines corrumpi putat, cum venas, quæ poſt aurem ſunt, ſi quis ſecet, ſterilitatem illi inferri arbitretur *c*); hinc fieri, ut hi homines ſi aliquoties Venere fruſtra tentata eluſi ſint *d*), credant Deum a ſe offenſum,

tum pluribus, qui frequenter equis vehebantur, ex fine libri, in quo verſamur conſtat.) etiamſi nos ſtapedibus aliquantum niti ſoleamus, quibus Scythas plane caruiſſe, ex antiquiſſimis picturis & monumentis conſtat. Nimirum juvenes & mediæ ætatis viri inde fluxionibus in artubus inferioribus, rheumatiſmum iſchiadicum vocant, Græco nomine, laborare ſolent, quæ, niſi promtam medicinam facias, in ancyloſin, & plenariam motus omnis ceſſationem degenerare poſſunt: ſeniores ipſa arthritide ſæpe corripiuntur.

b) Videntur ad animi deliquium usque ſanguinem emiſiſſe, optimo certe inſtituto, niſi omnibus lumborum doloribus promiſcue unum genus medelæ adhibuiſſent, verum in juvenibus ſolum & mediæ ætatis viris, ſanguine turgentibus, ſub initio ſtatim morbi, bene antea conſiderati, venam ſecuiſſent. Nempe hæc non erant ab illis hominibus expectanda; & hinc factum eſſe videtur, quod medelam ſæpe fruſtra fecerunt.

c) Non conſtat, quomodo in eam ſententiam delati ſint veteres, ut juxta aures genituram in medullam ſpinalem deferri putarent; ita ut illos qui poſt aurem ſecti eſſent, ſeminis parum, debile, & infœcundum inter coëundum emittere arbitrarentur, viis genitufæ, a cicatrice, vulneri inducta, conſolidatis. Hanc ſententiam multis exponit Hippocrates *libro de genitur c.* III, & forte vulgare Germanorum proverbium hinc ortum videri poſſet, qui poſt aures aliquid reſidere illi dicant, quem lepidum vegetumque dicere volunt. Neque vero opus eſt longa refutatione. Vaſa enim, quæ poſt aures ſunt, nihil ad ſeminis generationem peculiariter conferre, leges quibus ſanguinis circuitus peragitur, & cultior hodie anatome, docent. Sed neque de nervis intelligenda eſſe, quæ dicit Hippocrates; aut ſi eſſent intelligenda, vera dici, quisquam facile evincit, cum in primis conſtet, vulnera poſt aurem, magnis cicatricibus perſanata, nihil propagationi ſobolis nocuiſſe. *Vid.* ex. gr. Melch. Sebizii *Exercit. medic. Argent.* 1672, *p.* 332, *ſqq.*

d) Forte ἀνανδρεῖν illa Scytharum, non tam ex venis poſt aurem inciſis orta eſt, quam quod boni illi viri ad res venereas, propter indicatas ab

ſum, culpam eius rei in illum reiiciant, induant ipſi ſtolam muliebrem, ſuam ignaviam agnoſcant, atque mulierum mores & opera imitentur.

§. XXXVII.

Dei vero peculiarem iram huius affectionis cauſam non eſſe, pulcherrimo exemplo magis probabile reddit candidiſſimus ſenex. Viderat nimirum pauperes, qui præ inopia equos alere & domi deſidere non poſſent, verum de cetero Deorum cultum negligerent, quin Deos contumeliis afficerent, quod ſibi opes non dederint, minime omnium hoc malo affligi, contra ea nobiliſſimos, & ditiſſimos quosque, Diis immolantes, & donaria ſuſpendentes *e*), verum plus etiam equitantes & reliquum ab equitatione tempus domi deſidentes, ſolos fere eo laborare, cum tamen contrarium obtinere neceſſe ſit, ſi quidem ament Dii admiratione eſſe hominibus, & pro cultu illis gratias referant, crimina vero in ſe commiſſa, morbis inflictis ſtatim puniant. Divinum igitur fatetur morbum Scytharum Cous, ſed ita ſcilicet, ut non magis divinum illum eſſe, atque omnes alios morbos, concedat.

§. XXXVIII.

Tres igitur hi loci ad hoc fecerunt, ut inde appareret, Hippocratem, etiamſi nullius morbi cauſam ſpeciatim in Deos referat,

Hippocrate veras rationes, minus apti eſſent, cui diſpoſitioni, cum magna ſanguinis, ad animi deliquium usque emiſſi, jactura acceſſiſſet, facile evenire potuit, ut ad menſem unum alterumque præ debilitate plane generandi facultate carerent, quam poſtea, cumulata ex nimia deſidia, & illa ipſa boni ſanguinis evacuatione, pituita alba, plane illos perdidiſſe, credibile eſt.

e) Etiamſi receptæ opinioni, qua pauperes magis pii eſſe, quam divites & potentes vulgo putantur, hæc repugnent, non incredibilia pro illorum hominum moribus dici, vel ex ARISTOTELE conſtat, qui in pulcherrimis notationibus morum *Rhet.* II, 17, nos docet, ex fortunis & opibus ſequi ἓν βέλτιϛον ἦθϛ, ὅτι φιλόθεοί εἰσι, καὶ ἔχϵσι πρὸς τὸ θεῖον πως πιϛϵύοντϵς, διὰ τὰ γιγνόμϵνα ἀγαθὰ ἀπὸ τῆς τύχης.

rat, ubi naturales ſufficere videbantur, & omnia ſecundum ordinarium a ſe jam aliquoties obſervatum decurſum procedunt, tamen omnes morbos eorumque cauſas a Deo ortos & divinos eſſe, arbitrari: Morbum ſacrum vero, mulierum morbos, Scytharum affectionem, contra vulgi ſuperſtitioſi opinionem, quæ inſuper fovebatur fraudibus ſacerdotum, in medicorum manus reducere conatum eſſe. Neque fruſtra hoc molitus eſt *f*), etiamſi tantum non valuerit, ut opinionem, quæ firmiter inſederat animis, funditus evelleret: ſuffecit ſapientibus nebulas ſuperſtitionum removiſſe, ut ipſi viderent, num incantationibus & ceteris nugis, an vero remediis ſecundum naturam, precibus tamen non omiſſis, morbi ſanentur. Nomen interim antiquum hæſit morbo ſacro ſemper *g*), quin novo nomine eryſipelas Græcum, Romanis ignis

f) An libro περὶ εὐχημοσύνης V, 1, quo medicus philoſophus Deo æqualis dicitur, quod inter alia ἀδειστδαίμων ſit, ὑπέροχὴ θεία in eo *collocetur, quod morbos a Deo, per naturæ effectus immiſſos, eandem naturam ſequendo profliget, in dubio relinquere viſum eſt*, cum totum hoc argumentum diſcutiendum ſuſceperit, amicus meus GE. MATTHIAE, vir, qui Hippocratica veſtigia ſtrenue legendo, ad τὸ ἰσόθεον Coi magnis paſſibus contendit. De cetero Aeſculapium in Deorum numerum receptum eſſe, ex *præfatione* CELSI, & *Oratione Theſſali Hippocratis* 177, conſtat; En verba *Theſſali*. ἀλλ ἀρχὴν μὲν οἱ θεοὶ, ἔνθεν γένος εὐχόμεθ' εἶναι, ἀσκληπιὸς καὶ ἡρακλῆς, ἐπ' ὠφελείῃ ἀνθρώπων ἐγένοντο, καὶ τότες δὶ ἀρετῆς τῆς ἐνταῦθα ἐν θεῶν χώρῃ ἔχεσι πάντες. Verum hæc in tranſitu dicta ſunto.

g) Hic morbus etiam peculiari Deo ſacratus, & *Herculeus* dictus eſt, vel, quod *Hercules* ipſe illo affectus fuerit, ut vult GALENUS; vel, quod robur incredibile hominum illo laborantium Herculeum videretur; vel, quod omnia magna Herculi adſignarent & ita *Herculeus lapis* ob eodem Hercule dictus videri poſſet, niſi quis ab urbe Heraclea, ubi primum inventum narrant, nomen ortum eſſe malit. Verum in genere dubitare quis poſſet, quem morbum Herculeum dixerint veteres, cum ſint, qui elephantiaſin, alii, qui maniam velint, quam litem dirimere noſtrum jam non eſt. Adſcribi hic merentur, quæ ARETÆUS CAPPADOX, de nomine ἱερὴ νοῦσος, diſputat, *de morbor. diuturnor. cauſ. & ſign.* I, 4, *p.* 28, E. *ed. Boerhaav.* Δοκέει ἐς τὴν σελήνην τοῖσιν ἀλιτροῖσι

nis ſacer dictum *b*), & febris in Deorum ordinem relata *i*), & publico cultu Romæ adorata eſt *k*).

§. XXXIX.

Neque hæc, quæ adhuc prolata ſunt, mira videbuntur illis, qui cogitabunt, quæ magna, vel humanis viribus & ingenio ampliora videbantur, ea omnia veteres divina credidiſſe & appellaſſe. Et poëtæ quidem pene omnes, hoc habent, ut Deos advocent, ubi lectores ſuos magna & excelſa cogitare volunt. HOMERUS *l*) inter alia multa pulchrum eius rei exemplum præbet, cum

ἀφικνεῖσθαι ἡ νῆσος· τέυχειν ἱερὴν κικλήσκουσι τὴν ϖάθην· ἀταρ καὶ δι' ἄλλας ϖροφάσιας, ἢ μέγεθος τῆ καπῆ ἱερὸν γὰρ τὸ μέγα· ἢ ἰήσι☉ ἐκ ἀνθρωπίης, ἀλλ' θείης· ἢ δαίμον☉ δόξης ἐς τὸν ἄνθρωϖον εἰσόδε ἢ ξυμπάντων ὁμῶ, τὴν δε ἐκίκλησκον ἱερὴν.

h) v. CELS. V, 28, 4.

i) PLINIUS *Hiſt. Nat.* II, 7. *Ideo etiam publice Febris fanum in palatio dicatum eſt, nimirum, quia fragilis & laborioſa mortalitas, in partes iſta digeſſit, infirmitatis ſuæ memor, ut portionibus coleret quisque. quo maxime indigeret.* Et CICERO *de legibus* II, 9, de eodem ſacello videtur locutus, cum *aræ veteris in palatio, Febris Deæ*, mentionem facit. Vid. GERH. Io. VOSSII *Theol. gentil.* I, 8, 6, 158, *ſqq.* qui hoc adjicit, *Febrim* pro *Saturni filia* a quibusdam habitam eſſe.

k) Ipſa medicamenta etiam ſacra dicta ſunt, quod præſentiſſimam ex illis opem deprehendiſſent medici, & poſt ἱερὴν πυρὰν GALENI, multæ aliæ *ſacræ* compoſitiones enatæ ſunt, quarum quasdam videre eſt, apud NIC. MYREPSUM nobilem illum ex antiquitate medicamentarium. Et hæc conſuetudo medicamenta illuſtria *ſacra* vocandi, non ſolum apud Græcos & Romanos, ſed apud Germanos etiam locum habuit, qui ſuum *viſcum*, quod illum & venena pellere, & partum promouere arbitrarentur, diuinum putarunt, etiamſi illo etiam ad ſacra uſi ſint, & varia alia illi tribuerint, de quibus v. elegantiſſimum libellum, Io. GEORG. KEYSLERI, adjectum *antiquitatibus ſeptentrionalibus* & *Celticis* eruditiſſimi illius viri, & in hoc in primis genere literarum, præclariſſime verſati. Add. CLERICI *Hiſt. Med.* I, 9, *p.* 27. *ed. Amſt.* 1702.

l) *Iliad.* I, 380, audit Apollo precantem ſacerdotem ſuum, propter ablatam filiam Chryſidem,

cum in exercitu Græcorum Troiam oppugnante, graſſantes morbos, Apollini ejusque telis tribuit, & quod CELSUS *m*) inde concludit, teſtimonium perhibet, morbos tum jam ad iram Deorum relatos eſſe, & ab iisdem opem peti ſoliram. Ita SOPHOCLES *n*) furorem Aiacis a Minerva immiſſum fingit, & divinum morbum appellat. Neque vero ſolum poëtæ a diis oriri, quæ magna videbantur, ſub variis figmentis propoſuerunt, quæ tamen ad populum in eam ſententiam deducendum multum faciebant, ſed etiam apud alios ſcriptores *o*) veſtigia huius opinionis invenire licet.

§. XL.

Ἦκε δ' ἐπ' Ἀργείοισι κακὸν βέλος ἡ δὲ νυ λαοὶ
Θνῆσκον ἐφαπτόμενοι· τὰ δ' ἐπῳχέτο κῆλα θεοῖο
Πάντη ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν.

m) In præfatione ſtatim in ipſis initiis.

n) *In Aiace flagellifero.* Vocat vero Chorus illam affectionem, *v.* 187, θεῖον νόσον.

o) Ex. gratia STRABO *l.* 13, *p.* 433, 5, *ſeqq. ed. Genev.* 1587, cum narraſſet prope Hierapolim, ſitam ex adverſo Laodiceæ, eſſe ſpecum oppletam craſſa caligine, ex qua vapores ſurgant, animalia omnia propius accedentia necantes, caſtratis tamen inſpicientibus adeo in foramen innoxios, inter alias huius admirandi effectus cauſas, divinam providentiam nominat, quale quid in fanaticis furoribus obtineat. (εἴτε θεία προνόια, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἐνθουσιαστικῶν εἰκὸς). Ita apud DIOGENEM LAERTIUM *in vita Heracliti* IX, 13. exſtat Darii ad magnum illum ſeculi ſui Philoſophum epiſtola, (an genuina illa ſit, non diſputamus) qua illum invitat, ut ad ſe veniat & explicet librum, quem de natura conſcripſiſſet, qui nimirum, ut verba ipſa DIOGENIS adſcribamus ἑρμηνευόμενον κατὰ λέξιν σὴν, δοκεῖ δύναμίν τινα περιέχειν, θεωρίας κόσμε τε τῶ σύμπαντος, καὶ τῶν ἐν τῶτῳ γινομένων, ἅπερ ἐστὶν ἐν θειοτάτῃ κείμενα κινήσει· Syſtema enim Philoſophiæ Heracliticæ omnia principia rerum, quarum princeps *ignis*, in motu, & inter ſe pugnantia, conſtituit. Ita in *Idyllio* VI, BIONIS, *verſ.* 9, *Myrſon* interroganti *Cleodamo*, quam inter quatuor tempeſtates anni optimam putet, reſpondet,

Κρίνειν οὐκ ἐπέοικε θεήια ἔργα βροτοῖσι
Πάντα γὰρ ἱερὰ ταῦτα καὶ ἀθέα.

§. XL.

Verum hæc undique conquiſita hic afferre, nihil attinet, & inſtituti noſtri ratio non permittit: Neque tamen unum hoc omittendum videtur, GALENUM *p*) cum omnia medicamenta ad quatuor ſuas claſſes, calidum, frigidum, humidum & ſiccum redigenda, & ex horum varia commiſtione, effectus in corpus humanum explicandos putaret, quorundam vero peculiarem effectum obſervaſſet, qui ex his principiis ſuis, quæ ſemel poſuerat, non poſſet explicari; hujus generis medicamenta divina vocaſſe. Hæc ipſa enim quoque GALENI ratio facit, ut eo confidentius dicamus, Hippocratem, cum omnes morbos a Diis arceſſat, etiamſi nullum ſpeciatim & præter ceteros, ab iis immitti velit *q*), illa in morbis θεῖα *r*) dicere, quæ ex principiis, ſignis, & effectibus

Sed omnes libri veterum ita pleni ſunt ejusmodi ſententiis, ut hæc jam ſupervacanea forte quibusdam videantur, cum vel ex noto illo VIRGILII verſa, *Aeneid.* 3, 60. *Quid non mortalia pectora cogis, auri ſacra fames!* conſtet ſacrum eſſe, quod magnum ſit & ingens, & cujus ratio reddi non poſſit.

p) GALENUM omnia medicamenta ad quatuor ſua genera, varie inter ſe permixta, redigere conatum, abunde docent libri *de ſimplicium medicamentorum facultatibus*, & hinc ortæ vires ſubſtantiales, materiales, ſpecificæ, ſubſtantiales incognitæ. Hæc in compendium redacta, extant in HERM. BOERHAAVE *prælectionibus de virib. medicam.* invito auctore, emendatius tamen, quam ab initio, editis *Par.* 1726, *p.* 115. *ſqq.*

q) v. §. 38, & confer cum his §. 21.

r) SYDENHAMUS, vir totus Hippocraticus, aliam aliquantum τῷ θείῳ notionem tribuit, & illud credit morbis plerisque ineſſe: eſſe *nimirum ſpecificam proprietatem, quam nulla unquam contemplatio, a ſpeculatione corporis humani deſumta, in lucem producere queat.* Sunt hæc verba ipſius viri ſummi ex *Tract. de Hydrope p.* 490, *ed. Lugd. Bat.* 1729, deſumta. Verum hoc non eſſe *divinum* Coi ſenis, vel inde apparet, quod illum, ſignis morborum, cauſis, effectibus, & medendi rationibus, quantum quidem morborum ipſorum diligens obſervatio ſuppeditabat, pernoſcendis & inveniendis occupatum, ad cetera plerumque parum in curandis ægris attendiſſe, ex ſcriptis practicis ſummi viri conſtat. Commendat vero diſcipulis ſuis divini notionem, tanquam neceſ-

tibus ordinariis derivari & explicari non poſſunt. Et hoc jam porro oſtendendum erit.

§. XLI.

Libro, cujus jam ſæpe mentio facta eſt, prænotionum, in primis propoſitum fuit Hippocrati, ut ſigna certa e quibus præſagia in morbis formari poſſent, traderet. Neque toto illo libro quidquam de cauſis morborum admiſcet, ſed ſola ſigna proponit, ex quibus decurſus morborum cognoſci poſſit, & quæ ubique locorum, & omnibus temporibus, quin in ipſis conſtitutionibus epidemicis, valere arbitrabatur s). Et licet melius fore putet, ſi medicus omnes ægros ad priſtinam valetudinem reducere, atque ita prænotionibus carere poſſet, tamen cum propter vim

ſariam, ex cognita ante natura morborum ediſcendam, non ex ſtructura corporis exſculpendam. Et hanc rationem ſequendam eſſe illis, qui morbis internis medicinam facere conantur, certum eſt: etiamſi hoc non inde conſequatur, quod quidem SYDENHAMUS, in iis quæ ſequuntur, vult ſubtiliorem Anatomes & Chemicæ doctrinæ cognitionem, inutilem eſſe medico: cum artes omnes inter ſe arctiſſimo vinculo connexæ ſint; termini porro, quantum ſcitu neceſſarium ſit, poni non poſſint; deinde omnia, quæ vera eadem, etiam ſint utilia, etiamſi quædam minus frequenter in uſum vocari poſſint; & quod maximum eſt bonarum artium incrementa hac ratione impediantur. His iisdem argumentis utitur *Ill.* HALLERUS, quo magiſtro profeciſſe, in maxima felicitatis parte ponimus, in adnotationibus, ad communis noſtri præceptoris, HERM. BOERHAAVE *Prælect. in Inſtit. Medic. Vol.* I. *p.* 52, *n.* 2.

s) Totum caput ultimum aurei libelli huc facit. Præcipit nimirum auctor medicis, ut differentias morborum ſemper populariter graſſantium, & conſtitutionem ſingulorum temporum cito cognoſcere ſtudeant, & hoc quidem ex conjecturis certis, & reliquis ſignis; ſemper tamen memores, *omnibus annis, omnibus temporibus, mala malum ſignificare, utilia bonum*, cum in Libya, Delo, & Scythia, *ſcripta hoc libro ſigna vera* comperta ſint: Vnde in his regionibus, non difficile futurum eſſe arbitratur, multo illis plura aſſequi, ſi quis ex ſignis datis, bene comprehenſis, recte judicare & ratiocinari ſciat. Neque deſideranda eſſe morborum adſcripta nomina, cum omnes, qui ſupraſcriptis temporibus judicentur, ex iisdem ſignis cognoſci poſſint.

vim morborum, & nimiam eorum velocitatem, frustra sæpe medicina adhibeatur, necessariam dicit esse medico cognitionem naturæ morborum, ut judicare inde possit, ubi natura a vi morborum superetur *t*); ex qua ipsa cognitione deinde perspicere ei liceat, si quid divinum morbis insit, atque illius prænotionem edisscere. Ita enim fore putat, ut & merito admirationi sit, & boni medici officio satisfaciat.

§. XLII.

Scilicet, ut erat Hippocrates diligentissimus naturæ scrutator, & in primis in interiore morborum natura, & ordine, quo se excipiebant in illis singulæ mutationes, illarumque mutationum signis investigandis, propter plurimas morborum historias, quas vel ipse observaverat, vel aliunde ad se delatas collegerat, exercitatissimus; ita non poterat non sæpe observasse, fieri in morbis aliquid extra ordinem, cujus causa in obscuro lateat *u*), & signa, quæ certa videbantur, in cæteris ejusdem generis affectionibus interdum fallacia deprehendisse. Et de hoc omnino monendi erant

t) Græca, quorum hæc est interpretatio, vid. §. 10. Ceterum locus huic parallelus extat ejusdem libri XXVI, 13. *sq.* Χρὴ δὲ τὸν μέλλοντα ὀρθῶς προγινώσκειν τὰς περιεστομένας καὶ τὰς ἀποθανουμένας, ὁσοισίτε ἂν μέλλη πλέονας ἡμέρας παραμένειν τὸ νόσημα, καὶ ὁσοισιν ἂν ἐλάσσας, τὰ σημεῖα ἐκμανθάνοντα (Sic legendum, non ἐκμανθάνοντας, ut dedit *Lind.*) πάντα δύνασθαι κρίνειν, λογιζόμενον τὰς δυνάμιας αὐτέων πρὸς ἀλλήλας &c.

u) Omnino etiam ad causas obscuriores & ratiocinio inveniendas respexisse Hippocratem, neque Empiricum fuisse, (quæ secta, ut necessario ante Hippocratem, obtinuit, ita post illum quoque floruit,) ex scriptis summi viri apparet Et adeo non hoc solum agebat, quod fecisse empiricos ex Celsi præfatione constat, ut *si incideret novum mali genus, statim videret, cui morbo id esset proximum, & tentaret remedia, similia illis, quæ vicino malo sæpe succurrerant;* sed ex ipsa observatione affectionum, causas etiam illarum, & constantem decursum cognoscere studebat, unde deinde natura duce assequi conabatur, quid faciendum esset, nunquam tamen opinioni suæ ita firmiter inhærens, ut morborum singularium & individuorum rationem observare negligeret.

erant lectores, in libro, quo tradenda sibi sumserat signa omnia, quæ longo usu observata habebat, & quæ ubique locorum, vel ita se habere, vel, si quid diversum sit, cognitionem ejus iuvare arbitrabatur; quin, quæ in ipsis constitutionibus epidemicis valere putabat: ut illis quidem ad morborum naturas cognoscendas utantur, verum non usque quaque fidant, & potius ex ipsa illa morborum cognitione deinde attendant, si quid extra ordinem in morbis eveniat, atque huius ipsius extraordinarii signa omni modo edisсere studeant.

§. XLIII.

Nempe, hæc ipsa videtur esse τοῦ θείου, quod jam tractamus, significatio, quæ nihil habeat, quod reliquis auctoris sententiis repugnet, sed contra ea rationibus totius libri prænotionum, & omnium Hippocraticorum scriptorum optime conveniat *x*), neque etiam a populari loquendi ratione abhorreat *y*). Videtur, inquam, Hippocrates hic divina vocare illa omnia, quæ præter prænotiones jam observatas, & hoc libro traditas, fiant; atque hæc diligenter observari velle a medicis, ut inde etiam hujus prænotiones exsculpere, & ita semper magis magisque morbos cognoscere & prædicere discant. Neque adeo poterit quisquam de hocce divino in morbis recte judicare, nisi in ipsorum morborum ordinario decursu investigando antea probe exercitatus, ut

x) Pulcherrime enim cum illis locis, qui in superioribus adhuc copiose expositi sunt, conciliari potest hæc sententia, cum in illis omnium rerum & morborum causam, agentem per naturæ a Deo positas leges, ipsum Deum pronunciet optimus senex; hic, ubi leges ordinariæ migrari viderentur, statim ad causam primam & summam provocet, a qua omnia pendere sciebat, donec propiores invenirentur. *v.* §. 21.

y) Ex §. 40 constitit, quæ magna putarent veteres, & quorum ratio occulta esset, ea *divina* illos dixisse. Et plura afferri possent, si opus videretur, cum, ut hoc utar, Cometæ & Eclipses, quod extra ordinem & sine manifesta causa accidere putarentur, divinæ ab imperitis habitæ & vocatæ, quin forte Planetæ etiam, ob incognitam diu illorum cursus rationem, deorum nominibus insigniti sint.

ut nimirum nemo ad exactum de ſtatu morboſo corporis judicium ferendum aptus erit, qui non ſani naturam antea probe cognitam habuerit.

§. XLIV.

Neque vero cauſa hujus divini indicari poterit, cum productus a cauſa ordinaria illaque cognita effectus, ex notione noſtra divini, θεῖος non ſit, & non poſſit extra ordinem aliquid evenire dici, niſi illud a cauſa incognita medico producatur; etiamſi ordinarium aliquid eſſe poſſit, licet ejus cauſa non cognoſcatur. Ac proinde τὸ θεῖον in omnibus morbis z), ubique, quocunque tempore, a cauſis omnibus, poterit exiſtere, modo fiat aliquid, quod obſervatis adhuc in natura & decurſu morbi, cujuscunque demum, repugnet. Neque vero ideo omnia illa, quæ præter naturam affectionis, in morbis pene ſingulis, quotidie evenire obſervantur, ſtatim ad divinum Coi referenda videntur, cum id ipſum, quod ſæpe ejusmodi mutationes obſervatæ ſunt, & ſub iisdem conditionibus, atque ut inde ſuſpicari licet, a cauſis iisdem ortæ, efficiat, ut non amplius hæc divini notio illis conveniat.

§. XLV.

Malignum in morbis exemplum ſit eorum, quæ adhuc dicta ſunt. In illo enim multa ita ab ordinario decurſu morbi, in quo obtinet, deflectere obſervantur, ut diligentiſſima attentione opus ſit, ne fraudem ſibi, vel ægro potius, quem tractandum ſuſcepit, fieri patiatur medicus; cum ſæpe pulſus arteriarum oppreſſus, in ægris ſubito debilibus, & nihil mali ſentientibus, inquietis tamen deprehendatur, maxima interim febre, quæ non niſi ex effectibus cognoſci poſſit, corpus depaſcente, ita, ut cum optimis ſignis

z) Etiamſi ex Hippocratis ſententia, divinum hoc in morbis ſolum quærendum videatur, tamen pari ratione etiam in cauſis morborum, & ipſis medicamentis obtinebit, quo divina medicamenta GALENI, pro rationibus illius ſecuti, omnino referenda fuiſſe videntur. v. §. 43.

nis æger moriatur. De his & id genus aliis, pleni ſunt medicorum commentarii, quæ ut, poſt circulum ſanguinis inventum, & cadaverum ſectionem repetitam *a*), ipſamque naturæ effectuum diligentiorem obſervationem, facilius explicari poſſunt; ita plerumque ex perverſo medicationis genere orta, vel aucta certe, mortis inevitabilem neceſſitatem inducunt; cum medici quidam, conſilio maligni a corde pellendi, calidiſſimo regimine febrim incendere, & varias inflammationes, in ſphacelum letalem mox degeneraturas, excitare ſoleant, etiamſi ratio, experimenta, auctoritas, ſapientiſſimorum in arte virorum, contraria fieri, & omni potius arte impetum febris minui jubeant. Peſtis ipſa ad maligniſſimos omnium morborum merito refertur, cum ſine ullo ſigno, ſaniſſimos quosque invadens, ſubito intra minimum tempus, ſiquidem ſummus ejus gradus obtineat, mortem inferat, niſi vel ſubita venæ ſectione, febris ſumma vis, quam poteſt celerrime, refringatur, vel omnibus meatibus apertis, id quod erat humoribus admixtum qualecunque μίασμα, morbum excitans, citiſſime eliminetur. Neque enim tutum ſæpe eſt expectare, donec illa materia in apoſtema deponatur, quæ naturæ methodus eſſe ſolet, & quam, niſi in principiis medelam feceris, poſtea omni arte adiuvare oportet. Hæc igitur, qui primum in ægris deprehenderunt, ſi quidem in morborum natura examinanda verſati fuerint, ſine dubio ad divinum quod vocat Hippocrates, retuliſſent, quæ jam, partim ab Hippocrate ipſo diligenter obſervata, & hodie a ſummis viris illuſtrata, ſub divini notione comprehendi non poſſunt, cum & prognoſis eorum exſtet, & curatio apta præſcribi poſſit, etiamſi cauſæ non perfecte inſpiciantur. Eadem plane ratione, atque ſingulæ epidemicæ conſtitutiones, cum primum invadunt, extraordinarium aliquid habere, experientiſſimis quibusque medicis, videntur, quas poſtea diligentius obſervatas, ad ordinarias plerumque leges reduci poſſe, atque divini notionem ſemper magis magisque evaneſcere, exem-

a) Ex. gr. Sæpe in morbis malignitatis accuſatis, vomicas hepatis latere, inculcabat auditoribus ſuis, Summus, dum viveret, BOERHAAVIUS.

exemplis conſtat. Quæ quidem, e SYDENHAMI præſertim ſcriptis, confirmare non difficile fuerit.

§. XLVI.

Hinc illud conſequitur, ut quo diligentius quis morborum naturam examinandam ſibi ſumſerit, eo plus divini hujus illi primum offerri neceſſe ſit, quod poſtea ipſa illa diligenti obſervatione morborum, in primis ſi quam plurimorum obſervata adjungat, ſemper magis ordinarium, atque adeo hoc ſenſu minus divinum, ipſi futurum eſſe, conſideratio rei ipſius docet. Et certe, ſi methodum Hippocraticam ſecuti ab Hippocrate inde eſſent medici, atque ea diligentia, qua ſummus ille vir in indagandis morborum cauſis, ſignis, & effectibus uſus eſt, ad noſtra usque tempora, recentiores antiquiorum ſemper obſervationibus nixi, medicinam coluiſſent, quod commendare medicis hoc ipſo loco videtur Cous, parum divini hujus in morbis ſupereſſet. Quanquam vel ſic illud imminutum eſſe, tot novis ad medicinam acceſſionibus factis, tot obſervationibus ſcriptis, tot experimentis captis, nemo in dubium vocabit, Poterat vero magis decreſcere, niſi multi medicorum hypotheſibus, & vanis ingenii luxuriantis figmentis intenti, artem optimam, obſervationibus & certis experimentis ſapientiſſime ſuperſtructam, ad ſuas quisque normas, falſa veris miſcendo, accommodare, quam antiquis fundamentis, optime jactis, inædificare, & ita artem optimam ſemper magis perficere, maluiſſent.

§. XLVII.

Et jam jure quidem exempla hujus divini ſuppeditari expectabunt lectores. Verum, cum Hippocraticum divinum tractandum ſuſceperimus, dicendum eſſet, quid illi in morbis divinum viſum ſit, quod certe difficillimum fuerit, modo omnino fieri poſſit; cum ipſe Hippocrates in ſcriptis ſuis, quibus de morbis cognoſcendis & curandis præcipit, nunquam quod quidem nobis depre-

deprehendere licuerit, aliquid divinum hoc ſenſu vocarit *b*), verum, vel canones generales, ex pluribus hiſtoriis morborum collectos, vel ipſas obſervationes nudas propoſuerit, forte ut ex illis exempla deſumerent lectores eorum, quæ dicta erant; vel inde legum, a ſe poſitarum, exceptiones formarent, quibus poſtea, acceſſionibus ſubinde factis ad novas leges inveniendas uterentur *c*). Ex his autem inveſtigaturo, quid Hippocrati divinum fuerit, non ſufficeret, omnia Coi monumenta in numerato habuiſſe, & ex illorum comparatione deinde oſtendiſſe, eſſe aliquid in hiſtoriis morborum, quas tradidit, quod legibus, & obſervatis reliquis Hippocraticis repugnet, vel præter prognoſin acciderit; cum ſic nondum ad certum pervenire liceat, & hoc tamen ſemper reſtet dubii, forte hanc ipſam exceptionem, ſæpius obſervatam bono ſeni, & ad ordinarium decurſum morbi relatam eſſe. Certe hæc difficultas, quæ aliquoties tentantes repulit, ita nos deterret, ut malimus totum hoc, jam quidem omittere, quam ampliſſimo huic mari immergi. *d*)

§. XLVIII.

b) Et forte omnia quæ obſeruata habebat chartæ mandavit, ut poſteri demum, excitati divini nomine, viderent, an divini aliquid in illis obtineat, quos, adjecto ſingulis, quæ ſibi divina videbantur, ipſo illo nomine, ab inquiſitione deterruiſſet.

c) Si quis malit Hippocratem ſibi ſoli modo & filiis ſcripſiſſe, quæ obſervaverat; vel ſcripſiſſe, ut exemplum præberet, quomodo ſcribendæ ſint hiſtoriæ morborum, nihil eſt, quo refutari poſſit; quanquam omnia etiam conjunctim ſtare poſſe videantur.

d) Etiamſi hujus loci non ſit, exempla aliunde, quam ex ſcriptis Coi adferre, occurrit tamen in WEDELIANA epiſtola ſupra laudata exemplum, quod adſcribere placuit, quia nimis pulchre ad rem illuſtrandam facit. *Decumbit ſtudioſus*, inquit ille, *maligna febre, adſunt convulſivi motus graviſſimi, pulſus frequens, inordinatus, debiliſſimus, feces invitæ prodeunt, oculi feroces, natura proſtrata, evadit tamen. Alius febre maligna itidem laborans, ad oblata bene habet, vires conſtant, pulſus bonus, urina bona, moritur tamen, utrobique Dei digitum venerari fas eſt, omnia ex artis legibus facienti.*

§. XLVIII.

Unum tamen hic non omittendum eſt, quod etiamſi exemplum non ſuppeditet divini hujus, tamen ad ſententiam Coi perſpiciendam non inutile futurum videtur. Nimirum Hippocrates libro de morbo ſacro *e)* inter cauſas, quas habet, cur illum morbum non magis divinum putet, quam reliquos omnes, hoc etiam urget, illum biliosis non accidere ſolere, pituitoſos contra ea frequentiſſime invadere, in quibus cerebrum, aliorum etiam morborum cauſa, humore diffluens deprehendatur, cum ſi divinior reliquis jure habendus eſſet, omnes promiſcue invadere oporteret. Obſervaverat forte divinus ille vir, reliquos morbos corporum diſcrimen ſervare, ita, ut febris ardens pituitoſum; biliosum & calidum, ſine manifeſta cauſa, hydrops, non facile invadat, & hoc in ipſis epidemicis obtinere. Viderat porro ab epilepſia etiam pituitoſos magis invadi; ſtatuerat cauſam ejus eſſe humiditatem cerebri, hinc nulla parte diviniorem reliquis pronunciaverat, etiamſi a Deo, ut reliquos morbos, originem ſuam ducere putaret. Si jam obſervaſſet, illam, ſine alia cauſa, biliosos etiam aggredi, & reliquorum morborum, quin ſuas ipſius leges migrare, eam, quod extra ordinem graſſari videretur, & ejus cauſa abſcondita lateret, divinum quid habere arbitratus eſſet, neque tamen ideo cauſam ejus non quæſiviſſet, & curationem aptam ex indicationibus & experimentis invenire conatus eſſet.

§. XLIX.

Reſtat, ut aliorum ſententias, quam poteſt breviſſime percurramus, & cum noſtra comparemus; qua in re monendum ante omnia erit, de cauſis in univerſum in Prognoſticis ſermonem eſſe non poſſe, cum diſtincte *Θεῖον* in ipſis morbis quærendum eſſe *f)* ibi præcipiatur. Sed etiamſi interea ponamus, quærendum

e) v. §. 27. *n. f.* in fine.
f) Εἰ τι θεῖον ἐστὶ ἐν τῆσι νὐσοισι &c. confer. §. 44.

dum in cauſis eſſe, certe non in aëris conſtitutione illa generali, quod GALENUS quidem velle videtur, intelligi poteſt, cum omnes morbi ex Hippocratis ſententia ab aëre oriantur *g*) eſſetque adeo in omnibus morbis divinum quid, quod Coi verbis repugnat, qui ſi quid forte in morbis divinum ſit, obſervare vult medicos; Ut taceamus illud, Hippocratem tradidiſſe aëris effectus, quos tamen a diſcipulis ſuis diligenti obſervatione demum erui poſceret, ſi quidem in aëre divinum collocandum eſſet. His accedit, quod ratio nulla ſit, cur ambigua & obſcura voce θεῖον, nominarit aëris conſtitutionem, quam ſemper dilucide indicavit, nunquam illo nomine comprehendit. Neque vero *feliciores fuere, qui has difficultates cum viderent, vel cauſam occultam in aëre hærentem, & ſua vi excitantem morbos, vel a ſideribus cum aëre communicatam, intellectam Hippocrati putant:* cum deſiderum influxu, quod jure huc referri poſſit, nihil in Hippocraticis, invenias *h*); premant utramque ſententiam, quæ de cauſis in genere dicta ſunt; & quod cauſae obſcuræ, quam *non intelligere, multo minus ſenſibus percipere liceat, prognoſin,* quod tamen requirit Hippocrates, *ediſcere nemo poſſit; poſſit* tamen effectus illius videre, & hujus poſtea prænotiones obſervare. Verum ita divinum non cauſæ inerit, ſed effectui inde producto. Et eadem hæc ratio etiam contra SEBIZIANAM ſententiam facit, quæ etiamſi cum noſtra de cetero conveniat, hoc tamen difficultatis habet, quod & cauſas admiſcet, (de quibus ſermo in prognoſticis plane non eſſe videtur), & quæ in morbis ſenſui

g) Vid. §. 12. *n. b*, & confer. §. 35.

h) Conf. §. 18, & §. 29. Ea vero, quæ libro de inſomniis, de aſtrorum, in ſomnis viſorum, judicationibus dicuntur, comparatione inſtituta, & ex theoria ibi demum formata dici, neque adeo inde ſequi, morbos ab aſtrorum influxu ex Coi ſententia oriri, ſerio totum librum perlegentibus apparebit, neque videtur Hippocrates aſtrorum effectus veros in corpus humanum ibi ponere. Et in genere aſtrorum in corpus humanum influxum ex Hippocraticis ſcriptis declarari non poſſe, neque in ea ſententia fuiſſe Coum, magni in his litteris nominis, IOAN. HENR. SCHULTZII, auctoritate defendi poteſt. v. *Hiſt. Med. Per.* I. *Sect.* III, *c.* 3, §. 15.

ſenſui & rationi abſcondita ſunt, ea Θεῖα Hippocrati eſſe vult, quæ licet maxime eo referenda putemus, tamen quomodo prænotio eorum formari unquam poſſit, cum adeo abſtruſa eſſe ponantur, non videmus; & ſi formari poſſit, hoc tamen manebit, illa ſæpius obſervata divini notionem amiſſura, & eſſe, fuiſſeque præter hæc alia, quæ ſi modo tum, cum primum obſervata ſunt, obſcura fuerunt, & extraordinem a cauſa incognita acciderunt, divini Hippocratici notionem habuiſſe nobis videntur. WEDELIANA opinio ita illis, quæ a nobis adlata ſunt, tota ſimilis eſt, ut integram illam complexi divino Hippocratico, modo ampliores aliquantum terminos ei præſcripſerimus, quod an bene factum ſit, judicium eſto penes lectores. Illi porro, qui a Deo immiſſos morbos divinos dixerunt, ad nomen Θεῖον videntur reſpexiſſe, quod inde deſumtum eſſe dictum eſt *i*), ſed de cetero Hippocratem nullum morbum magis divinum putare altero, ex libro de morbo ſacro *k*) conſtat. De maleficiis denique & morbis a faſcino in Hippocraticis nulla ſuſpicio eſt, quam opinionem bono viro, omnis ſuperſtitionis hoſti infenſiſſimo, imputare velle, iniquiſſimum videtur *l*).

§. L.

Stat igitur ſententia, Hippocratem cum arctiori ſenſu, illa, quæ in morbis extra ordinem, contra leges diligenti obſervatione inventas, & a cauſis incognitis, fieri deprehendantur, tum morbos omnes, & opera naturæ in univerſum omnia divina dixiſſe. Nos, ut in ſingulis operibus naturæ, divinam ſapientiam atque bonitatem admiramur, ita omnes morbos a Deo, per naturæ leges ab ipſo poſitas, oriri arbitramur, quin omnes pene affectiones, quas adhuc accuratius inſpicere licuit, divini illius Hippocratici aliquid habere, nobis minus in hac palæſtra exercitatis,

i) v. §. 21.

k) v. §. 27. *n. g.*

l) confer. quæ ad §. 34. dicta ſunt.

tatis, viſæ ſunt. Verum ſperamus, accedente ætate, & experimentis ipſius artis, futurum, ut hoc ipſum divinum magis evaneſcat: Et ab altera parte, ut in eo finiamus, in quo cepimus, certi ſumus, & ſuperfutura ſemper plurima, quæ Hippocrates divina appellaturus fuiſſet, & ſucceſſura in locum eorum, quæ forte evaneſcent, plura longe, in illis etiam, quæ cognita jam videntur, in quibus conſiſtere oporteat, ut nihil ſuperſit adeo, quam, ut infinitam illam ſapientiam, potentiam, bonitatem, qua hæc omnia facta ſunt, demisſiſſimo venerationis cultu adoremus.

DISSERTATIO

DE

MALO HYSTERICO,

PUBLICE PROPOSITA

GOTTINGÆ, D. 30 DEC. 1741.

RESP.

F. G. MEIER,

GOTTINGENSI.

§. I.

Uterus, ob poſtremum inter viſcera corporis humani ſitum, græcis ὑςέρα, & quidquid feminis ſeorſim ſexus ſui vitio contingit, hyſtericum adpellari conſuevit. Quamvis igitur inter infinitas illas ærumnas, quas *Democritus* utero adſcribit, plurimæ fortaſſis alterius ſint originis, haud tamen ubiuis excuſare, & aperti criminis inter totius antiquitatis ſuffragia convictum, cum recentioribus quibusdam tueri, & plane inſontem declarare æquum videtur. Hi etiam ipſi, qui uteri tutelam nimis ſuſcipiunt, meminerint, integrum ſibi in poſterum non eſſe, hyſtericas vocare, a quarum utero omnem labis ſuſpicionem ipſi removent.

§. II.

Non dubitamus igitur, malum hyſtericum, quod Græcis πνὶξ vel ἄπνοια ὑςερικὴ, PARACELSO caducus matricis, *Helmontio* aſthma uteri, plerisque hodie ſtrangulatus matricis, vel ſuffocatio hyſterica aut hypochondriaca adpellatur, tanquam vehementem adfectum generis nervoſi ſpasmodicum & convulſiuum conſi-

conſiderare, ab irritante circa uteri confinia ſtimulo natum, hinc cum moleſto ſenſu circa loca illa, & ſpecie plerumque globi inde adſcendentis, & inter ſpasmos partium abdominalium incipientem, ulteriorique progreſſu in ſtrangulatum faucium, oppreſſumque ſenſim pulmonum & cordis motum, ipſumque ſenſum & extremorum perfrigerationem deſinentem.

§. III.

Violentos nervoſarum & fibroſarum partium ſpasmos *a*), eosque, ſi morbus invaleſcit, fere univerſales nemo non deprehendit. At multis non opus videtur, ſpasmorum illorum origines ab utero derivare. Perquiremus igitur paucis veteris & recentioris ævi de illa mali ſede ſententias. Et antiquorum quidem medicorum ad initia usque elapſi ſeculi concordes de utero querelas reperimus. HIPPOCRATES *b*) vagum uteri, inſtar pilæ in ventre oberrantis, motum variis locis adſtruxit, & nunc ad latera, nunc ad præcordia & ipſum caput, nunc e contrario ad pedes devolui exiſtimavit. In qua re, quamvis CAESALPINUS, MERCATUS, HELLWIGIUS & alii eum cum vulgo locutum eſſe, & ad ſenſum feminarum tradant; verba tamen ejusdem ſine reſtringendarum vocum conditione toties iterata, & ad inſtitutionem medicorum, non plebis ſcripta, hinc a vetuſtis jam medicis impugnata, haud illo interpretum fuco, in priſca rei anatomicæ caligine, multum indigere videntur. Hinc & ARETAEUS CAPPADOX *c*) fluctuantem illum uteri motum nunc ad latera, nunc ad ſuperiora iisdem propemodum verbis expreſſit. Oculatior in anatomicis GALENUS *d*), non tam contra Hippocratem, quam PLATONEM in eodem argumento diſputans, primus utero vincula

a) WILLISIUS accuratiſſime demonſtravit, ſymptomata illa hyſterica eſſe ſpasmodica. L. de morb. convulſ. C. X. Conſer. Ill. Hoffmanni Med. Syſt. T. IV. P. III. C. 5. p. 153.
b) De natura mulierum, item morbis mulierum variis locis.
c) L. 2. de Cauſſ. & ſign. acutor. morb. c. 10.
d) De Loc. adfect. c. 5.

cula injecit, vel potius illa, quæ ejus excurſiones inhibeant, per naturam adeſſe oſtendit. Adeo tamen in hyſtericis uterum non immunem agnovit, ut à corrupti ſanguinis & lymphæ ſeminalis halitibus, per vaſa nervosque ſparſis, cœperit ſymptomata explicare. Quod ipſum non obſtitit, quo minus inter recentiores LIDDELIUS, FERNELIUS, AUGENIUS, LOMMIUS & alii, in partes Hippocratis proniores, ſentiri manu illos adſcendentis uteri motus, & in propriam ſedem repelli eundem poſſe exiſtimaverint. Acceſſit SPIGELIUS, & nihil ait in anatomicis ac rerum natura experientiæ habere, qui hic repugnent, ſe vero ipſum in gravidis & non gravidis multiplicem loci mutationem ſenſiſſe, nec hinc mirari, tam frequentem rei hujus mentionem ab Hippocrate injectam. Facile tamen GALENI ſententia caput extulit, vindicibus SINIBALDO *e*), DIEMERBROECKIO *f*), aliisque innumeris, licet non omnes partibus vicinis circum quaque adeo ſtrictim adligari velint, quin levis ſitus mutatio, in gravidis adeo neceſſaria, & ipſi jam GALENO conceſſa, locum reperiat. Id vero ex dictis adparet, inter hæc ipſa opinionum diſſidia, perpetuam tamen latentis mali ſuſpicionem preſſiſſe uterum, ſive is ex ſede ſua malignos halitus, frigidos, coagulantes, vel alia vi inimica penetrantes diſpergeret, ſive ipſam mutaret ſedem cum vicinarum partium offenſione.

§. IV.

Progreſſam eo usque adfecti uteri doctrinam primus impugnavit CAROLVS PISO *g*), & quidquid hyſtericorum ſymptomatum eſt, rejectis uteri vitiis ad epilepſiam, capiti idiopathicam, retulit, ferventemque ſeri colluviem principia nervorum, præſertim ſpinalis medullæ, impetere, & violenter diſtendere, capto

e) Genianthr. L. 4. T. I. c. 20.
f) Anatom. L. 1. c. 24.
g) Cujus Obſ. de præteruiſ. morb. à ſeroſa colluvie primo prodierunt 1618. Sedem hyſterici mali in capite, & cauſſam continentem in Sect. II. P. 2. pag. 144. & 145. Edit. noviſſ. expoſuit.

capto in defunctarum cadaueribus experimento docuit. Ex quo tempore in alias hysterici mali sedes designandas ab iis, qui ingenio abundarunt, certatim itum est, NATHANAEL HIGHMORUS *h)* infarctum pulmonis accusavit. FRANCISCUS *de le* BOE SYLVIUS a succo pancreatico cum bile effervescente, & per halitus austeros adscendente, omnes turbas, orientium in primis flatuum, explicuit. THOMAS WILLISIUS & ipse THOMAS SYDENHAM cerebrum ac nervosum genus adfectum putarunt. Omnes purgato utero sedem mali aliorsum transferunt, at tum lucem novæ morbi cognitioni accendunt, illam, quæ tot seculis luxit, exstinguere non sine quadam injuriæ specie videntur. Vix erat secessu illo opus, cum novæ veritates, quæ iis debentur, fulcire veteres & exornare, imo quidquid errorum adhæresceret, separare longe majori artis decore potuissent. Coëgit celebres viros deserti uteri causa, si unum fere HIGHMORUM excipias, ut viros ipsos in hysterici mali consortium admitterent, omnis ævi observationibus excluſos, & forte ob hanc solam rationem, quod nunc in partem, utrique sexui communem, culpa devoluta esset, tam tetræ societatis participes redditos *i)*.

§. V.

Sed quid demum respondebimus illis *k)*, qui uterum sigillatim quatuor potissimum argumentis excusant, 1) quod sensu non gau-

h) Tract. de Pass. hyst. c. 3.

i) HENR. MEIBOMIUS, in Diss. de suffocat. uterina Helmstadii 1686. habita, notat §. 11. cum LANGWEDELIUS Hamburgi Pisonem enucleate edidisset, de sententia ejus inter Lubeccenses medicos exarsisse litem, at neminem inter eos, licet munere & fama magnos, fuisse, qui vel unicum virum viderit cum vera quadam hysterici mali specie conflictatum esse. Addit ipse Meibomius, se inter sexcentos hypochondriacos, quibus medicinam fecit, nullum reperisse eadem cum hystericis passum. Mira sane res videtur, inter tot secula ante Pisonem neminem de viris hystericis cogitasse, cum quæstio sit circa rem sensibus expositam, non ex ratiocinio & hypothesi derivandam.

k) Vid. celebr. viri C. M. BURCHARDI Diss. de adfect. hyster. Rostochii habit. §. VIII.

gaudeat exquiſito; 2) quod fibris carneis & nerveis deſtituatur, adeoque nec ſpasmo adfici, nec ſpasmum in aliis locis excitare poſſit; 3) quod multæ hyſtericæ ſint, quæ tamen valeant utero, prout ex integritate fluxus menſtrui colligi queat; 4) quod multæ hyſtericæ non ſint, quæ tamen utero laborent, indicio corrupti humoris exſtillantis, vel ſuppreſſorum lochiorum, vel aliorum malorum. Adduntur demum exempla virorum cum eodem malo conflictantium. *Primi argumenti* vim vel illa veterum ſententia infringere videtur, quæ cum ARAETEO ζῶον ἐν ζῴῳ uterum dixit. Adeo ipſis vivere, ſentire & adpetere cenſetur, ut peculiarem quaſi vitam habeat, & ex ipſa cupiditate ſtimuli explendi tam feroci motu exſultet. Certe cum hic per uterum intelligamus omnem partium generationi deſtinatarum ambitum, nemo inſenſibilem ſibi concipiet hanc ſenſibiliſſimæ voluptatis ſedem. Furores uterini hinc enati, qui totum ſyſtema nervoſum turbant, ſenſum omnem non adficiunt modo, ſed & in primis ſedibus labefactant. Et quod potiſſimum erat, tot nervi per uteri compagem, ab ipſo trunco intercoſtali, ſparſi, & tot ſævientes dolores in ulceribus & aliis malis uteri, facile negatam ſenſibilitatem adſerunt *l*). *Alteri argumento* miram illam contracti expanſique uteri varietatem obiicimus. Ejus involucrum, quod ſub exteriori & interiori interiacet, muſculoſum à MALPIGHIO ſic deſcribitur, quod inſtar veſicæ urinariæ, fibræ fortes & craſſæ ab uno latere oris extenſæ, omnem ambitum percurrant, & ad oppoſitum latus deſinant. Harum vis eſt, arctare uterum, fœtu autem contento aperire os uteri. Si cauſſa interna diſtendit, videntur fibrarum ſtrata non omnem tegere ambitum, & quaſi in loco vacuo intermedio inter has fibras, vaſa ſanguifera, quæ gravido utero ad liquida aduehenda debebant, decurrunt. At ſi cauſſa diſtendens ceſſat accurtari fibras, & com-

l) Iam Hœchſteterus Obſ. Med. Dec. IV. pag. 24. uterum ſimilem nervo dixit, fibris plurimis gaudentem, ob quas facile ſe contrahit. Pulchre addit: *pars eſt multis morbis opportuna, in quam arteriæ & venæ plurimæ deſinunt, per quas totius corporis excrementa & recipere poteſt, & ſolet, quorum ſi tardior exitus ſit, quam adfluxus, facile per nervos malum diffunditur.*

comprimi vaſa, ſalutari in compeſcendis ſenſim lochiis inſtituto naturæ &c. certum eſt. *Tertium argumentum*, quod multæ hyſtericæ utero valeant, non debet ſola fluxus menſtrui integritate niti, uti nec *quartum*, quod multæ utero laborantes non ſint hyſtericæ, tangere illos poteſt, quibus nunquam in animo fuit, ſolis cancellis hyſtericæ paſſionis omnem includere uteri morbum. Ibi negamus, utero ſemper valere, quibus menſes rite procedunt, hic adfirmamus, multas laborare utero poſſe ex alia etiam cauſſa, quam ſolius mali hyſterici. Viros autem, qui hyſtericos facit, videtur hypotheſi litare. Exemplorum, huic rei ſervientium, parum eſt, & ſymptomatum, in iis occurrentium, diſpar plerumque ratio, ut illa deliquia animi, illa aphonia, & ſuffocationis pericula, quæ ſæpe non minus ſubito invadunt, quam ceſſant, hyſtericis tam frequentia, in viris vix deprehendantur. Neque tamen eſt, cur nimis hic difficiles ſimus, cum ſpasmorum ex alio fomite ortus in viris quoque nervorum imbecillitate adfectis ſimiles aliquando turbas excitare poſſit, in iis maxime, quorum liquor ſeminalis ſtagnans vel corruptus in ſpaſtica ſymptomata erumpat. *m)* Sunt viris picæ & vomitus, ideo tamen picas prægnantium nemo negat ex uteri culpa oriri. Poſſunt igitur communia fere ſymptomata a diverſis cauſſis enaſci, modo illud ponamus, fortiores virorum nervos plus cauſſæ irritanti reſiſtere, nec aliam facile partem eſſe, quam uterum, quæ ſecum communicantes nervos ita in conſenſum rapiat, & illam ſymptomatum ſeriem pariat.

§. VI.

Sed hæc quidem ad vindicias uteri reſpondiſſe nondum ſufficit. Penitius excutienda eſt cauſſa ejus, ut pateat, merito eum inſimulari de tot malorum proventu. Id ſtatim *illum in ſuſpicionem trahit, quod feminas tam acriter adfligat, viris* vel pepercerit ſemper, vel non niſi raro & mitiori, imo multum diſſimili ſpe-

m) Singularem caſum habet Ill. Hoffm. in Med. Rat. Syſt. Part. III. Cap. V. Obſ. 2.

ſpecie impendeat. Quodſi cogitamus, plerasque manifeſte infeſtari, quæ vel menſtruo fluxu, vel alio uteri vitio laborant, id jam magnum juſtæ ſuſpicioni momentum addit. Dum vero deinceps ingruentis mali primus ſenſus circa uterum notatur, & cum *Fernelio Rhodioque* ſevere pronuntient doctiſſimi viri, ipſis manibus ſe deprehendiſſe aliquem uteri motum, parum videtur ſupereſſe, quod ſpem alat immunitatis ejus. Si porro conſideramus medelam ab uſu veneris *n*), a prolapſu uteri *o*), a variis eidem injectis, crescunt capita æquiſſimæ accuſationis. Illud jam ex Harvæo notum eſt, quod vitriolum Romanun cum aliis utero injectum, miram ejus vehementer contract. duritiem, & omnia deinceps hyſterica ſymptomata pepererit. Maximum denique momentum dabunt ipſæ inſpectorum cadaverum ſectiones. VESALIUS *p)* teſtes hyſtericarum pila grandiores, & graveolente humore infarctos reperit, WEPFERUS *q*) utrosque teſtes in magnam molem excreviſſe obſervavit, BINNINGERUS *r*) eosdem cum vaſis ſpermaticis & tubis uteri tumentes induratosque, inſtar ſteatomatis vidit. Similem duritiem, pugno majorem, in teſte RIOLANUS *s*) notavit. DIEMERBROECK *t*) plerumque exceſſum magnitudinis circa uterum, & nunc liquidum æruginoſum, nunc croceum, nunc flavum deprehendit. MANAGETA *u*) uterum cum teſtibus a materia ſeminali corrupta, inſtar caſei recens coagulati, turgidum deſcripſit. Nec opus eſt, uterum ſemper inflammatum, ulceroſum vel magno corrupti liquidi infarctu adfectum ubivis exſpectare, cum quod aliquamdiu hæret & colligitur, & per ipſum deinceps paroxysmum diſpergitur, poſ-

n) Ballon. Conſil. medicinal. L. III. Conſil. 55. cultum uteri, tanquam fundi, ſymptomatum hyſtericorum medelam eſſe ait.
o) vid. Haruæum de partu.
p) L. V. de hum. corp. fabrica cap. XV.
q) In Epiſt. ad Segerum p. 39.
r) Cent. II. Obſ. XC.
s) Anthropol. L. II. p. 35.
t) Anat. L. I. de ventre inferiori c. XXIV.
u) In M. N. C. D. I. a. I. obſ. 32.

poſſit tantum malorum ſine remanente veſtigio creare. Sæpe pulmonem acris humor, licet non perſiſtat, plus quam magnæ vomicæ infeſtat. Addo, in minimis non raro vaſis, ſenſibus haud ita expoſitis, vim irritantis mali latere poſſe. Denique, ſi WILLISIUS membranas potius meſenterii, prope plexus nerveos, a ſe divulſas tumidasque, & in bullalas quaſi inflatas notavit, ſi PISO in occipite nervorum principia ſero acri immerſa vidit, nulla inde uteri immunitas ſequitur, ſed ſpasmi inde ad alia loca translati violenta mutatio, quæ & ſtaſin & rupturam facile aliis locis intulit.

§. VII.

Majorem ſententiæ noſtræ lucem adfundit demonſtrata ſymptomatum origo ex idea adfecti uteri. Sed præmittamus primum paulo luculentius, qualia iſta ſint. Corripiuntur interdum ægræ ſatis ſubito, plerumque laſſitudo aliqua, tædiumque ac torpor præcedit cum ſenſu puncturæ ad pedes & femora *x*). Mox dolor lumborum cum algore quodam, venter durus, umbilicus retractus, (qui in hypochondriacis potius extrorſum diſtenditur) & ſenſus globi e ventre ad diaphragma adſcendentis cum murmure inteſtinorum, alvo adſtricta, & limpidiſſimi lotii effluxu. Dum vires mali creſcunt, anxia ſequitur & ſuppreſſa reſpiratio, cor inæquali & tremulo pulſu palpitat, extrema algent, fauces anguſtantur, vox perit, & ſæpe ſine veſtigio pulſus ſenſus & reſpirationis jacent proſtratæ. Hæc potiora & fere conſtantia ſunt, quæ contingunt, alia, pro convulſarum partium indole, mirum in modum variant. Inde enim aliis nunc oculi introrſum, nunc extra orbitam depelluntur, nunc ſtridulus ſonus vocis efficit, ut pro ἐγγαςρομύθοις & dæmoniacis habeantur, nunc varia delirii forma rident, cantillant, laſciviunt, nunc e contrario ſoporibus opprimuntur. Talia ſymptomata plerumque remittunt, nunc ructibus, nunc ſuſpiriis, nunc lacrymis expreſſis, nunc ſoluta alvo, nunc

x) WILLIS. de Febr. C. XI.

nunc humore quodam per muliebria exſtillante. Inter quæ pulſus vegetior fit, facies explicatior, calor, ſenſus ſpiritusque redit, ut quaſi e ſomno evigilare videantur. Nunc cito & perfect. ad ſe redeunt, nunc remanente ſenſu gravitatis & laſſitudinis, Ex dictis abunde patet morbi *diagnoſis*, reſtat tamen inſpicere quomodo illa a labe uterina pendere poſſint.

§. VIII.

Externa membrana, utero ſuperextenſa, & firmo nexu ſuſtinens diverſi generis vaſa tranſeuntia, dum ſequitur uteri motum, nunc ampliatur in vaſis ſuis, nunc contrahitur. Quæ, licet mira anaſtomoſi diſpergantur, toties tamen capacitatis ſuæ gradum mutantia, facile ſtaſi & corruptioni contentorum ſunt obnoxia. Vnde uterum, qui alio tempore vix vaſculoſus adparet, circa menſtruorum fluxum quaſi varicoſum obſervant. Uti vero *arteriæ ſpermaticæ primus & maximus ramus* ſe teſti immergit, *alter* ad ligamentum uteri latum ac membranaceum, ex gemina peritonæi lamella factum, decurrit, *tertius* per uterum ſpargitur; ita communis ratio reticularium plexuum, inter ſe communicantium, mutuum ubivis conſenſum ſtabilire videtur. Venarum reducentium, a teſte in primis, tanta eſt multitudo, ut ex reflexu leviter impedito, varicoſum adpareat corpus. Nervi vero adſiduo comitatu omnia ſtipant, dum ipſe truncus nervi intercoſtalis, poſtquam plexum hepaticum, lienalem, renalem & meſeraicos ſuperavit, adſcitis nervulis, inprimis oſſis ſacri, partibus ubique genitalibus æque ac veſicæ & inteſtino recto liberaliſſime proſpicit. A mora igitur liquidi in dictis vaſis vel ſtagnantis, & corruptionem ſubeuntis, vel nimia tenſione irritantis, poteſt & irritatio nervearum fibrillarum, & hinc orti ſpasmi progreſſus in partes primum vicinas haud difficulter explicari. Veluti per peritonæum cum omnibus partibus abdominalibus non levis conſenſus eſt; ita maxime per nervum intercoſtalem, ex dictis plexibus emergentem, & per nervos oſſis ſacri & lumbares, totamque medullam ſpinalem mirifice fulcitur. Inde eſt, quod hyſterici ſenſu illo circa regionem uteri & lumborum primum adficiantur, aluus adſtrin-

adſtringatur, renes non niſi limpidiſſimo lotio pateant, flatus per inteſtinalem tubum intercipiantur, ructus, nauſeæ, vomitus oriantur, & quæ alia manifeſtam ſpasmi naturam arguunt. Hæc in abdomine ſcena primum luditur, mox vis mali ad thoracem per nervorum perpetua commercia tranſit. Intercoſtalis enim formar plexus ad ſingularum coſtarum radices, & ubivis nervos ſpinales ſibi adſciſcit, ipſe pharyngi & laryngi cordique ramulos impertit, & cum plexu cardiaco, &, ut WILLISIUS oſtendit, cum nervis phrenicis & recurrentibus communicat. Quodſi præterea tum per medullam ſpinalem vis ſpasmi, tum per inteſtina ad ventriculum & œſophagum flatuum violentæ tenſiones concurrunt, neceſſe eſt, cordis pulmonumque motum fere opprimi, & cum periculo ſuffocationis fauces & pectus anguſtari. Et quid impedit, quo minus tertium ſtadium morbus emetiatur, & origines irritatorum nervorum concutiat? Sunt in facie externa hujus convulſionis ſigna, internam cerebri labem produnt ſopores, vel ingens certe ſenſuum diminutio, quamvis hanc ipſam jam ſequi oporteat ex pulſu vix ſenſibili, qui ſanguinis parum ad cerebrum, hinc & ſecretorum ſpirituum parum ad cor vehere poteſt.

§. IX.

Speciatim aliqua proſequemur, ut adpareat, plerosque inter ſe ipſo externo diſſenſu conſpirare. Manifeſte quædam a flatibus pendent, ut recte SYLVIUS, multa a motu pulmonum oppreſſo, ut recte HIGHMORUS, plurima a nervis, ut ipſe poſt WILLISIUM SYDENHAM docuit. Et flatuum ſane originem concipere nunquam ſine ſpasmo licet. Hic obicem ponit transeundi, ut interceptus & calore rarefactus nitatur in eruptionem non ſine violenta tenſione partis, intra quam coërcetur, adfligente nervos vicinos. Id vero, *quod ſe attollit inſtar nodi*, flatum cum SYLVIO dicamus? an cum GLISSONIO *y*) particularem muſcu-

y) De ventric. & inteſt. C. 22.

muſculorum abdominalium convulſionem? an cum WILLISIO z) plexum nerveum in medio meſenterio immaniter inflatum, multi fortaſſis ambigant. Sane illis plexus nervei tumoribus, quos WILLISIUS ſtatuit, adſentiri non permittit conditio nervi ad inflationem omnem inhabilis. Reliquæ binæ ſententiæ, ſi ex natura præcedentis ſpasmi explicantur, ferri ſimul poſſunt. In ſcorbuticis & vaga arthritide laborantibus ſubinde obſervamus rotundos oblongosque tumores, in muſculis præſertim femoris ac ſurarum, inſtar ovi anſerini. Hæc manifeſta eſt muſculorum convulſio, at non minus manifeſta eſt ratio adſcendentis in tubo cibario flatus & circa locum obicis intumeſcentis, inprimis cum illo per ructum ſoluto cedat ſubinde, quod pali, gulæ infixi, ſpeciem habebat. Jungamus igitur utraque tanquam ſpasmorum effectus, qui maxime adfectis muſculis colli, pectoris, laryngis opprimunt actionem cordis & pulmonum, ut opus non ſit, id cum SYLVIO auſteris halitibus tribuere, aut cum HIGHMORO infarctum pulmonum ſtatuere, cui ſine dubio inflammatio ſuperveniret vel hæmoptyſis.

§. X.

Peritis facile morbus noſter a cognatis diſcernitur. Proxima cognatio eſt cum *epilepſia*, in quam omnino terminari ſubinde ſolet. *Adeo vulvæ morbus*, inquit CELSUS *a*), *interdum exanimat, ut tanquam comitiali morbo proſternat, diſtat tamen in eo, quod nec oculi vertantur, nec ſpumæ profluant, nec nervi diſtendantur*. In epilepticis convulſio magis univerſalis eſt, pulſus adhuc vegetus, eorum vero, quæ geruntur, oblivio: Hæc tamen ſecus ſe habent in hyſtericis, in quibus præterea ſub finem morbi vel ventris murmura, vel lotii aut uterini liquidi effluxus notantur, quod in epilepticis ita non fit. Addimus ibi ſurſum, hic deorſum

z) De Anat. cerebri c. 27.

a) L. IV. C. XX.

ſum vim primam convulſionum ſe exerere. *Malum hypochondriacum*, quod multi vel plane non, vel tantum ratione ſexus diſtinguunt, dum viſcerum abdominalium ſcirrhis, infarctibus ac corruptelis ortum debet, lente naſcitur, diu perſiſtit, & difficillime vincitur. At hyſtericas, quarum viſcera abdominalia ſæpe ſine omni labe reperiuntur, ſubito invadit malum, ac deſerit, & ſæpe leviſſimis medicamentis cedit. Ibi nec tanta deliquia animi, nec tantum periculum ſuffocationis, nec tanta ſenſuum motuumque oppreſſio, quam hic notari ſolent. Adde, hypochondriacos invaleſcente morbo melancholia, ſcorbuto, vel lentis febribus adfligi, hyſtericas acutis potius, vel furore uterino, aut epilepſia. Cum *nephritico malo* & *renum calculo* exigua eſt adfinitas, cum nunquam illa mala ad ſuffocationem usque & ſtrangulatum faucium invaleſcant. In *apoplexia* major eſt ſenſus motusque abolitio cum ſtertore plerumque, manente, vel etiam intenſius aucto pulſu cum laborioſa reſpiratione. In hyſtericis maxime ultima adfliguntur, ſenſus aliquis geſtorum remanet, multis frequentes geſticulationes ſunt. Si in faſtigio ſit vis mali, facillime poſſis cum *ſyncope* confundere, quæ mortis imago eſt, imo interdum cum *morte ipſa*. Sunt ſane, qui illa vitæ adhuc ſuperſtitis explorandæ adminicula, ut plumam, vel goſſypium carptum, aut candelam accenſam, aut ſpeculum, vel terſum chalybis fruſtum, naribus admotum, vel vas aqua plenum pectori impoſitum negant ad probandam vitam ſufficere. Quamvis enim polita illa corpora vel levi halitu infici, & agiles iſtas partes eodem moveri oporteat, ita tamen ſubinde oppreſſa eſt anima, ut nulla amplius per vias conſuetas meare videatur *b*). Capivaccius, Hollerius, Riverius & alii negant, his fidendum eſſe, niſi inter uſum excitantium, & ſternutatoriorum in primis. Vesalium, quod hyſtericam pro mortua habitam ſecuerit, defendit Andreas Dudithius *c*). Certe inter opprobria illa, quod in ipſis interdum

b) Exiſtimavit Galenus 6. de loc. adf. c. 5. mulieres vivere ſine reſpiratione per ſolam corporis perſpirationem.

c) Apud Laur. Schulzium Epiſt. 31.

terdum ſepulchris revixiſſe mulieres, & ſeptem diebus exanimes ad ſe rediiſſe dicantur, non ſunt temere ad quamcunque mortis ſpeciem deſerendæ. Plerique, collectarum obſervationum fide nixi, non extra triduum ſpem vitæ extendunt.

§. XI.

Diſtinguit *paſſionem hyſtericam* ROLLFINCIUS *in perfectam & imperfectam*, HELLWIGIUS *in veram & notham*. Quam ille imperfectam, hic notham dicit, ſpasmis vicinarum partium terminatur, atque hanc perpetuo fortaſſis ſuſpicantur imperitiores, quoties ad feminas, cum morbo non ſatis cognito conflictantes, vocantur. Vera autem vel perfecta in illam fere univerſalem generis nervoſi convulſionem terminatur, ita tamen, ut pro diverſo gradu ſenſibilioris naturæ cum majori minorique ſymptomatum ſatellitio ingruat, vim vero præcipuam in pulſus & reſpirationis ſedem exerceat. Diſtinguere non minus morbum licet prout vel per πρωτοπάθειαν vel δευτεροπάθειαν exoritur. Ibi minera mali latet in utero, hic uterus in conſenſum tractus truculenta illa ſymptomata ciet.

§. XII.

Obnoxiæ præ reliquis morbo noſtro ſunt puellæ viro maturæ, feminæ ſteriles, viduæ juniores, inprimis ſi animi ſint ſenſibilioris & texturæ tenuioris, præterea molliter & in otio educatæ, ſanguinisque & ſucci plenæ, viriliumque amplexuum adpetentes. Inter fluxus eorum poſtea vitioſos vel retentos, inter laborioſos partus & ſuppreſſa lochia, inter molimina menſium primum erumpentium, inter irritamenta gulæ, quæ opiparum victum cum vino generoſo indulgent, inter adfectus, qui cholericis maxime & ſanguineis ferocius inſurgunt, interque odores & alios nervorum ſtimulos ingens metuenda eſt erumpentis mali hujus ſævitia. Quæ tardæ & phlegmaticæ vel animi conſtantis ſunt, raro convelluntur, rarius, quæ inter labores & exercitia corporis robur nervorum adeptæ ſunt. Vt immaturis puellis,

ita

ita & vetulis, quæ concipere, parere & utero purgari desierunt, parcit morbus, nisi prægressis jam annis nimis invaluerit.

§. XIII.

Feminas ad morbum illum sic magis minusque prædispositas corripiunt causſæ internæ & externæ, quæ nervos vehementer irritant, fluxumque spirituum turbant. Quem turbatum concipere nunquam licet, quin progressui quoque sanguinis & humorum per vasa obex varie ponatur. Vtrique stimuli, qui pubertatis annis oriuntur, & nunc menstruos fluxus excitant, nunc desiderium ad venerem accendunt, huc potissimum omnium auctorum unanimi fere consensu referuntur. *Si illis satisfieri secundum* naturæ leges potest, magna hæc sunt præsidia sanitatis, quibus mulier contra injurias morborum defenditur. Si neutrum rite obtinetur, læsio debitæ excretionis moram, infarctum & corruptionem, stimulumque liquidorum circa vasa uterina gignit. *Mirum est*, SYDENHAMUM ne inter causſas quidem mali hysterici vitia uteri *in excretis numerare. Haud facile persuadeor*, quibus rite succedunt menstrua, & maritorum officium legitime præstatur, in hoc malum facile incidere, quamvis etiam alterius originis corruptelam, sed longe rariorem, in humoribus per vasa uterina concipere liceat. Multa ducunt ad illum statum morbosum, multa, si eo perventum est, accelerant erumpentis mali sævitiam tanquam remotiores causſæ. De illis paulo ante diximus, ubi, quæ mulieres ad hunc morbum procliviores reddant, exposuimus. Ad has referimus vehementes animi commotiones, terrores, iras, mœrores, solicitudines, maxime Zelotypiam *d*), diætam acrem, crassam, salsam, pinguem, vinosam, quælibet etiam fragrantia & suaveolentia, propter quæ mulieribus sæpe timenda pharmacopolia easdem compositiones medicas nunc cum nunc sine odoratis venales habent. *Ita apud* PANAROLUM *e*) aquam

d) Montanus L. I. Conſ. 89.

e) P. III. obſ. 17.

aquam flor. aurant. hyſtericos inſultus excitaſſe legimus. Suggerunt hic ſæpe multum irritantis ſtimuli ipſæ febres, ubi interdum in tertianis, cum calor ad ſupremum perveniſſet, ſubito refrigeratas, torſas & ſuffocatas fere ægras, ſudore demum liberatas legimus *f*).

§. XIV.

Prognoſis mitior eſt, quam pro adparentis mali magnitudine. Illa terroris plena ſymptomata, quæ pulſum opprimunt & ſpiritum, longe rarius, quam ex alia cauſſa funeſta eſſe ſolent. Si juvenculæ ſunt, ſi cito ad ſe redeunt, ſi multum diſtant paroxyſmorum intervalla, parum metuimus. Omne tempus huic malo opportunum eſt, magis tamen hiems & autumnus. Inter cauſſas minus metui ſolet, quæ eſt a menſibus læſis, vel aliis vitioſis humoribus, quam quæ a ſtimulis corruptæ lymphæ genitalis. Juſtius ubivis ad genium gradumque ſtagnantis, corrupti irritantisque reſpicitur. Prægnantibus & puerperis, ibi ob metum abortus, hic ob virium lapſum cum SENNERTO, ROLFINCIO, RIVERIO & aliis plus periculi ominamur, omnibus autem eo plus, quo plures partes ſpasmis illis adfliguntur. Aetate provectas licet raro hoc malum infeſtet, ſi tamen præcedentibus jam annis adflixit, & cacochymia cum ætate crevit, mulctat graviter, & ſine ſpe perfectæ ſanationis. Quasdam, ROLFINCIO *g*) judice, excretio ſeminis levat, alias, ut PISO notavit, copia ſpumoſi ſputi *h*), multas, ut SYLVIO obſervatum eſt, ructus ſupervenientes. Vomitum a ſuppreſſis menſibus laudat HORSTIUS *i*), ſternutationem apud ipſum HIPPOCRATEM ſalutarem legimus. Multæ in paralyſin incidunt, quales SCHNEIDERUS vidit, nihilominus paralyſis, ex hoc malo oriens, minus rebellis eſt

f) Vid. Riverius C. 2. obſ. 26.
g) O. & M. med. ſpec. conſult. p. 880.
h) Hinc & CARDANUS L. II. de Venen. ſpumam ante os ut epilepticis lethalem, ſic hyſtericis ſalutarem exiſtimat.
i) In App. obſ. n. 2. Lib. I. pag. 2.

eſt adverſus manum medentem, quam alia. Quæ ex fervore liquidi genitalis laborant, veneris uſu plerumque convaleſcunt. Corpora viribus exhauſta, ſenilia, cacochymica, ſi in primis morbus inveteratus eſt, & gravia ſymptomata cum perfrigeratione extremorum adſunt, & fluxus menſium turbatus, vix plene liberantur. Multis ſyncope, apoplexia, & epilepſia ſuperveniunt, perque mala hæc mors ingruit ex judicio Ill. HOFFMANNI *k*). Ex crebris illis convulſionibus ingens plerumque atonia partium remanet, aliquando etiam cœcitas ſecuta eſt, notante FRIDERICO LOSSIO *l*), vel ſterilitas, adſirmante *Hippocrate m*).

§. XV.

In ſanatione morbi merito reſpiciunt medici tum *præſentem paroxysmum*, tum *imminentem*. Ibi adflictam ipſam vitalitatis ſedem celerrimis ſubſidiis liberant, hic cauſſam, quæ novas injurias e longinquo minatur, in novo virium adparatu opprimunt. Priori ex parte mira eſt medicamentorum farrago, quæ pro ſcopo excitandi *oppreſſos motus & ſpasmum doloresque tollendi*, ac vires roborandi ubivis laudatur, & quorum non pauca ſuggerit ipſa conſulentium muliercularum memoria. Maxima ſpes ponitur in fœtidis, quæ naribus *n*), & ſuaveolentibus, quæ utero objiciuntur, & hoc quidem ipſo HIPPOCRATIS judicio nititur, quamvis in delectu illorum remediorum parum ſit curæ, & plus ubivis ſuperſtitionis. Fumus ex corio veteri, verrucis equorum, cornu

k) l. c. Cap. 5. §. 4. mors ait in hyſtericis ſemper apoplectico vel epileptico contingit inſultu.

l) In obſervat. medicinal. L. I. obſ. XXVII.

m) Aphor. 35. ſect. 5. Cui CORBEUS in gynæceo p. 97. contradicere videtur, *ſuffocatæ*, inquiens, *ab utero, ſi ſtatim finito paroxyſmo coëunt, prompte concipiunt.* Reſpexit forte HIPPOCR. labem teſtium mulierium in hoc malo, CORBEUS vias ingreſſui feminis magis poſt motum illum concutientem patentes.

n) In iis, quæ diſpoſitæ ſunt ad epilepſiam, haud ferri ſumos graveolentes notavit GREGORIUS HORSTIUS P. II. L. I. obſ. 15. imo & ſuaveolentes ſumos inferne reiicit HENR. SAXONIA L. IV. C. 27.

cornu equino, capillis hominum, plumis avium, præſertim perdicum, diſſectis nucleis ceparum & alliorum, aſa fœtida aliisque multis tolerari fortaſſis poteſt, modo illa, quæ fortius conſtringunt, ut accenſi ſulphuris vapores, arceantur, quos vix valentes ſine ſuffocatione ferunt. Sed habet Chemia, quæ ſalubriori effectu & virtute felicius penetrante in uſum vocat, ut oleum Tart. fœtid vel C. C. ſpirit. & ſalia volat. ex ſale ammon. C. C. fuligine, ebore, cranio humano &c. parata, & cum aqua hirundinum cum aceto & caſtoreo mixta, ſolvendis nervorum ſpasmis aptiora.

§. XVI.

Speciatim an vena ſecanda ſit in paroxyſmo, quæritur? Admittunt illam MERCATUS, HIGHMORUS, Rod. a CASTRO, & HOECHSTETTERUS inprimis, qui monialem biduo convulſam, ſtatim vidit a vena ſecta fari, comedere & bibere. DOMINICUS PANAROLUS *o*) juſſit in ipſo animi deliquio venam ſecari. Ita ſe reſtituiſſe ait monialem hyſtericam, cum id temerarium alii adpellaſſent. Et ſpes omnino eſt, ſuppreſſas vires, in primis a copia ſanguinis citius ſic relevari, & ſuffocationis periculum arceri. Negat cum HELMONTIO & multis aliis SENNERTUS, ob virium debilitatem, & latentem forte morbi malignitatem, venam eſſe ſecandam, ſigillatim HOLLERIUS in ſuffocatione ex ſeminis vitio eam improbat. Sane ut ſyncopen exhauſtis & languentibus ſupervenire metus eſt, ita quarum vegetius corpus fuerit, & ſanguine abundans, minime metuere hoc ſanguinis diſpendium debet. Iis, quæ non ferunt venæ ſectionem, cucurbitulæ revellunt ſanguinem ſive cum, ſive ſine ſcarificatione. In regione cordis cum ſcarificatione ſuadet ZACUTUS, diſſuadet WEDELIUS. Siccas in tibiis & coxis ROLFINCIUS laudat, alii in regione hypochondriaca, alii id ſupra umbilicum fieri vetant, monente RODERICO DE CASTRO *p*). [HEINIUS

o) Jatrologia S. 2. O. 30.

p) L. C. cap. 2.

NIUS hirudines ad mariſcas, alii ad ſuras & femora admoveri malunt. Veſicatoria in nucha & vertice SCULTETUS & HORSTIUS, fonticulos MUYS, ſetacia alii cum WEDELIO commendant. Priora magis congruunt, ſi ſymptomata urgent, poſteriora, ſi moras indulgent. Cauterium actuale CASSERIUS cum AQUAPENDENTE, potentiale HEURNIUS & PLATERUS adhibent. Ipſam quoque hic chirurgiam infuſoriam commendare auſus eſt ETMULLERUS. Ligaturas ad crura AEGINETA, cingulum circa umbilicum BARTHOLINUS & alii ægrotantibus convenire putant. Huc refer pellem agninam recens detractam, & adhuc calentem, quam ventri imponi GRUBIUS jubet *q*). Manifeſtum eſt, & excitandi & revellendi ſcopo hæc dicata eſſe, ex quibus pauca, quæ in præſenti morbi ſtatu magis congruunt, prudens eligit medicus. Vellicationes narium, evulſiones pilorum, ſubitas adſperſiones aquæ frigidæ, frictiones pedum & manuum, inunctiones, ſuffimenta, enemata, ſacculos nervinos umbilico imponendos, imo & peſſos & clyſteres uterinos, vel intruſas ſpongias, ex quibus decocto herbarum matricalium madefactis ſub vaporum forma ad uterum vis medica derivetur, & multa hujus generis alia in uſum ægrotantium invecta eſſe legimus. Merentur dicta laudem ſuam, certis adflicti corporis conditionibus reſtrictam, ſed plus ſæpe in compendio præſidii eſt. Pulchrum præ ceteris videtur caſtoreatorum, opiatorum & confortantium connubium. Demus aquam meliſſæ cum liquore cornu cervi ſuccinato, & tinctura anodyna, vel quod ex SOLENANDRO RIVERIUS laudat tanquam certi ſucceſſus remedium, aquam nepethæ, & flor. aurant. cum pauxillo ſanguinis draconis, & ſi lubet, moſchi, cardiacum ex vino hiſpanico vel canarienſi cum pauxillo laudani, vel aquam menthæ cum tinctura aperitiva MOEBII, & ſyrupo corticum aurantiorum vel artemiſiæ, ſimilibusque, quæ celerem in multis opem promittunt. Qualia ſi deglutire ægra non poſſit, nec velimus cum SCULTETO *r*) clau-

q) De Simpl. p. 10. Edit. Haffn. 1679.

r) Armament. Chirurg. T. VIII. & X.

clauſuram oris per vim vel inſtrumenta dilatare, aut per infundibulum ad œſophagum ingerenda demittere, magis in externis eſt adquieſcendum. Lenia clysmata ex infuſo florum chamæmeli, ſambuci, ſemine leviſtici, & aliis carminativis cum nitro & oleo cocto anethi & chamæmeli, in ſero lactis cocta, injicienda ſunt, ſi vero ob ſimilem ani ſtricturam non admittuntur, eadem forma externi fotus hypogaſtrio adplicentur. Abdomen inungatur oleo nardino & rutæ cum pinguedine caſtorei & unguento de hyoſciamo. Quo facto vel emplaſtrum ſuperinducendum eſt ex galbano, caſtoreo, theriaca, oleo terebinthinæ, balſamo peruviano, & ſimilibus, vario gradu ſalubriter mixtis, vel ſacculi imponendi ex herbis nervinis & carminativis, e. g. ex herba rutæ, thymi, artemiſiæ, lavendulæ, meliſſæ, cum ſemine dauci, cumini, fœniculi &c. Nec, præter ſuperius dicta ſpirituoſa vel aceta rutacea, immerito admittimus errhina ex floribus liliorum convallium, herba majoranæ & caſtoreo, cui aliquid radicis hellebori albi vel pyrethri pro ſtimulo mixtum eſt. Notemus in fine, multa nimis calida & ſtimulantia, ut ſunt pleraque elixiria uterina, & olea deſtillata, etiamſi in quibusdam augeant vigorem nervorum, & vim ſyſtalticam depreſſam excitent, augere malum in corpore maxime ſenſibili, & tunc moderata illa, ſpasmis oppoſita, ut lapides cancrorum, corallia, margaritæ, unicornu foſſile, cum laudanis mixtis, plurimum profuiſſe. Ipſe HIPPOCRATES *s*) ideo ſuccum papaveris commendavit variis formis, nunc etiam uterinis ſtimulantibus mixtum. Nata hinc ſunt tot laudana hyſterica, quibus etiam in ſopore ægrotantium RIVERIUS *t*) uti non dubitavit. Chemici multa ex jove laudant, quæ in orgasmis venereis inter præſervantia locum habere poſſunt. Ubivis ſpecta, quid magis urgeat ſymptomatum.

§. XVII.

s) L. II. de morb. mulier. p. 670.

t) L. II. Obſ. 26.

§. XVII.

Profligato paroxysmo hysterico nulla sine dubio alia cura incumbit, quam enarratis caussis morbi obviam eundi. Præmittenda tamen sunt, in adflicti corporis gratiam, commoda alimenta, quæ attritas vires antea reficiunt. Hæc coctu facilia sint, meabilia, & prompte alentia, justis intervallis exhibita. Multi hic vinum aromaticum, generosum suadent cum AUGENIO & HERCULE DE SAXONIA, sed vereor, ut stimulos ejus in spasmos pronior mulierum natura ferat. Instauratis nonnihil viribus, ut omnia circa uterum bene se habeant, curandum est. Si mensium fluxus minus ad legem salubritatis procedit, in aperiendis viis uterinis nobilior pars sanationis versatur. Cui scopo si purgantia ex myrrha, aloë, gummi ammoniaco, extracto croci, & castorei aliquamdiu servierunt, interpositis clysmatibus paregoricis, decocta etiam, quæ per naturæ emunctoria repurgant, superaddita sunt, ut decocta sarsæparillæ, chinæ, ligni sassafras, vel infusa melissæ, betonicæ, rorismarini &c. tunc certe ex consilio SYDENHAMI chalybeatis merito confidimus, quibus ille nihil certius mensium vitia corrigere, imo & hystericis prodesse existimat. Hoc eo magis locum reperit, quod in labefactato solidarum partium tono præcipua pars curæ versetur. Nolim tamen ante prægressum corrigentium & evacuantium usum intempestive tonicis illis, carminativis ac martialibus uti. HOECHSTETTERUS *u*) convaluisse hystericam refert, cui primum singulis, dein binis mensibus vena fuerit secta, quod omnino in plethoricis, non cacochymicis locum habet. Castoreata, nisi aliis mixta & caute suggesta, offendunt multas. Mulieris BARTHOLINUS *x*) meminit, quæ cum odorem castorei bene tulisset, ab interne adsumto in atrociſſimum paroxysmum incidit. Si vitium est in seminali humore, liceat enim voce multorum uti, purgationes cum LUDOV. MERCATO prohibemus, cujus ille noxam longa sibi experien-

u) Dec. IV. casu II.
x) Lib. de Domest. Dan. Medic. Diss. 5.

perientia cognitam ait. Stimulis enim inferne jam laceſſentibus alios addere proclivitatem ad ſpasmos mire intendit. Plerique poſtulant refrigerantium uſum, ſaturnina, nitroſa, ſerum lactis *y*), & præſertim emulſiones ex ſeminibus cannabis, lactucæ, portulacæ cum aqua nympheæ, pauxillo camphoræ & ſacharo ſaturni addito: adde thermas, pediluvia, ſimiliaque. Opportunius tamen remedium non eſt, & in quo adhibendo ægram magis morigeram reperias, quam legitimæ veneris uſus. Nil melius, inquit HIPPOCRATES *z*) quam *ξυνοικῆσαι ἀνδράσιν*. Quale ut vetulo marito officium extorqueret, illa apud HOLLERIUM *a*) ſe ſæpius hyſtericam ſimulavit. Quodſi per honeſtatis leges ad illius remedii uſum aditus non patet, *nihil certius ferventem ſanguinem refrænat, quam frequens venæſectio.* Quodſi inutiliter ſanguinem prodigere nolis, inprimis cum eo regenerato malum redeat, totam medelæ ſapientiam, prurientibus ſæpe inculcandam, hic verſiculus complectitur:

Caſta legant, orent, jejunent, otia tollant.

Si aliæ corruptelæ uterinæ vaſa invadunt, illæ, ſi inflammationis, ſuppurationis, ſcirrhi, vel alius mutationis genium exprimunt, in febres potius acutas, conſumtiones corporum, ſimiliaque transire ſolent, ſuos certe fontes, unde adminicula petantur, indicant. An fonticuli in cruribus, *vel ſimilia derivent ab utero* corruptos humores, & mali noſtri progreſſum ſiſtant, ambigua auctorum obſervatione nititur.

§. XVIII.

In diætæ regimine merito vitant ægræ, a cujus uſu ſe male habent, in qua re plus earum obſervationi, quam conſuetis medicorum regulis credendum eſt. Aër ſit purus, calidus, ſiccus, cibus paucus, nec nimis lautus & nutriens, nec viſcidus, acer, aro-

y) vid. Tim. a Güldenklee L. III. c. 57.
z) L. de morb. virg. 3.
a) L. l. c. 59.

aromaticus, corruptibilis, potus tenuis, & defecatus, motus moderatus. Lac, panificia, placentæ, acetaria paucis impune feruntur. Infuſa theæ & ſimilia nimis relaxant tonum partium, ut eo facilius cruda decumbere in partes adflictas, & ſtaſi ſua ulterius corrumpi poſſint. Inde eſt, quod vitæ inprimis otioſæ ſegnities admodum ſit reprehendenda, quamvis nec nimias corporis exercitationes ſuadeamus. Alvus ſemper in juſto ſit obſequio, minus obſequens lenioribus ducatur, animus ſit tranquillus, ſomnus non nimis protractus. Legantur demum & audiantur, quæ pudorem gignunt & ſanctitatem morum, impudica autem colloquia & lectiones librorum, quæ amorum ſtimulos, jam ultro ſurgentes, intempeſtive proritant, fugiantur.

DISSERTATIO

DE

FLUXU VENTRIS DYSENTERICO,

PUBLICE PROPOSITA

GOTTINGÆ, D. 15 SEPT. 1742.

RESP.

HENR. GOTHOFR. LIECHTE.

GOTTINGENSI.

§. I.

Dyſenteria vi vocis difficultatem inteſtini notat, quemadmodum dyſpnoea, dyſuria, dyſpepſia, difficultatem reſpirationis, mictus, coctionis. Illam vero difficultatem inteſtini in officio ſuæ expulſionis læſi recte agnovit CAELIUS AVRELIANUS. *a*) Expellit enim aliena non ſolum, ſed & cum labore & inter nixus difficiles, frequentes nimirum, torminoſos & ſæpe vacuos, a quibus cum ſenſu deſcendentium & communi impetu deorſum prementium viſcerum conjunctis non raro prolapſus inteſtini recti ſequitur. Ita dyſenteriam a præcipuo ſymptomate teneſmi, quo ſtipata eſt, nomen haud immerito accepit, velut alii, qui magis ad ſævitiam dolorum reſpexerunt, maluerunt cum CELSO *b*) tormina adpellare, & ægrotos illos cum SCRIBONIO tormi-

a) Morbor. chron. Lib. IV. Cap. 6.
b) De medic. L. IV. C. 15.

torminoſos: neque id incommode, licet dari dyſenteriam quoque indolentem poſt ipſum HIPPOCRATEM *c*) G. W. WEDELIUS *d*) docuerit, qui dyſenteriam indolentem epidemicam, omnibus fere funeſtam, in Thuringia 1669. ſæviiſſe notat. Germani turbulentam heterogeneorum miſcelam & commotionem magis videntur in dyſentericis attendiſſe, unde vulgare nomen: die Ruhr.

§. II.

Antiquiores voce dyſenteriæ latiori ſenſu uſos eſſe, & quemvis inteſtinorum fluxum, in primis tamen cruentum, exceptis hæmorrhoidibus, intellexiſſe, reperimus *e*). Triplex iis fluxus ille cruentus erat, præter hunc, de quo loquimur: primus, qui ſanguinem naribus, utero, aliisque locis excluſum, per ora arteriarum derivaret in inteſtina, quale exemplum HILDANUS habet de juvene amputatis tibiis dyſenterico *f*): ſecundus, qui tenuem ſanguinem inſtar loturæ carnis, nomine fluxus hepatici ad eadem loca deduceret, quæ ſpecies TRALLIANO rheumatica dicta, aliis potius ad hæmorrhoidalem refertur: tertius, qui ſanguinem nigricantem & atrabilarium in morbis melancholicorum aluo eliminat. Mirum hinc non eſt, ad ſtatum hodiernæ dyſenteriæ ex omni parte non quadrare, quæ in veterum libris occurrunt. Nos ſtrictiori ſenſu fluxum ventris nunc mucoſum, nunc cruentum, nunc etiam purulentum intelligimus, qui frequens & parcus cum teneſmo, torminibus & febre infeſtat, ortus ab inteſtinis male affectis, eroſis vel exulceratis.

§. III.

Signa dyſenteriæ definitio comprehendit. Imminentem murmura, borborygmi, laſſitudo gravis, dolens & tumens venter denun-

c) II. Epid. Cap. 6.
d) Miſc. curioſ. D. 1. A. 2. O. 43. Non funeſtam I. G. Grubelius deſcribit ib. D. 2. A. 2. O. 43.
e) *Galen* in libr. III. de ſymptomat. cauſis Cap. 2.
f) Cent. II. obſ.

denuntiant, adde ſtatum epidemicum, in quo levis ſtatim horripilatio ſimul ingruit. Præſentem dejectiones mucoſæ inter increſcentia tormina & deſidendi crebros ſtimulos *g*) produnt, quibus mox cruenti aliquid & poſthæc purulenti ſe miſcet, licet non multum cum TH. WILLISIO pugnaturi ſimus, de dyſenteria aliquando incruenta *h*) prorſus & puris experte. Signa malignæ ſunt anni conſtitutio, atrocia ſymptomatum & multitudo funerum. Signa affectæ partis pluribus crucem figunt. Laborare hic video omnem fere antiquitatem, tenuia laborent, an craſſa inteſtina? AURELIANI maxime & TRALLIANI doctrina nixum LOMMIUM *i*) aliosque tunc accuſare tenuia video, ſi dolor, isque atrocior, altius circa umbilicum oriatur, plus intervalli ſit inter ſtimulum doloris & dejectionem, plus miſcelæ ſanguinis cum excretis, plus cruditatis in his & fœtoris, plus etiam ſymptomatum, ut vomitus, ſitis, febris, delirium, deliquia animi, &c. E contrario ſi dolor remiſſior & in ambitu quidem ventris, circa hypochondria, ilia & inguina naſcatur, excreta guttis tantum ſanguineis reſperſa ad ſtimulum illorum protinus cedant, ſedem mali in craſſis inteſtinis quærunt. Utrimque hærere, ex vago dolore coniiciunt. At quamvis nec ſitus, nec gradus dolorum, nec contentorum color & excretionis intervalla, controverſiam omnem dirimant; haud tamen exiſtimem, medelæ ordinem inde multum turbari. Certum eſt, craſſa in primis pati, in quibus plurimorum dyſentericorum, non in tenuibus, ſanguis repertus eſt, ut teſtatur cum aliis DOM. PANAROLUS *k*). Celerem certe a tenuibus in illa deſcenſum eſſe, & omnem impetum deorſum urgeri, liquet, hinc ſi ab initio craſſa affecta non ſint, in progreſſu tamen affici. Inter tunicas inteſtinorum maxime villoſam & nerveam ad primum mali attactum violari, ſique vis ejus ſerpit,

g) C. *Aurelianus* delectationem frequentem ventris egerendi vocat morb. chron. l. 4. c. 6.

h) *v. Th. Williſ.* pharm. rat. P. I. S. II.

i) Obſ. medic. L. II. p. m. 140.

k) Pentecoſt. I. O. 9. addit rationem & concludit inde ad clyſterum abſtergentium & aquarum thermalium ſalubritatem.

ſerpit, muſculoſam, imo extimam ſenſim, non poteſt iis ignotum eſſe, qui tota nunc inteſtina livida, nunc tota lacerata, nunc rejectas membranulas & ramenta & venulas ac carunculas viderunt. Papiæ quendam ſe vidiſſe ſcribit MATTHAEUS DE GRADIBUS *l*) cui inteſtina ſic fuerint exulcerata, ut per ulcus fæces in abdomen ſecederent. De glandulis & vaſis nihil addam ſeorſim.

§. IV.

Placet ſymptomatum ſeriem & morbi genium in potioribus proſequi, nam ſpeciatim deſcendere ad ſingulas morbi formas ſcrutandas non licet. Fluxum ventris adpellavimus dyſenteriam, qui illi communis eſt cum diarrhoea, cholera, lienteria, & affectu cœliaco. Et diarrhoea quidem in latiori ſenſu omnes hos fluxus comprehendere poteſt, in ſtrictiori æque quam reliqui fluxus, alia quam dyſenteria eliminat. Nihil enim cruenti vel purulenti omnes illi fluxus eiiciunt, nec cum tanto dolore. Imo mucidum illud & glutinoſum, quod prima vis dyſentericæ acrimoniæ abradit, in reliquis fluxibus rarius adparet, ſed tantum mobiliora illa, in inteſtinis obvia, ut bilioſa, ſeroſa, ſemidigeſta, ſpumoſa, flatulenta excutiuntur. Nec ab hæmorrhoidali fluxu difficile eſt diſtinguere, ubi nec dolor nec ulcus eſt, ab evacuatione vero levamen. Dum vero in dyſentericis, dejectionem primo mucoſam, dein cruentam, mox quoque purulentam deſignamus, non excludimus quidem ſocietatem liquidorum jam nominatorum, ſed illud, quod noſtro fluxui proprium eſt, & virium quibus lædit, ſucceſſiva incrementa exprimit, unice in definitione attingimus. Nempe id, quod in inteſtinis collectum, agit hoſtiliter, primum expugnat gluten illud, quod, ut RHASES ait, fictilium vaſorum more inteſtinorum latera obducit, & præſidio ſuo ac tutela nudat partes nervoſas ſenſiles, quo tempore neceſſe eſt mucidas in primis ſordes expelli. *Primus*, inquit GALENUS *dyſenteriæ gradus eſt mucoſitas abraſa.* Mox ubi eadem vis ulterius penetrat,

l) 3. Pract. C. 12.

trat, nudatos nervos fibrasque & vaſa lacerari oportet inter tormina, & ſtillare ſanguinem, qui ab initio quidem per ſtrigmenta tantum excreta tingit, mox in progreſſu tenuis, grumoſus, fibroſus, vel varie mixtus exit. Tertium injuriæ huius ulterius increſcentis ſtadium eſt, ut vera in deſtructis locis ulcera naſcantur, ipſæ tunicæ & moles caruncularum cum reliquis inteſtinorum contentis eiiciantur. Intelligimus proinde ex vulnerum ulcerumque natura, cur teneſmus, tormina, ſitis & febris, ut fidi & indivulſi comites nunquam in progreſſu dyſenteriam relinquant? imo cur in extremis anxietates, pervigilia, vomitus, cardialgiæ accedant? cur facies liveat, corpus extenuetur, vires cadant? cur denique inter continuos illos egerendi conatus, doloresque ac diriſſima ſymptomata convulſionum, deliriorum, deliquiorum animi, vita terminetur: prout nimirum partium aliarum, in quas vis diffuſi morbi incumbit, indoles iſtis mutationibus magis minusque obnoxia eſt. Facit hæc maxime varietas, cur non una forma incedat morbus, nec vno pede metiri ejus decurſum liceat.

§. V.

Fulciunt hanc ſententiam ea, quæ ab obſervatis anatomicis deſumuntur. Nunc enim in ſectis dyſentericis livida inteſtina, nunc inflammata, nunc variis eroſa locis & exulcerata reperta ſunt. Undique gangrænoſa HILDANUS, *m*) per totum fiſtulæ tractum exulcerata FORESTUS, *n*) nigra, lacera, ulceroſa PUERARIUS *o*), inflata & tunica inferiori privata BONTIUS, *p*) tota purulentis tuberculis ubique ſcatentia BARTHOLINUS, *q*) imo ſic in involucris inteſtinorum pure diſtenta, ut libram unam alteramque continerent, IO. DE LAMONIERE *r*) reperunt.

m) De gangræna Cap. 4.
n) Lib. 22. O 33.
o) In obſ. ad Theſ. Burnet. L. 4.
p) Med. Ind. L. 3. O. 3.
q) Hiſt. anat. Cent. VI. hiſt. 2.
r) De fluxu dyſent. Cap. 7.

runt. Seorſim, craſſa tumida & inflammata PLATERUS, *s*) à colo ad rectum ulceribus obſeſſa FONTANUS *t*) obſervarunt. Tenuia etiam ſphacelata cum tunicis eroſis, & quatuor locis perforatis BARBETTE *u*) deſcripſit. In proximis locis ſcaturiginem tanti mali anatomicus oculus non minus derexit. Hepar ſphacelatum & epiploon, & inde pylorum, ad rectum usque inteſtinum inflammata reperit IO. DE LAMONIERE, *x*) qui quoque in meſenterio & prope cyſtidem fellis alio tempore graves abſceſſus detexit, ut & HOLLERIUS *y*) circa ventriculum. In varioloſo dyſenterico jecur, lien, pulmo, & inteſtina æque ac cutis papillis manantibus ſcatentia leguntur apud L. D. HORSTIUM. *z*) Quæ & multa alia abunde evincunt, inteſtina male affecta, eroſa, exulcerata, ſive id domeſticis humoribus, ſive alienis debeant, ſedem dyſenteriæ eſſe.

§. VI.

Quid tanta inteſtinis mala creet, ulterius indagandum erit. Non eſt, cur arſenicale inquinamentum in aëre arguamus, vel noxium cœleſtium ſiderum influxum ſuſpicemur. Sufficere poteſt eorum, quæ corpus ingrediuntur, & variam in eo corruptionem ſubeunt, ſuasque injurias in inteſtina exonerant, conſideratio. Acria, ſalſa, pinguia, fæculenta, in fermentationem & putredinem prona, quacunque forma aſſumantur, facere huc poſſunt. In primis cibi dictæ indolis huc pertinent, tamquam cauſa frequentior. Ingeſta horaria auſteriora dyſentericis tota caſtra repleverunt. Olera, pepones, cucumeres, fungi, vuæ, perſica, pruna cerea, quos non in ejusmodi morbos præcipitarunt? Ex uſu braſſicæ capitatæ, noxio rore infectæ, funeſtam dyſenteriam

s) Obſerv. Lib. III. p. 875.
t) Lib. III. Cap. 23.
u) Prax. Cap. 5. Lib. XIV.
x) De fluxu dyſent. C. 1.
y) De morbis intern. L. 1. Cap. 43.
z) Obſ. Anat. 9.

teriam notavit SIMON SCHULTZIUS. *a*) Ex ſemiputridis carnibus piſcibusque & caſeis verminoſis, notæ ſunt navigantium dyſenteriæ, ex pinguibus, dulcibus, mellitis, hypochondriacorum & hyſtericarum. Potus fæculentus cereviſia fermentans, muſtum vinoſum, pyraceum, hydromel, limonata, aqua ex nive liquata haud minus noxæ inteſtinis intulerunt. Plus etiam ab iis proficiſcitur, quæ vim acris medicaminis imo veneni habent. Ita dyſenteriam a ſcammonio AMATUS LUSITANUS, *b*) a mercurio præcipitato PALMARIUS, *c*) a colocynthide TULPIUS, *d*) notarunt, alii a granis cnidii, cataputia, arſenico, gilla Theophraſti, reſinoſis, diagrydiatis. Vidit IOH. CASPAR GRIMMIUS dyſentericum a muſcis cobalto enectis & inopinato epotis. *e*) Aliis ſimile contigit ab aſpero annulo per jocum deglutito, vitro non ſatis comminuto, adamantibus impolitis. Nec deſunt, quæ ſine vitio ingeſtorum interne corruptelam ſubeunt, & ad inteſtina, tamquam communem latrinam ablegantur. Ne enim coctionis læſæ vitia huc referam, rivi etiam virulenti ex vicinis viſceribus, hepate, *f*) pancreate, imo toto ſanguine, acri ſæpe & ſcorbutico, *g*) maxime locis variis ulceroſis, *h*) huc redundant, & facile, ut cum Galenicis loquar, expulſivam facultatem inteſtinorum irritant, vel ut Helmontianorum dictione ludam, indignationem Archei inteſtinalis movent. Neque roſtra vermium hic taceo, cum colon iis arroſum & multa loca morſiunculis illis recluſa & manantia ſint reperta *i*) IOH. DOLAEUS dyſen-

a) Miſc. Curioſ. D. 1. A. 3. *Obſ.* 89.
b) Comm. ad L. 4. Dioſc. c. 171.
c) De hydrop. c. 6.
d) L. 4. O. 26.
e) M. C. D. III. A. 7. & 8. O. 174. p. 92.
f) *Bont.* medic. Indic. L. 3. O. Ballon. L. I. conſ. 53.
g) Unde *Lindenius* dyſenteriæ primarium morbum ſanguinis vocat Sel. Med. Ex. 16. §. 37.
h) Hinc dyſenteria nata ab ulcere pedum conſolidato v. M. C. D. I. A. II. p. 314. Et eadem ratione dyſenteria periit varioloſus apud *Horſt* O. A. 9.
i) *Fontan.* practic. L. 3. C. 21. *Brand.* de dyſenteria caſtr. *Menjot.* de dyſent. hep. Vide quoque dyſenteriam animatam in M. C. D. II. A. 7. p. 158.

dyſenteriæ epidemicæ meminit, in qua plures per vomitum rejecti ſunt vermes, nullo ægro convaleſcente. *k*) In epidemicis dyſenteriis & malignis inprimis frequentior ratio in aëre quæritur, unde miaſma ſuſceptum in corporibus affectis exaltatum ſe multiplicare & ad vim contagii evehi creditur. IAC. BONTIUS *l*) crebriorem cauſam aëri calido & humido tribuit, unde Indis endemia ſit dyſenteria, GUIL. PISO *m*) Braſilienſibus familiarem dicit, quod eidem cauſæ accedant abuſus fructuum fugacium & fæculenti potus, ſudoresque nocturni temporis frigore ſuppreſſi. HIPPOCRATES *n*) triplicem in primis aëris mutationem hic arguit, Si hyemi ſiccæ & aquiloniæ ver pluvioſum & auſtrale ſuccedit, multos æſtate dyſentericos ominatur, & contra, ſi hyemi auſtrali tepenti & pluvioſæ ver ſiccum aquilonium ſuccedit, vernales dyſenterias præſagit, quas pariter ſub autumno, qui pravorum humorum parens eſt, ingruere ait, ſi ille humidus & auſtralis æſtatem calidiorem & ſicciorem excipit. Non tam cœli mutationes inſignioresque tempeſtates metuimus, quam ſi oppoſitis, per intervalla viribus corpus noſtrum atterunt. Ita vero facile concipimus, quomodo e. c. frigore hyberno, quo fames acuitur, ingeſta multa & coacervata agitentur & ſolvantur verno calore ſuperveniente, ſique rurſus novo frigore figantur, cur corruptio per moram creſcat, & copia humorum ac ſtimulus in relaxatas jam vias agens dyſentericis profluviis manifeſtiſſime faveat. Cauſa vero omnis huc usque recenſita, ſive ex ſanguine ſive primis viis in inteſtina decumbat, ſive acrimonia ſola ſive aliis armis infeſtis pugnet, non in unam eorum læſionem definit, ſed nunc in eroſione & vehementi irritatione ſubſiſtit, nunc vulnere cruentat, nunc pure ulceris fœdat. Omnis hæc inteſtinorum labes, modo ad frequentes illas ac torminoſas ejectiones determinet, cauſam proximam dyſenteriæ conſtituit. Neque enim ſine ratione dubitant HOLTERHOFIUS *o*) GEILFUSIUS

k) M. C. D. I. A. 9. & 10. O. 130.
l) Lib. II. Hiſt. nat. & med. or. C. 3.
m) L. II. Miſc. nat. C. 12.
n) Aph. XI. XIII. XXII. Sect. III, it. Aph. XVI. I. 3. III.
o) De erroribur med, Cap. 4. §. 2.

FUSIUS *p*) ETTMÜLLERUS *q*) WALDSCHMIDIVS *r*) FINKENAVIUS *s*) aliique, an ulcus hic ſit perpetuum, vel ſi adſit, an non morboſus potius effectus ſit quam cauſa? Audi & ipſum SYDENHAMUM *t*), qui dyſenteriam eſſe ait, etiamſi nec cruor miſceatur.

§. VII.

Ab hoc malo publice privatimque, licet impari gradu, ſæviente, vix ſunt, qui certam ſibi immunitatem promittere poſſint. Jam infantibus, dum dentes erumpunt, fluxus ventris aliquando dyſenterici impendent. Pueris guloſis ex frugum voracitate & mollitie corporis in fluxus alvinos pronis idem diſcrimen ſæpius ſubeundum eſt. Viri, qui vitiis bilis plus laborant, & ſenes qui excrementitiis partibus repleti male coquunt, & cruda cumulant, non minus obnoxii ſunt ejusdem morbi inſidiis. Hippocratis *u*) judicio mulieribus maxime & viris humidioribus ſunt metuendæ, ſine dubio, quod major iis ſit ventriculi & inteſtinorum debilitas. Si ingluvies accedit, & vita deſes & otioſa, quæ cumulat & figit, eo plures proditionis cauſas in ſe ipſis habent. At & egenorum ſortem querimur, qui cum vitæ ærumnis & ſordibus collactantes nec contra frigus nec crudiores cibos corpus tueri poſſunt *x*). Habent quoque plethorici & longe magis illi, qui cacochymia ſalſa vel ulceroſo viſcerum ſtatu laborant, ut fugiant ſedulo vitæ errores, vere autumnoque purgentur, & omnem confluentium ad inteſtina humorum impetum mature reprimant. Ii denique, qui affectuum turbis indulgent, uti maxime bilis vitia

p) Lib. 2. inſtit. med. C. 6.
q) Prax. Lib. I. S. 9. Cap. 3.
r) Tom. I. oper. in 4. pag. 26.
s) Diſſ. de dyſent. Regiomonti 1705. pag. 718.
t) De morb. ac 5. 4. c.
u) L. II, aph. II.
x) Quorum regimen in hoc morbo æque quam peſtilentia præſcripſit *P. Foreſtus* peculiari libello Rothomag. 1590. 4.

tia exaſperant, & humorum ſtaſin augent, ita in hunc morbum, ſi ſtruit inſidias, ſe facilius ruere, exiſtiment.

§. VIII.

Ad differentias morbi varias auctores attendunt. Alia dyſenteria vera eſt, alia notha, qualis ſcorbuticorum, alia ſimplex alia compoſita, qualis ſæpe febrium ſymptoma eſt. Qui tempora reſpiciunt, diſtinguunt in incipientem, conſummatam & declinantem, nec minus in vernalem æſtivam, & quæ peſſima plerumque eſt, autumnalem. Addere licet ſponſore G. FRANCO DE FRANKENAU *y*) hyemalem, ſed raram, hyemem enim obeſſe dyſenteriæ, ſcribit SYDENHAM. Quemadmodum & rarum eſt, mere aquoſam cruentæ, indolentem dolenti opponere. Qui vim & genium morbi ſpectant, diſtinguunt in intenſam & remiſſam, in rubram & albam, & in continuam & periodicam. Talem vidit ſanavitque SAMUEL LEDELIUS *z*) in filiola ſua, luculenter periodicam, & quovis tertio die inſtar tertianæ ſeſe exacerbantem. Diſcrimen criticæ & ſymptomaticæ dyſenteriæ merito iis notandum eſt, qui ſalutare naturæ molimen turbare nolunt. Non minoris momenti diſcrimen eſt inter ſporadicam, epidemicam, & endemiam, ex quibus hanc in Hybernia THOMAS SYDENHAM, in agro Tholoſano IO. VARANDAEUS notavit. Uti vero ſporadica mitioris plerumque genii eſt, & ex leviori cauſa oritur; ita e contrario epidemica aliquid malignitatis plerumque alit, peſte ſæpe non mitior, ut THOM. WILLISIUS *a*) ſentit. Optime faciunt, qui oculos maxime ad dyſenteriæ benignæ vel malignæ genium convertunt. Illa raro quidem nullam, attamen mitem febrem habet, ſucceſſive creſcit, nec tam terribili ſymptomatum famulitio ſtipata eſt. E contrario maligna ſub ipſum invaſionis tempus exquiſita & progreſſu præceps, magna ſtatim

y) M. C. D. III. A. 3. Obſ. 159.
z) M. C. D. III. A. 1. O. 60.
a) Op. T. I. l. 10. Conf. *Gu. Rollfinctii* & *Jo. Jac. Waldſchmidii* diſp. de dyſent. maligna.

ſtatim virium ſtrage ægrum afficit, & febre continua, anxietatibus & aphthis, ſæviſſimorumque ſymptomatum agmine inſtat.

§. IX.

Præſagium de exitu dyſenteriæ ſive ſalutari, ſive funeſto, attentionem ad multa poſtulat. Infeſtiorem hunc morbum eſſe viris, quam feminis, adultis quam junioribus, cholericis & plethoricis, quam phlegmaticis & melancholicis, maxime vero iis exitium minari, quibus corruptus ſanguis eſt & ingens viſcerum labes, ex ſupra dictis intelligimus. Pronos in illum ruere videas, venereos ſalivatione ſanatos, vel alios e morbis contagioſis eluctatos. Non ſolum vero proni in hunc morbum ſunt, ſed & ægerrime evadunt. Mitior eſt dyſenteria incipiens, quam conſummata, utpote profundius penetrans, cruenta quam alba, ubi ulceris naturam vulnus induit. Gravior quoque eſt maligna quam benigna, epidemice & contagioſe ſæviens, quam quæ abuſu fructuum horæorum, vel alio leviori diætæ errore oritur. Damnat HIPPOCRATES *b*) illam, quæ cum oris amaritudine & vomitu bilioſo jungitur, inprimis ab atra bile. Pejor in tenuibus inteſtinis eſt *c*), quam craſſis, quod glandulæ ibi ſint copioſiſſimæ & hepar vicinum. Peſſima eſt, quæ inter febres, pervigilia, tormina, faſtidia ciborum, lipothymias, vomitus, aphthas, hiatus ani ulcerati, ſingultus *d*), & convulſiones infeſtat. Peſſime ominamur, ſi externa frigent, interna uruntur, corpus præterea extenuatur, excreta male colorata cum ramentis, pelliculis, carunculis, quas lethales HIPPOCRATES *e*) dicit, atra & fœtentia

b) Coac. Præn. S. III. num. 62. aph. 24. S. IV.

c) Jod. Lomm. med. obſ. Lib. III. edit. Amſtel. 175. p. 439.

d) Ita Baglivius ſentit prax. med. p. 71. & 74. & River cent. II. obſ. 36. Meminit tamen *Joſephus Lanzonus* dyſenteriæ per ſupervenientem ſingultum, quem deinceps opiata repreſſerunt, ſanatæ. Sanavit quoque *Joh. Georg. Grebelius* dyſenteriam epidemicam cum petechiis & ſingultu conjunctam M. C. D. III. A. O. 33. p. 54. M. C. D. II. Ag. OUZ.

e) 4. Aph. 26.

tentia exeunt. Inſtat enim ſphacelus, quo pereunt plerique, dum frigeſcunt extrema, pulſus exilis & inæqualis eſt, ſitis & dolor ceſſat, vel in delirium terminatur. Dejectiones mere ſanguineas, ut plurimum lethales, agnoſcimus, at ubi multum ſtercoris ſimul exit, melius ominamur de virtute inteſtinorum non penitus labefactata. Longe melius ſe res habet, ſi aliquis ingerendorum appetitus remanet, dolores ſæpius remittunt, & ſomno locus eſt, viribusque conſtantia, nec febris nimis urget, nec ſtimulus excretionis. Laudant & illam, cui ructus & crepitus ventris, in primis acidum ſpirantes *f*), ſuperveniunt. Diverſa morbi duratio eſt, pro febris torminumque ſævitia: his enim maxime gradum & magnitudinem ulceris æſtimamus. Necat cum febre continua intra quatuordecim dies, alioquin ultra quadraginta dies ſæpe durat. Ipſo HIPPOCRATE *g*) judice tranſit nonnunquam in hydropem & lienteriam, nec raro in tabem inſanabilem, quam cicatricibus ulcerum, quibus pori lacteorum coaleſcunt, cum SYLVIO BERGERUS *h*) tribuit. Ita fuit, qui chyloſo deinde fluxu per biennium durante, cum maraſmo, conſumtus in cadavere calloſa inteſtina exhibuit. Maxime repellentium noxa abſceſſu in coſtis, articulis, viſceribus ortos HIPPOCRATES *i*), inſaniam GALENUS, cœcitatem LANZONUS *k*), epilepſiam HOLLERIUS, ſphacelum pedis MENZELIUS *l*), inflammationes & abſceſſus meſenterii, immo mortem CRATO, teſtantur. Offerunt ſe quoque in prognoſi varia, quæ ſpem ſolvendæ dyſenteriæ injiciunt. Ita enim nunc menſium fluxus teſtimonio GEORGIO HEINTKE *m*), nunc ſcabies notante LANZONO *n*), eam ſuſtulit, lactantem ſuctus catuli liberavit, teſte

IOH.

f) HIPP. Aph. 6. S. VI.
g) Sect. 6. aph. 63.
h) Diſp. de Dyſ. §. 16. pag. 32. *conf. Sylv. prax. LI. C. 16.*
i) Lomm. l. c. pag. 441.
k) M. C. D. II. A. 10. O. 87.
l) M. C. D. II. A. 5. O. 42.
m) M. C. D. II. A. 5. O. 57.
n) M. C. D. II. A. 10. O. 130.

IOH. CONRAD. BRVNNERO *o*). Soluiſſe etiam vomitum cruentum notat G. W. WEDELIVS *p*).

§. X.

Ut malo tam gravi medeamur, ſine dubio non ſolum noxia materia vel evacuanda vel corrigenda, & impetus ſpirituum ad loca iritata cohibendus eſt, ſed & fons obſtruendus, unde emanat, ulcera mundificanda, ſymptomata mitiganda, vires inſtaurandæ. Palam eſt, adſtringentia remedia locum non prius habere, quam poſt expulſam plurima parte materiam, quippe cui ad exitum pronæ vincula non ſunt injicienda. Manifeſtum eſt, ſuppreſſis intempeſtive ſordibus malum figi, ſerpere latius & viribus augeri. Premit merito AURELIANI cenſura ERASISTRATUM ſolis hic conſtrictoris uſum *q*). An igitur FUCHSIO *r*) credamus, qui apud HIPPOCRATEM & GALENUM totam dyſentericorum curam adſtringentibus abſolvi ait? Damnavit certe GALENUS *s*) diſerte eos, qui ſemper adſtringentibus pugnabant. Quodſi tamen apud eum æque quam HIPPOCRATEM adſtringentium omnino mentio, imo interdum unice fiat, cogitandum eſt, latiori ſenſu, quod ſupra innuimus, ſumtam iis eſſe dyſenteriam. Propterea cum BALLONIO *t*) ſtatuimus, illos æthiopem lavare, qui in magna dyſenteria adſtringere prius quam evacuare velint. Recte ille indigitat ſcopum, dum id ait, agendum eſſe, ut fluxus alvinus, qui frequens & parcus eſt, fiat rarus & magnus. Quamvis enim, quod BARTHOLOMAEUS MOOR *u*) inculcat, nullum profluvium alvi ea videatur ferre, quæ plus determinant ad alvum, & illud AVICENNAE huc pertineat,

o) M. C. D. II. A. 6. O. 195.
p) M. C. D. I. A. 2. O. 44.
q) De morb. Chron. L. 4. C. 6.
r) Libr. I. de ſimpl. med. facult. cap. 26.
s) Paradox. L. II. C. 13.
t) Conſilior. medic. Lib. III.
u) Orat. de hypotheſibus medicis.

tineat, timore plenum esse, ventrem solvere supra solutionem ventris; tamen sperandum omnino est, remotis illis, quæ coacervata sunt & corrupta, alvum subsidere potius, quam pari deinceps stimulo sollicitari, tunc vero corrigentibus insistere nos certiori successu posse.

§. XI.

Quodsi jam ab evacuantibus incipiendum est, in corpore forti, calido & ad febrium fomenta proclivi, quod copia & impetu humorum ac viribus gaudet, ipsam quoque venæ sectionem admittimus, licet nec ab Arabibus olim, nec a multis recentiorum admissam, imo alvo fluente ab *Hippocrate* vetitam, at testimonio CLAUDINI, ALTOMARI, RIVERII, ALTIMARII, BOTALLI, SYDENHAMI, PASCOLI & inprimis illustris viri, FRID. HOFFMANNI *x*) vindicatam. Revulsionem enim quandam promittit, vim febrilem & inflammatoriam minuit, sedatiorem posthæc versus intestina motum relinquit. Ita CH. HENR. ERNDELIUS ordinariis remediis invictam dysenteriam venæ sectioni tertium iteratæ cessisse meminit *y*). Nec desunt, qui eodem revellendi scopo cucurbitas laudant. Illud vero longe saluberrimum erit, ab initio statim, dum vires sibi optime constant, & nec pravus humor nimis magnum virulentiæ suæ gradum attigit, ipecacuanha uti & rheo, quibus vis non modo est evacuandi sed & adstringendi. Non est, cur his laudes cumulem, quas nostro ævo in ipecacuanham, tamquam summum remedium antidysentericum, sunt effusæ. Eo plenior est salutaris usus ratio, quod sæpe ad ventriculum & ulterius labes dysenteria, vel scaturigo se extendat. Ita vero totus tubus ab œsophago ad intestinum rectum, a præsenti corruptorum humorum colluvie, antequam ulterius noxam propagare possit, magna parte liberatur. Qui loca affecta

x) Vide med. syst. T. IV. P. III. c. 7. §. 8. Conf. *Sylv. Luciani* quæstionem, an in dysenteria mittendus sit sanguis? Rom. 1602.

y) In itinere medio Grodnensi v. Ephem. curios. C. X. pag. 475.

cta illo motu quaſſari nimis, & cum quiete indigeant, intempeſtive vellicari metuit, adeoque illud CELSI l. c. quod omnis agitatio plus exulceret, quodve in hoc morbo in primis conquieſcere oporteat, obgannit, id cogitet, minus lædere & vellicare tam lenis emetici & tonici motum, in præſertim ſi paulo poſt leni anodyno ſedatur, quam corrupti humoris & mordacis perpetuum & violentum attactum. Neque iterare uſum ipecacuanhæ bis ac ter in nimio abundantium humorum fluxu diſſuaſerim. Tartaro etiam emetico SAMUEL LEDELIUS z) imo vitro antimonii Io. GEORG. HOYER *a*) victam dyſenteriam eſſe teſtantur. At plus eſt violenti in his remediis, & probe oportet ad ſaburram ventriculi, ad corpus vegetum & in vomitum proclive reſpicere, ne vel nimis debilites, vel etiam ad ſuperiora plus juſto allicias. Certe utiliter poſt dicti emetici uſum toſti rhei cum abſorbentibus & anodynis crebræ doſes exhibentur, quæ jam evacuant lenius & valentius adſtringunt. Nec pilulas Becherianas & Stahlianas hic in parvo pretio habemus. Exulent vero purgantia fortiora, qualia aloetica & ſcammoniata, imo & mercurialia. Reliqua evacuantia, tum diuretica, quæ diluendo & detergendo proſunt, ut acidulæ, tum diaphoretica, ut theriacalia & diaſcordiata, quæ in proprio corpore ſalubria expertus eſt R. SOLENANDER *b*), ſuis locis uberius commendabimus: hic indicare ſufficiat, quod & imperum ab inteſtinis divertant, & morboſam ex parte materiam corrigant. Inter hæc duo commoda primi exiſtimo primam rationem habendam eſſe, & anodyna & opiata evacuantibus ſtatim ſubjicienda, quæ protinus turbas ab his ortas ſiſtant, motum ſpirituum, qui fluxum ad irritata loca auget, ſopiant, dulcem afflictis lacerisque partibus quietem indulgeant, & pro hoc ſcopo deinceps remedia corrigentia, glutinantia & adſtringentia ubique comitentur.

§. XII.

z) M. C. D. III. A. 3. O. 15.
a) Ibid. O. 52.
b) Conſ. 9. S. 4.

§. XII.

Non poſſum non, poſtquam opiatorum mentionem injeci, unanimem fere auctorum conſenſum, in eorum uſu laudare. MINADOUM tamen invenio, profeſſorem Italum notaſſe, omnes dyſentericos, quibus laudanum opiatum aut ſimile oblatum fuit, defunctos ſordidiora inteſtinorum ulcera habuiſſe. *c)* Non penitus injuſtam cenſuram exiſtimo, ſi de præmaturo opiatorum uſu quæſtio eſt. Nam antequam maxima pars colluviei illius exhauſta ſit, ſi quid eſt, quod figit & moram iniicit, ſordeſcere ulcera magis, & in peiorem indolem degenerare, nullus dubito. Vidit SAMUEL LEDELIUS ex nimio opii uſu ſphacelum inteſtinorum, & recte judicavit, profundius ſic malignitatis characterem humoribus imprimi, & tunc petechias ac ſimilia protrudi. *d)* Placet OL. BORRICHII monitum, *e)* qui ante profundas exulcerationes & exeſa majora vaſcula, viresque proſtratas, uti opiatis jubet. His enim non conſideratis paralyſin inteſtinorum & ſphacelum affectæ partis facile ſequi perſuademur, cujus rei exemplum habet M. B. VALENTINI. *f)* Canon eſt, ſi in dyſenteria adhibueris opiata, & altero mane color oculorum muretur, ægrum perire. Poſt primæ autem evacuationis operas, nihil videntur perpetui ſpaſmi & dolores urgentius requirere, quam opiata remedia, quæ vi anodyna ſpaſmos, tormina & vigilias ſedant, vi diaphoretica materiam ac ſtimulum divertunt. *g)* Laudamus hic ſyrupum diacodii, diaſcordium *Fracaſtorii* vel *Sylvii*, theriacam cœleſtem vel *Andromachi*, pilulas de ſtyrace vel cynogloſſa, liquorem anodynum Hoffmanni, laudana inprimis, inter quæ liquidum illud *Sydenhami* eminet. Demus cum ARNHORNIO de HARTWIS *h)* omni trihorio granulum laudani cum pul-

c) Thoneri obſerv. 10. libr. III.
d) M. C. D. 2. A. 10. O. 15.
e) De ſomno & ſomnif. §. 35.
f) M. C. D. III. A. IV. O. 105.
g) De quo vide G. W. Wed. Opiol. L. 2. §. 2. C. 5. & Dan. Ludovici M. C. D. 1. A. 4. O. 187.
h) M. C. D. III. A. 4. O. 101.

pulvere radicis tormentillæ & terræ catechu, miſceamus ipſis purgantibus & clyſteribus, ſic ægrotantis abdomini mithridatium, quod CRATONI euporiſton fuit, imponamus. Aqua hyoſciami cum ſyrupo florum rhæados & cydoniorum ſolemnis medico cuidam fuit apud GABR. CLAVDERUM. *i*) Suppoſitorii anodyni in periculoſiſſima dyſenteria ſalutaris meminit G. HEINTKE. *k*) Nolim tamen ad uſum nimis narcoticorum confugere, & cum Paſtore illo, quem IO. LUD. HANNEMANNUS *l*) citat, infuſum baccæ ſolani præbere, vel cum Chirurgo illo Monſpelienſi, quem IO. LASERRE *m*) memorat, libram ſucci hyoſciami pro enemate præſcribere. Nec timide hic quidpiam nec temere tentemus.

§. XIII.

Dicta tamen evacuantia & anodyna fontem mali nondum proprie attingunt: mundificandi enim ulceris & conſolidandi maxima videtur cura incumbere. Hic leniter detergentia & exſiccantia, glutinoſa, temperantia, adſtringentia, mucilaginoſa commendantur. Vidi detergendi ſcopo aquam ſalſam tum bibendam tum inferne infundendam veteres dediſſe, ut apud CELSUM & AVRELIANUM reperio. Apud Italos eo nomine laudem habent aquæ Montiſcatini; Balneoli, & Tettuccii, *n*) quemadmodum inter noſtrates cel. BERGERUS acidulas Egrenſes commendat. *o*) Habuit præeuntes PAULUM DE SORBAIT, qui autumnalem dyſenteriam nobilis dominæ a copioſa bile ſuſtentatam acidulis ſuſtulit, *p*) & IO. IACOB WALDSMIDIUM, qui ingens dyſenteriæ periculum uſu acidularum Svvalbacenſium aver-

i) ib. D. II. A. 6. O. 178.
k) ib. D. II. A. 10. O. 48.
l) M. C. D. II. A. 3. p. 154.
m) M. C. D. II. A. 6. O. 18.
n) Vid. Obſerv. *Ioſephi Lanzoni* M. C. D. 2. A. 10. O. 124.
o) Diſſ. de dyſent. ſuperiori ſemeſtri infeſta Wittemb. 1701. pag. 41.
p) Ephem. curioſ. D. 1. Obſ. 222. pag. 486.

avertit. Sive vero abſtergendi vim hæc exſerant, ſive per diureſin ſalubriter educant, neutra virtus parviæſtimanda eſt. Laudavit hinc diuretica HEURNIUS *q*) quoties ulcera obſideant inteſtina, HIPPOCRATE nixus, qui multam mictionem, modicam ſpondere alui dejectionem, ait. *r*) Inde emulſiones ſeminum frigidorum cum nitro, lac ebutyratum, quo ſolo IO. IAC. FR. VICARIUS *s*) binas mulieres a cruentis ſuis mucoſis torminoſisque dejectionibus liberatas commemorat, & ſerum lactis, *t*) imo ipſa aqua frigida paſſim laudantur. CELSUS *u*), *ſi vetus vitium eſt*, inquit, *aquæ bene frigidæ potio aſſumta, ulcera adſtringit, & initium ſecundæ valetudinis facit*: ſed *ubi venter ſuppreſſus eſt*, caute addit, *protinus ad calidam potionem revertendum eſt.* Ita IOSEPHUS LANZONIUS dyſenterico aquam ad plures cyathos indulſit, ut contra omnem ſpem evaderet. *x*) Quibus mos Indorum reſpondet, qui balneo aquæ frigidæ dyſentericos ſuos ſanant. De aquæ etiam chalybeatæ uſu in hoc morbo tres exſtant cl. DEODATI epiſtolæ.

§. XIV.

Vim demulcentem & glutinantem præſtant multa, inter quæ an præcipue loca lac ſit? ambigere multos video. Alii timide nimis, alii audacter in ejus uſum conſentiunt. PRAXAGORAS olim peplio & lacte plurimo ventrem deduxit. DIOCLES cum melle bibendum dedit, omnis ætas horum veſtigia preſſit. Quamvis vero ejusmodi potus temperare acria & commode ſubducere videatur, notandum tamen probe eſt GALENI monitum, qui demu-

q) Lib. III. meth. cap. 10.
r) Aph. 83. L. IV.
s) M. C. D. II. A. 9. O. 376. p. 337.
t) Quod poſt Hippocratem *Raym. Fortis* & *Sydenham* præſcripſit. Inprimis de ſeri lactis ſalubritate in fluxu dyſenterico eximium libellum edidit *Herm. van der Heyde* Gandav. 8. 1649.
u) Lib. IV. Cap. 15.
x) M. C. D. II. A. 9. O. 63.

demulcentia ejusmodi & contemperantia si superentur, a vi infestorum humorum, non solum nihil suppetiarum ferre, sed & ipsa corrumpi & alere cacochymiam docuit. Id sane est, cur in dejectionibus bilioſis lactis usum ipsius HIPPOCRATIS auctoritas interdixerit, & AMAT. LUSITANUS pro veneno habuerit. Nemo nescit, quid a coagulo & corruptela lactis in corpore impuro metuendum sit, tale vero in fœda illa colluvie humorum esse, quis dubitet? Multum tamen interest scire, qua forma lac exhibeatur, & quibus? assuetis nempe an minus. Guil. Ballonius dysentericum, ex ore medici cujusdam refert, post multa remedia irrita, ad usum lactis puri recens emulcti compulsum, dirissima symptomata habuisse, & a coagulo lactis animo defeciſſe; mox vero cum coctum chalybeatumque lac & dilutum, quod jam consilium Aetii fuit, datum esset, convaluisse. *Admirabile*, inquit, *y*) *quomodo lac sic paratum conferat.* Non multum abludit HERCULIS SAXONIAE *z*) sententia, qui lactis libram unam cum unciarum sex aquæ plantaginis vel serpilli miscери, & ad consumtionem dimidii coqui vult. Placet III. HOFFMANNO *a*) Selterana cum lacte asinino, lac purum sed largiter dilutum I. PH. NENTERO, *b*) & cum triplo quidem aquæ ipsi TH. SYDENHAMO. *c*) Is in sananda acuta dysenteria DANIELIS COXE M. D. post tria vel quatuor enemata, alia sibi re opus fuisse negat, quam ut lecti patientiam & lacteam diætam suaderet. Pultes ex oryza cum lacte jam olim PAULLO & AETIO arriserunt.

§. XV.

Ad enematis mentionem pugna non minor est auctorum. Liceat autem eorum hic meminisse, quod & evacuent & detergant & demulceant. Multi cum IAC. FABRICIO remedia per os

y) Epid. & Ephem. 2.
z) in prælect. med. c. 10.
a) Med. Syst. T. IV. f. II. C. 7. §. 3.
b) Fund. med. T. II. Tab. 72. p. 99.
c) T. 1. edit. Geneu. 1738. p. 115. Vide quoque ej. processus integros,

os ſufficere putant, & cum Io. Bohnio *d*) irritamenta inteſtinorum ex clyſmatibus metuunt, quibus dolor & dejectio creſcat. Certe iterata nimis mollitudinem afferunt, unde diatheſis naſcitur, quam Galenus ῥευματικὴν vocat, ultro in hoc morbo metuendam. Neque demulcens ea vis, quam adeo laudant, omnia laterum puncta in inteſtinis craſſis, ne dum tenuibus, penetrare poteſt, cum parum iniici debeat, ut retineatur, hinc a ſede affecta crebro aberrans certiori damno relaxat. Neque vero video, cum in clyſmate, quicquid virium medicarum requiritur, opportuniori & breviori via, admoveri loco læſo, qui ut plurimum in craſſis eſt, & internorum demulcentium uſu adiuvari poſſit, cur dictis rationibus multum momenti ineſſe exiſtimemus. Egregia vis eſt in infuſo anodyno chamæmeli, hyperici & anethi, in quo aliquid ſevi hircini ſolutum, vel lacte chalybeato cum theriaca, in primis ſi aliquid gummi tragacanthæ & arabici, vel mucilaginis ſeminum miſcetur. Deterget bene, ſi decocto hordei miſces mel roſarum, & terebinthinæ aliquid vitello ovorum ſolutæ, vel ſevum hircinum cum balſamo Lucatelli. Adſtringet magis ex ſymphyto, tormentilla, herba plantaginis, floribus roſarum & balauſtiorum, quibus coctis & colatis recentem ſuccum plantaginis & aliquid balſami peruviani, cum vitello ovorum addere fas eſt. Quæ forma clyſmatis proxime ad illam accedit, quam tantopere extollit Lucas Schroeck. Demulcendi ſimul ſcopo Celſum imitare, qui *tepidum infundere* iubet *vel ptiſanæ cremorem, vel lac vel adipem liquatam, vel medullam cervinam vel oleum, vel cum roſa butyrum, vel cum eadem album crudum ex ovis, vel aquam, in qua lini ſemen decoctum ſit, vel ſi ſomnus non accedit, vitellos cum aqua, in qua roſæ floris folia cocta ſint. Levant enim*, addit, *dolores & mitiora ulcera efficiunt.* Inprimis multum inde præſidii eſt in teneſmo, atrociſſimos ſæpe dolores pariente, contra quem præter clyſmata litum adhibere licet ex oleo maſtichis, & lini recenti, vel ex unguento populeonis cum oleo ceræ ſtillaticiæ, vel etiam oleo amygdalarum, hyperici ac vitelli ovi. Huc ſpon-

d) Vid. ej. diſſ. de experient. fallaci.

ſpongias pro foru refer ex chamæmelo, ſambuco, hyperico, ſemine lini & fœnu græco, cum aqua & lacte decoctis. In majori ani hiatu ſuffitus præſtant ex thure, ſuccino, c. c. zingibere, gagate in ſella perforata.

§. XVI.

Sed opus eſt, ut corrigentium medicamentorum veſtigiis ulterius inhæreamus, quibus acrium, quæ illa ſcybalorum hoſpitia obſident, & fodicant inteſtina ac cuniculos agunt, excruciandoque ſpiritus abſumant, vires ac ſtimuli enerventur. Ut generatim acribus oppoſita ſunt aquoſa, terrea, oleoſa & glutinoſa, ita de aqueis, *ſtimulo ſalino munitis, jam diximus.* De quibus ad diureſin tendentibus, illud CELSI *e)* adhuc notemus, nempe noxam augere, niſi promte proſint: In mollioribus certe & debilioribus colluviem ad inteſtina & horum atoniam intendunt. Parum abeſt, ut idem de glutinoſis & oleoſis judicemus: lentorem enim augent, & tonum pariter labefactant. In ſiccioribus tamen utraque remedia laudamus. In humidioribus terreſtria, quæ abſorbent & exſiccant, præmiſſis evacuantibus ſubſtituere malim. Talia ſunt cryſtallus montana, dens hippopotami, margaritæ, corallia rubra, conchæ præparatæ, mater perlarum, cornu cervi uſtum, oſſa ſepiæ, & plura alia. Oſſa humana IOH. SCHROEDERUM *f)* & SAM. LEDELIUM *g)* extollere in dyſentericis video, damnante eorum uſum SMETIO & HOECHSTETERO. Quanto adhuc rectius hanc cenſuram ſtercus humanum meruit, quod C. F. PAULLINI *h)* hic laudat, imo & ſtercus canum ſola oſſa vorantium, quod cum lacte chalybeato PETRUS FORESTUS *i)* commendat. Nec eſt. quod de ſmaragdo ſingulare quippiam expectem, cujus in dyſenteria vires ex variis

e) Lib. IV. cap. XV.
f) Pharm. Lib. V. Claſſ. 1. Cap. 23.
g) M. C. D. II. & 2. O. 38.
h) M. C. D. II. & IV. append. p. 36.
i) Obſ. 35. Lib. XXII.

variis autoribus oſtendere voluit, DAN. SENNERTUS *k*). Cornu cervi ſine igne euporiſton ſuum vocat ANTON. a LEBENWALD, *l*) qui ſanguinem purulentum intra triduum ducenties eiiciens hoc remedio cum epiceraſticis, anodynis & clyſteribus abſtergentibus, uſus diſcrimen vitæ evaſit. Plus omnino terrea illa commendamus, ex quibus naturale gluten nondum vis ignis expreſſit, quæ hinc anodyna animalia III. HOFFMANNO audiunt. Facit glutinoſæ partis ſalubritas, ut bolos præterea & terras ſigillatas optimorum remediorum catalogo inſeramus. Maximam hinc laudem bolus Armena alexiteria apud multos reperit, quæ ſucco tormentillæ, biſtortæ, roſarum rubrarum ſimiliumque eſt imprægnata. Quibus poſt remedia evacuantia plus præſidii eſt in glutinantibus, habent hic maxime gummi tragacanthæ, gummi arabicum, mucilaginem ſeminum pſyllii, altheæ, cydoniorum, ſuccum cancrorum contuſorum, hepar viperæ, quod GEORG. W. WEDELIUS *m*) & oleum ceræ, quod PETRAEUS *n*) ſingulariter laudat, vel ipſam ceram in juſculo ſolutam. Præterea enim, quod jam *DIOSCORIDES notaverit*, ceram dyſentericis dari, & HARTMANNUS *o*) gummi ammoniacum cum cera & cydoniis ſuadeat, VALLERIOLA etiam fateatur ægrum clam ſumta cera alba convaluiſſe, certe malum cydoniorum *p*) in cujus cavo cera, prunis admotis liqueſcens, ſubſtantiam pomi ſubiit, ſic multis profuit, ut ſtatim dolor mulceri, & fluxus intermittere cœperit. Eadem cera in pomo Borſtorfiano ſimiliter ſoluta ſervavit adoleſcentem ex teſtimonio C. F. PAULLINI *q*). Sunt, qui pulticulas formant in eundem uſum ex creta alba lacte ſoluta cum farina fabarum & pauxillo aromatis. Imo larga caſei quantitas dyſentericum periculoſe decumbentem

k) In Paralip. ad Lib. III. med. pract. num. 5.
l) M. C. D. III. A. 7. O. 76.
m) M. C. D. I. A. 2. O. 127.
n) Tom. II. Diſſ. H. 28.
o) in praxi chymica. pag. 196.
p) vide ſchol: ad obſ. Ioh. de Muralo in M. C. D. II. & VII. p. 112.
q) M. C. III. A. I. O. 147.

tem liberavit, teſte P. ROMELIO *r*), quod eo minus paradoxon videri poteſt, cum notante GALENO ruſtici olim molliori caſeo vulnera ſua conſolidare conſueverint. Merito tamen glutinoſa mitiora hic præferimus & tutiora, uti ſunt ptiſanæ ex radice ſymphyti majoris, raſura eboris & cornu cervi, decocta farinæ oryzæ, milii, fabarum cum momento tragacanthæ, emulſiones ex amygdalis dulcibus & pineis. Hæc alimentorum & medicamentorum ſimul officium ſuſtinent. Plus medicæ virtutis habet infuſum ſummitatum millefolii & hyperici, quas aliqui cum pedibus vervecinis vel meſenterio ovino coctas propinant. Præſtantia vero nulli cedit balſamus peruvianus, cui per aliquot dies ad ſcrupulum ſemis cum nucleis pineis trito vel cum vitello ovi leniter cocto, inque hauſtu tepidi brodii ſoluto & ægris propinato, palmam tribuit in dyſenteria LUCAS SCHROEK *s*). Nec oleoſa ipſa penitus prætermittenda ſunt, ut oleum recens amygdalarum, olivarum, ſperma ceti, quibus non male ſubinde, maxime in bilioſis *t*), acidi aliquid jungitur: unde potum ex aceto, in quo ſmegma ſolutum non ſemel profuiſſe legimus. Imo nec plebs male ſemper conſulit, quando recens oleum cum ſpiritu vini exhibet, quæ in ſtatu vulneris, quem concipimus, poſſunt ſæpe opportuna eſſe.

§. XVII.

Adſtringentium & roborantium, ſi dicta pleraque præceſſerunt, perſalutaris uſus eſt. Inter mitiora adſtringentia, ſi bene prius evacuaveris & correxeris, ſunt herba plantaginis, pimpinellæ, millefolii, veronicæ, hederæ terreſtris, flores balauſtiorum, roſarum, mala cydonia, terra catechu, radix tormentillæ, biſtortæ & alia multa. Adſtringit quoque radix filipendulæ, quam ſecreti loco hic commendavit LUD. MERCATUS, & millefolium, cujus uſu intra triduum convaluit dyſentericus apud RIVE-

r) M. C. D. M. D. A. 2. O. 233.
s) M. C. D. I. A. 3. O. 76. & 77.
t) M. C. D. II. A. 10. O. 192. p. 373.

RIVERIUM *u*). Decocto corticis querni cum cereviſia nihil, ait, utilius ſe vidiſſe, imo a cæteris nihil aliquando iuvaminis ſenſiſſe, SAMUEL LEDELIUS *x*). Proſperrimam identidem ſanationem ſoli plantaginis ſucco IOSEPHUS LANZONUS *y*). Tragea granorum actes Io QUERCETANO deſcripta paſſim laudatur, ita Matthiolo decocta cuticula intima, quæ medullam caſtaneorum tegit. Io. BRUYERINUS *z*) ad conſilium anus ſorba cruda voravit. Sic alii meſpila, cydonia, poma, pyra, pruna ſylveſtria, fructus ribeſiorum, berberum, permittunt: ſed pro ſuſpecta auſteritate non tuto ſatis. Quo magis debellatus eſt morbus, eo plus roborantibus inſiſtimus. Vinum generoſum, quale Hungaricum & Canarienſe, cum fruſto panis toſto & pauxillo aromatum indulgemus, potus chocolatæ, vinum rubellum cum conſerva roſarum vel mica cydoniorum, nec minus eſſentia corticis caſcarillæ, gentianæ rubræ & ſuccini, multaque ſimilia hic juſtum locum inveniunt. Continuetur aliquamdiu conſerva cydoniata roſarum cum extracto tormentillæ, theriaca Andromachi, coralliis, C. C. uſto & ſyrupo myrtino. Miſceamus quoque per pluſculum temporis pulveribus aromaticis aliquid extracti rhei & laudani opiati.

§. XVIII.

Neque externa negligimus, qualia ſunt ſacculi in vino rubello calido, emplaſtrum de tacamahaca vel magis de cruſta panis cum theriacalibus, vel etiam oleo macis & menthæ. Plura ſunt hujus generis fomenta, cataplaſmata, epithemata, linimenta, quæ pro vario ſtatu morbi varia in ſe continent. Abdomini imponantur, ut jam de mithridatio dixi e conſilio Cratonis. De fotu fumoque ad anum, in quem potiſſima pars injuriarum redundat, ſpeciatim determinandis actum pariter eſt ſuperius.

§. XIX.

u) Obſ. 84. Cap. 7.
x) M. C. D. III. A. 1. O. 60. pag. 88.
y) ib. D. II. A. 10. O. 137.
z) Lib. III. de re cibaria cap. 22. Fungum ſorbi aucupariæ levem & ſpongioſum laudat *E. Hagendorn* in M. C. D. II. A. 5. O. 93.

§. XIX.

Notamus, magno ubivis medentium judicio opus esse, cum in vario morbi statu eadem nunc prosint nunc noceant. Maligniores in primis dysenteriæ minus evacuantia ferre & opiata, plus præsidii in alexipharmacis reperire censentur. Laudat hic præ ceteris IAC. FABRICIUS mixturam simplicem cum infuso millefolii, alii essentiam croci vel alexipharmacam Stahlii cum pulveribus temperantibus & diapnoicis, conchis C. C. chelis & lapidibus concrorum, bezoardico minerali, antimonio diaphoretico. Ubivis certe ægrotorum maxime interest, vim morbi ad exteriora diverti, hinc decocta scorzoneræ, chinæ, contrayervæ cum diascordiatis & externo regimine calidiori præscribi. At subsistimus in generalioribus.

§. XX.

Diætæ potior ratio in eo consistit, ut aërem temperatum sedulo commendemus, frigore vel calore nimio infestum, maxime ex austro venientem vitemus, vel odoratis lignis ut juniperi incensi corrigamus. Multos sola aëris mutatio sanavit. *a*) Rarius e lecto surgant ægroti, & instante dejectione pelvis potius, vel duplicata lintea subiiciantur, & quoties desederunt, decocto verbenæ laventur. Corpus inter stragula calidum leviter sudet, pedibus lateres calefacti admoveantur, nihil enim plus noxium illa refrigeratione pedum est. Victus sit coctu facilis, demulcens & leniens. Conveniunt maxime juscula avenacea, hordeacea, sique febris minus urgeat, vitulina & gallinacea, addere his licet, gelatinam eboris vel cornu cervi, pultes ex oryza, amylo, fagopyro, hordeo. Nihil concedatur olerum, piscium, fructuum, nec acria, salsa, pinguia & dulcia nimis. Cerevisia vel nulla permittatur, vel defæcata & calida cum pane tosto & pauxillo nucis moschatæ. Præstant pro potu, qui parvus semper sit & calidus, in-

a) diss. de dysent. Rostoch 1627. habita §. 79.

infusa theiformia, decocta panis, vel illud Sydenhami ex aqua fontana, cornu cervi usto, mica panis similaginei & sachari. Nec tenue rubellum vinum in progressu prohibemus, nec aliis potum amygdalinum ex lacte chalybeato paratum. Quicquid ingeritur vel tale sit, quod leniter ventrem stringat, ut Celsus postulat, vel demulceat sine metu subitaneæ corruptelæ. In magno ægrorum fastidio noli ingerendorum copiam urgere, quippe quibus quam salutaris interdum sit abstinentia, notatum varii, est. *b*) Nocent vigiliæ & inquietus animus, igitur de somno conciliando, & placandis turbis animi inprimis cogitandum. Medico ad præsentes mutationes magis attento licet singula singulis plenius accommodare.

DISSER-

b) v. Obs. Io. Dav. Wogau. in M. C. Cent. IX. O. 86.

DISSERTATIO
EX H. MEDICINAM EX TALMUDICIS,
ILLUSTRATAM

PUBLICE PROPOSITA

GOTTINGÆ, D. 23 AUG. 1743.

RESP.

BENJ. WOLF. GINZBURGER.

POLONO.

CONSPECTUS.

§. 1. *Medicinæ veterum Hebræorum ſub divino regimine dignitas.* §. 2. *Ejusdem a ſummis viris cultura, ſpeciatim a collegio ſacerdotum.* §. 3. *Talmudicorum ſcriptorum, qui res medicas illuſtrarunt, ratio & ætas.* §. 4. *Phyſiologia ex Talmudicis illuſtrata.* §. 5. *Specimina cultæ Anatomes.* §. 6. *Doctrina in pathologicis.* §. 7. *in ſemioticis.* §. 8. *Simplicitas materiæ medicæ rerum chemicarum ignara.* §. 9. *Chirurgia.* §. 10. *Therapia in morbis internis.* §. 11. *Diætetica.* §. 12. *Studium obſervationum cum variis in medendo cautionibus.* §. 13. *Finis.*

§. I.

De veteri Hebræorum medicina, nemo facile eſt, qui ſiniſtre ſentiat, quippe quæ divino antiquiſſimorum temporum non ſolum teſti-

teſtimonio, ſed & peculiari tutela nititur. Ipſa enim miraculoſa manus, quæ gentem ex omnibus electam duxit, in valetudinis negotio ita leges naturæ medicatricis abs ſe ſtabilitas ultro ſecuta eſt, ut non niſi virium quoddam ſuperpondium addiderit. Sic ELISAEUS prophera *a*) inſalubres aquas injecto ſale, colocynthides addita farina *b*) correxit, lepram Syri NAAMAN ſeptenis in Iordano ablutionibus ſanavit *c*). Nam & ſal putres aquas *d*), & efficacius farina colocynthides *e*) corrigit, utpote quibus omne ævum lenta & glutinoſa oppoſuit. Quantopere vero congruat, ad omnem cutis immunditiem eluendam in aquas fluviatiles deſcendere, & ad rapidos inprimis vortices lavari, expenderunt penitius juxta cum aliis VALLESIUS *f*) & BORRICHIUS *g*). In qua re divinam manum, quæ ubivis veneranda eſt, medicas vires comprobaſſe, ſuſtentaſſe & auxiſſe adparet, velut in miraculo CHRISTI contra famem tot millium, paucis panibus devictam, ſine dubio adhibitum fuit, quod famem propria vi ſedaret, nec novarum virium acceſſione, ſed ſuarum intenſiori virtute indigeret. Si SIRACIDAE *h*) credimus, lignum, quod MOSES divino nutu in aquas immiſit, quarum ad tempus amaritudo corrigenda erat, hoc per naturam ſuam præſtitit, quod eo propius vero eſt, ſi recte PLINIUS *i*) ſcripſit, aquas illas etiam poſthac amaras fuiſſe. Qui vim ficus emollientem, maturantem, diſcutientem, & vim fellis detergentem ſuffuſionumque initia digerentem non ignorat, illa anginam Regis EZECHIAE *k*), hac cœcitatem TOBIAE *l*) ſublatam eſſe, eo animo legit, ut neque ex-

a) 2 Reg. II. v. 20. conf. *Aegiſippi* L. IV. hiſt. Iud. C. 17.
b) 2 Reg. IV. v. 40.
c) 2 Reg. V. v. 10.
d) v. *Valleſ.* de ſacr. philoſ. c. 34. p. 193.
e) v. *Dodon.* herbar. p. 624.
f) de ſacr. philoſ. c. 38. p. 199.
g) de Hermet. Aegypt. ac Chem. Sap. c. 7. §. 9.
h) c. 38 v. 5. ad Exod. 15. v. 23.
i) Hiſt. nat. L. 6. c. 29.
k) v. *Bartholin.* de morb. bibl. c. 10.
l) Conf. de felle piſcium, præſertim callionymi *Galen.* L. 10. de ſimpl. medic. Fac. it. *Plin.* H. N. L. 32. c. 7.

extenuet nimis medicinæ auxiliatricis facultates, nec tamen majorem ejus gloriam, quam inter divinas ſuppetias adgnoſcat.

§. II.

Verum antiquos medicinæ Hebræorum proceres dum laudo, illorum forte mentio tantum injicienda eſt, qui artem humanis ſubſidiis inventam & propagatam ingenii ſui & induſtriæ opibus locupletarunt. Horum ut limitatior poteſtas, ſic circa illa omnium ſcientiarum incunabula ſine dubio ſimplicior & ab omni ornatu alienior fuit. Neque vero in externis ſolum, quæ plerorumque de primis medicis ſuſpicio eſt, opera eorum ſubſtitit, ut in vulneribus obligandis, vel condiendis cadaveribus, exemplo medicorum IOSEPHI *m*), ſed internis etiam malis exercitatam manum admovit, & ipſo progreſſu audacior, majorem, quam par erat, ſui fiduciam Regi ASSAE inſpiravit *n*), imo DAVIDI, frigido jam ſeni, accubitum vegetæ calidæque puellæ ſalubrius forte quam verecundius ſuaſit *o*). Ipſum ante hæc tempora MOSEN non modo medicum CHRYSOSTOMUS *p*) vocat, eumque ab Aegyptiis hanc artem accepiſſe, CLEMENS ALEXANDRINUS *q*) diſerte teſtatur, ſed & GALENUS *r*) ipſe ut medicinæ peritum citat. SALOMONEM ſummum pariter Phyſiologum EUSEBIUS, *s*) celebremque ſcriptis Medicum IOSEPHUS *t*) adpellat, quæ ſcripta EZECHIAS abſtuliſſe traditur, ne populus plus herbarum viri-

m) Geneſ. 15. v. 1.

n) 2 Chron. 16. v. 12. *Podagricum fuiſſe, ac ſi acubus pungeretur. v. Satah.* fol. 10. 1.

o) 1 Reg. I. v. 2.

p) Homil. VI. in Marc.

q) L. I. ſtromat. p. 98. Conf. *Philo Iudæus* L. I. de vita Moſis it. *Clerici* Hiſt. Med. P. I. L. I. c. 5.

r) L. XI. de uſu partium corp. hum. c. 14.

s) Eu. præparat. L. XI. c. 5.

t) L. VIII. Antiqu. C. 11.

viribus quam Deo crederet, ut apud SUIDAM *u*) legimus, ubi & hoc ex more paganorum fortaſſis deſumtum enarratur, remedia cujusvis morbi in libris illis recenſita veſtibulo templi inciſa fuiſſe. Ipſum Regem EZECHIAM libros medicamentorum conſcripſiſſe, R. MOSE *x*) teſtatur & ex eo TIRAQUELLUS *y*). ESAIAM SERAPIO *z*) medicum vocat, luculentius CHRYSOSTOMUS, *a*) imo ad mentionem ſanati ab eo Regis EZECHIAE HIERONYMUS ſcribit ſpernendam non eſſe medicinam, quæ uſu conſtet & experimento *b*). Si paulo ulterius progredimur, Regem AGRIPPAM medicorum glebæ adſcribit unguentum, quod NICOLAUS & ARNOLDUS VILLANOVANUS in ſuis antidotariis tradunt ab eo nomen geſtare. Neque fortaſſis alius eſt, quam quem MESUE, RHASES & alii ſub nomine Iudæi ſæpius citant *c*). Antidotum ESDRAE, quod AETIUS, AEGINETA, ACTUARIUS *d*), aliique commendant, expreſſis verbis MYREPSUS *e*) Prophetæ tribuit. Ne de Medicis Hebræis dicam Chriſtiana ſacra amplexis. Id vero omittere non debeo, fuiſſe ſemper in collegiis ſacerdotum, qui medendo occupati reliquis conſuluerunt *f*), ut de Aegyptiis pariter conſtat. Exemplum in Talmude legas de filio ACHIAE *g*) iis, qui morbis ventris laborarent, præpoſito. Quoniam enim ſacerdotes ibant diſcalceati

u) Sub voce *Ezechias*. Conf. *Selden*. de libr. p. 196. *Salm*. ad *Panciroll*. L. II. rer. memor. p. 39. *Camerar*. ſubciſiv. Hor. L. III. c. 30. *Morhofius* in Polyhiſt. L. I. c. 6. herbarii Salomonis Arabice ſcripti meminit.
x) L. III. perplexor. c. 38.
y) Op. T. I. de nobil. c. 31. §. 119. p. 146.
z) ib. § 83. p. 143.
a) Homil. 6. in Marc.
b) v. Tiraqu. l. c.
c) Conf. *Fabric*. Bibl. Græc. Vol. 13. p. 43.
d) *Aet*. Tetrab. L. 4. S. 1. cap. 101. *Aeginet*. de remed. L. 3. c. 32. *Actuar*. meth. med. L. 5. c. 6. &c.
e) Sect. I. Antidot. 138. 139. 141. Conf. *P. Caſtell*. de opt. medic. ſectæ p. 56.
f) *Ioſ. Scalig*. in Scal. prim. p. 61.
g) Schkalim fol. 8. 2.

calceati in pavimento templi, & bibebant aquas, facile in morbos ventris incidebant. Ille vero scivit, quodnam vinum viscеribus salutare esset, & quod viscera debilitaret.

§. III.

Atrox rerum conversio, quæ cum excidio urbis pristinam gentis gloriam delevit, veluti omnes scientias atra mersit caligine, sic medicinæ novis incrementis obicem posuit. Cautum tamen ante omnia est, ne lex ore propagata, quam ut ejusdem cum scripta originis reverentia populi conservavit, in tanto fortunarum suarum naufragio & communi fere civium exilio intercideret. Hinc R. Iuda Hakkadosch, quintus ab Hillele, ut memoriæ civium soluto reipublicæ vinculo dispersorum in tanta operis mole consuleret, omnes illas traditiones, tanquam per traducem hucusque propagatas, quibus opera doctissimorum virorum, qui Tannaim adpellabantur, lucem adfuderat, sub Antonio Pio Imperatore A. C. 150. circiter in volumen congessit, quod Misnah vocatur. A quo deinceps tempore eruditi in Iudæa & Babylonia viri, copiosis illud opus commentariis illustrarunt, qui Gemara dicti & cum Misnah conjunctim editi tam Hierosolymitanum, quam Babylonicum Talmud constituunt, illud trecentis a C. N. hoc quingentis circiter annis publicæ luci concessum *b*). Illi vero doctores, qui ante Misnam editam Tannaim, & ab hoc tempore ad Talmud usque Babylonicum Ammoraim nuncupabantur, quemadmodum postea Seburaim & Geonim, ut omnis suæ doctrinæ, sacræ & civilis, ita & medicæ documenta ubertim inseruerunt. Hæc igitur variis locis excerpta animus est oculis omnium subiicere, qui ex dictis facile judicabunt, quibus scripta sint sæculis, & quod exigua parte præcesserint ævum Galeni, majori æquauerint maxima superaverint. Mirum proinde non est, multa cum placitis Galenicis convenire, quædam vero ut propria & domestica merito considerantur.

§. IV.

b) *Buxtorf.* recens. Oper. Talmud. it. Lexic. Rabbinic. p. 2610. seq.

§. IV.

Cum principiis maxime Ariſtotelicis fulta fuerit temporum illorum Phyſiologia, ſolidiorem ejus partem jure poſtliminii gens Hebræorum ſibi vindicare poteſt, cum Alexander Macedo Hieroſolymis potitus inter alios doctrinarum theſauros & ſollicite collecta orientis ſpolia ipſos Salomonis libros Ariſtoteli concrediderſe perhibeatur. Idcirco R ABRAHAM ZACUTH *i*), quidquid in Ariſtotelis doctrina eximium & inconcuſſæ veritatis eſt, a ſapientia Salomonis furto ablatum cenſet, nugas vero fabulasque admixtas. Quin & EUSEBIUS *k*) vero ſimile judicat, calidorum & frigidorum, ſiccorum & humidorum ordines inde compoſuiſſe medicos, & quanam menſura calidor herba ſit, vel frigidior, didiciſſe. Varia in Talmude occurrunt, quæ opus inprimis generationis illuſtrant. Inter hæc illud eſt *l*): *quæ eodem corporis ſitu coëunt animalia, & æquale graviditatis tempus habent, horum alterum ex altero concipere poteſt.* Cui reſpondet aliud *m*) *animalium, quæ diverſo ſitu cæunt, & diverſum graviditatis tempus habent, nequit alterum ex altero concipere, neque alterum bene nutrire alterum.* Hæc veluti non inconcinne dicuntur, ita majorem fortaſſis obſervationis curam in hoc calculo *n*) requiras, quo canes diebus L, feles LII, porcos LX, animalia cicuria immunda menſibus XII, majora munda IX, minora, ut oves & capræ V, vulpes & omnis generis reptilia VI, lupum, leonem, urſum, leopardum, bardulum, elephantem, ſimiam annis III, ſerpentem VII, viperam אפעה LXX. uterum geſtare perhibent. Cujus furfuris eſt facta eodem loco computatio temporis, quo fructus ad maturitatis ſuæ terminum perveniant, nempe avellanas intra dies XXI. nuces excludere, ut gallinas ova, ficum diebus L, baccas

i) in libro Iuchaſin.
k) Quem ex Anaſtaſii Qū. 39. in Script. citat. *I. F. Buddeus* in hiſt. phil. Ebr. Conf. cel. *Schulzii* Hiſt. Med. P. I. S. II. c. 6. §. 3.
l) Bechoroth fol. 18. 1. doctorum Miſnicorum.
m) Chulin fol. 127. 1. effatum doctoris Miſnici.
n) ibidem.

cas mori LII, mala LX, dactylos menſibus XII, olivas IX, frumenta VI, vuas V matureſcere, ad ficum vero albam requiri triennium, ſiliquas denique ante annos LXX. fructus non ferre, ſi ferunt, non niſi tertio ab hinc anno maturos eſſe. In quibus quidem Salomonæi ævi ſapientiam haud omni ex parte reperias. De fœtu & conceptione tradunt varia. Hanc aiunt ſtatim a coitu, non raro etiam ſecundo ac tertio die *o*) poſt illum fieri. Fœtum non ex omni ſeminis maſſa ſed puriori ejus guttula *p*) naſci, natum aquæ in utero materno ſic innatare, *q*) ut nucem aquæ, adſeverant. In ſitu embryonis manus temporibus admotas, flexuram cubiti femoribus, pedes natibus, caput inter crura inclinatum deſcribunt. *r*) Addunt, os clauſum, ductum vero funiculi umbilicalis apertum habere embryonem, ſanguine materno ali, aluum non exonerare. Sanguinem pro vario climate *s*) varium, & prout in vaſis vel extra vaſa hæret, *t*) alium recte ſibi concipiunt. Menſtruum ſanguinem ex quinque coloribus diiudicant, *u*) quorum ſi nullus adſit, pro menſtruo habendum eſſe abnuunt. Marem, qui uno teſticulo vel vaſe deferente careat, ad ſobolem procreandam ineptum eſſe negant. *x*) Feminam gravidam ad quartum ſæpe menſem fluxu menſtruo laborare, *y*) noſtri ævi obſervatis congruenter notant. In quorum multis nec experientiæ fidem nec dextrum rationis uſum deſideres. Varia altius videntur ex phyſicis & metaphyſicis fontibus repetiiſſe, inter

o) Niddah fol. 38. 1. Auctor hujus ſententiæ obiit A. C. 251. ſ. A. contract. 564.

p) Niddah fol. 71. 1. Auctor obiit A. C. 245. ſ. A. Contract. 558.

q) Niddah fol. 31. 1. Auctor vixit circa A. C. 337. ſ. A. Contract. 650.

r) Niddah fol. 30. 2. Auctor vixit circa A. C. 217. ſ. A. Contract. 530.

s) Niddah fol. 20. 2. Auctor vixit circa A. C. 287. ſ. A. Contract. 600.

t) Crithoth fol. 20. 2. effatum doctoris miſnici.

u) Niddah fol. 19. 1. effatum doctoris miſnici.

x) Iebhamoth 75. 12. ita doctores labhnenſes ſtatuunt, ſed non deſunt diſſentientes.

y) Niddah fol. 7, 1. 2. effatum doctorum exoticorum.

ter quæ dogma illud eſt recentiorum philoſophorum ſupercilio dignum, perfecte ſimilia neque arte neque natura dari z).

§. V.

Pro temporum infelicitate, quæ corpora humana attingere & ſecta ſcrutari nefas duxit, non quidem magni adeo, ſi cum noſtri ævi inventis compares, nec tamen nullius momenti ſunt, quæ ex Talmude in Anatomicis promuntur. Mentionem variis locis iniiciunt cartilaginis ſcutiformis, *a*) glandulæ thyroidis, vaſorum cervicalium, *b*) aliorumque, quæ præcipuo loco manus Anatomicorum occupant. Medullæ ſpinalis *c*) initium circa foramen magnum infra apophyſes oſſis occipitis, finem in cauda equina ſic determinant, ut hujus diſtributas propagines attentione peculiari proſequantur. *d*) Oeſophagi tunicas *e*) in exteriorem rubram diſtinguunt & interiorem albam, pulmonem binis pariter tunicis *f*) ambiri, pinguedinem renum g) ſua membrana involui docent. Et quod exercitatam crebra ſectione manum luculentius arguit, tres aliquando renes, *h*) aliquando duo inteſtina recta *i*) in cadaveribus obſervarunt, nec minus illud, exſecto utero animantia vivere poſſe, *k*) nec lienem exſectum *l*) mor-

z) Bechoroth fol. 18. v. 1. effatum doctorum exotic.
a) Chulin fol. 18. 1. 2. cartilaginis annularis mentio ſit in Miſnah ſcutiformis a doctore circa A. C. 187. ſ. A. contract. 500. glandularum a doctore, qui obiit A. Contr. 663.
b) Chulin fol. 27. 1. dictum doctoris miſnici, qui vaſa cervicalia jubet poſt mactationem diſſecari.
c) Chulin fol. 42. 2. Auctor obiit A. C. 251. ſ. A. Cont. 564.
d) Chulin fol. 43. 2. Auctor vixit A. C. 237. ſ. A. Contract. 550. v. Raſchei h. l.
e) Chulin fol. 43. 1. Auctor obiit *A. C.* 350. ſ. *A* Cont. 663.
f) Chulin fol. 46. 1. *Auctor obiit A. C.* 245. ſ. *A.* Contract. 558.
g) Chulin fol. 18. 2. *Auctor obiit A. C.* 363. ſ. *A.* Cont. 676.
h) Chulin fol. 55. 2. *Auctor obiit. A. C.* 245. ſ. *A.* Cont. 558.
i) Chulin fol. 58. 2. obſervatum circa *A. C.* 387. ſ. *A.* Contr. 700.
k) Sanhedrin fol. 33. 1. Effatum medici tempore Alexandri Iannei ante C. N. 106.

l) mortem inferre, licet vulnus in eo loco, quo vaſa ingrediuntur, lethale ſit. Hæc & alia forte in ſolis animalibus facta tentamina dixeris, at R. Ismaelis diſcipuli *m*) in ſectione ſcorti feruntur membra corporis CCLII. reperiiſſe, inter quæ labia, prolabia & muſculum clitoridis numerantur. Scribunt de alia femina, quadrageſimo die, quo imprægnata fuit, ad ſupplicium tracta, in cujus diſſecto utero fœtum perfectum deprehenderint medici. *n*)

§. VI.

Morborum plerorumque cauſſam in ſanguine quærunt, *o*) ſalutari vini uſu corrigendam. Febrem æſtiuam hiemali mitiorem pronunciant *p*) & multos recentiorum imitantur, qui febres tantum non omnes ut ſalutares extollunt. Nam quantum ſpinam palmæ, tantum febres corpori prodeſſe perhibent, easque, quæ ſingulis menſibus invadunt, inſtar theriacæ eſſe. *q*) Ad retenta & excreta ſollicite reſpiciunt, & ex retento lotio hydropem, ex aluo ſuppreſſa icterum derivant. *r*) Senibus aiunt & debilibus pollutione nocturna laborantibus aliquot ſeminis guttulas in membro genitali retineri, quæ cum lotio demum propellantur. *s*) Hydropis ſpecies triplex iis eſt, anaſarca, hypoſarca & leucophlegmatia. *t*) Menſtrua terrore promoveri, mœſtitia reprimi, ſtatuunt. *u*) De eo ſubtiliter diſputant, an nequeat ſanguis e corpore

l) Chulin fol. 54. 1. in Miſnah fit mentio exſecti. Auctor, qui limitat, obiit *A C* 350. ſ. *A. Contr.* 663.

m) Bechoroth fol. 45. 1. id. Sect. II. factum.

n) Niddah fol. 30. 2. Id factum regnante Cleopatra Alexandrina iterumque ſub Cleopatra regina Græcorum.

o) Babha bathra fol. 28. 2. Auctor vixit. Sec. II.

p) Iomah fol. 29. 1. Obiit auctor *A C.* 318. ſ. *A.* Contr. 631.

q) Nedarim fol. 41. 1. 2. Auctor obiit. *A. C.* 350. ſ. & Contract. 663.

r) Brachoth fol. 62. 2. effatum doctorum exoticorum.

s) Chulin fol. 24. 2. Citatur Miſnah ex miquoth.

t) Sabbath fol. 33. 1. effatum exoticorum. Ibidem inedia etiam nonnunquam pro cauſa hydropis & alui ſuppreſſæ habetur.

u) Chulin fol. 45. 2. Vid. Aſchrei ad h. l.

pore elici vaſis illæſis? *x*) Cranium contuſum, *y*) os femoris ligamenti culpa laxatum, *z*) renes circa peluim multum purulenti continentes, *a*) ut morbos lethales conſiderant. Quo etiam referunt *b*) ichoroſam & purulentam medullam ſpinalem, obſervaruntque ab ea rupta agnum poſterioribus pedibus claudicaſſe. *c*) Fuſius cauſas morborum, quæ vel funeſtæ ſunt vel in morbum perpetuum præcipitent, niſi ars ſuccurat, in animalibus quindecim conſtituunt, *d*) nempe œſophagum, pulmonem, ventriculum & inteſtina tenuia perforata, piam matrem & veſicam felleam læſam, coſtas pectoris fractas, vulnus in cordis ventriculum penetrans, iecur putredine conſumtum, aſperam arteriam & medullam ſpinalem laceratam, concuſſionem magnam corporis quamvis ſine veſtigio fracturæ, denique conculcationem anterioribus ferarum unguibus factam.

§. VII.

Neque ſignorum doctrinam, ſive præſentis ſive imminentis morbi genium manifeſtet, ſive obſcuros morborum exitus præſagiat, ab iis neglectam fuiſſe, uno alterove tuebimur exemplo. Signa impotentiæ virilis hæc habent, *e*) barba deſtitui, glabritiem toto corpore, ſemen juſto fluidius, vocem inſtar feminarum gracilem habere, lotium, quod nec putreſcat facile nec ſpumoſum ſit, emittere, ſemen lotiumque nullo eiaculari impetu. Feminas ſteriles eſſe judicant, ſi mammis ſunt deſtitutæ & monte Veneris, ſique

x) Sabbath fol. 133. 1. 2. Statuit ibidem Doctor miſnicus, omnem ſanguinem in vaſis contineri.
y) Chulin fol. 42. 2. *Auctor* effati obiit *A. C.* 251. ſ. *A. Cont.* 564.
z) Sabbath fol. 53. effatum doctor. exotic.
a) Chulin fol. 55, 1. 2. *Auctor obiit A. C.* 245. ſ. *A. Cont.* 558.
b) Chulin fol. 45, 2.
c) Chulin fol. 51. 1. Id notatum eſt ante *C. N.* 112. circiter. *Aliqui* crampum pro claudicatione intelligunt.
d) Chulin fol. 42. & ſq. XVIII morbi ſpecies in Miſnah numerantur.
e) Iebhamoth fol. 80, 2.

ſique coitum moleſte ferunt, vocem vero ſonoram, ut viri, habent. Inter quæ ſigna acute diſpiciunt, quibus ſolis & quibus conjunctis vis inſit probandi. Iuſtiſſimum illud dixeris, quod ſignum hydrocephali lethalis interpretentur, ſi aqua in cerebro hæret, non lethalis, ſi extra cerebrum *f*). Pulmo, ſive obduruerit, ſive colorem nigrum, aut qualis carnis eſt, contraxerit, iis deſignat morbum, qui ſpem omnem remedii excludit *g*). Ren per morbum extenuatus ſignum ipſis funeſtum eſt, at ren per naturam tenuior nihil ſiniſtri ominatur *h*). Hepar vermiculoſum *i*) pro lethali non habent, nec inteſtinum rectum eo loco, quo oſſi ſacro connectitur, perforatum *k*).

§. VIII.

In viribus medicamentorum indagandis ad experientiam, quæ iis prælúxit, non contemnendam auſcultant. Virtutes allii *l*) calefacere, ſaturare, faciem ſplendidam reddere, vermes necare, ſemen augere docent. Non aliter ſentit ætas noſtra, quæ hanc ruſticorum theriacam, uti GALENUS adpellavit, ſcopo potiſſimum anthelmintico & aphrodiſiaco commendat. Pulegium adverſus vermes iecoris, hyſſopum adverſus vermes ventris Talmudici ſcriptores laudant *m*). Thus damnatis ad ſupplicium ductis datum in via eſſe referunt, ut obſtupefacti ſævitiam mortis ſentirent languidius *n*). Gummi Alexandrinum, alumen & crocum hortenſem pro immoderato menſium fluxu ſiſtendo extollunt, ſingulorumque unciam unam in vino coquunt propinantque

f) Chulin fol. 45, 2. Auctor vixit *A C* 217. ſ. *A.* Contract. 530.
g) Chulin fol. 47, 2. Auctor obiit *A. C.* 350. ſ. *A.* Contract. 663.
h) Chulin fol. 55. 2.
i) Chulin fol. 48, 1. deciſum doctoris Iabnenſis.
k) Chulin fol. 50, 1.
l) Babha kama fol. 82, 1.
m) Sabbath fol. 109, 2. de iis jam in Miſnah fit mentio, uſum plus illuſtrant Talmudici.
n) Sanhedrim fol. 43, 1.

que o). Aquam lacus Aſphaltites contra morbos oculorum & lepram ſuadent p). Neque ignotæ iis fuerunt aquæ ſalubres, quales thermæ Tiberienſes q), quarum calorem ope aquæ frigidæ temperare pro balneo tepidiori conſueuerunt. Chemica præparata ex tam ſimplici materiæ medicæ adparatu exulant. Quam O. TACHENIUS in Hippocrate Chemico operam luſit, nolumus in Chemia Talmudica vindicanda perdere, nec noſtram facere WILH. ten RHYNE r) conjecturam, quaſi ſacerdotes ludæorum cum nidorem fumosque a ſacrificatis animalibus adſcendentes fortuito attactu frigidorum corporum in liquamen coire vidiſſent, cœperint per capitellum ſeu alembicum aræ impoſitum colligere halitus, ut in phlegma ſpiritum oleum & ſal volatile abierint, quæ occaſio inventæ deſtillationis ex retorta videri poſſit. Sed mittimus vanas ſuſpiciones hominum fumi & fuliginis.

§. IX.

Manu quam medicamentis mederi cum proclivius fuerit veteribus, non deſunt in Talmude, quæ Chirurgiam illuſtrant. Vulneribus emplaſtra de pice alba cum cera s) deſtinant, vel ea, quæ ex una parte ceræ & ſeptenis axungiæ t) conſiſtunt. Hæmorrhagias vino & oleo bene mixtis cœrcent u), decoctum quoque naſturtii cum aceto in iis ſiſtendis probant x). Porro hederam terreſtrem vul-

o) Sabbath fol. 110, 1. Auctor vixit. A. C. 187. S. A. Contract. 500.
p) Sabbath fol. 108, 2. 109, 2. dictum exorticorum.
q) Sabbath fol. 39. & ſeqq.
r) Plura circa hæc ſomnia vide in ejus diſſert. de Chemiæ & Botanicæ antiquitate & dignitate, ubi etiam in templo ſtruendo multos Salomoni Chemicos famulatos eſſe fingit. Conf. cel. *Schultzii* Hiſt. Med. P. I. S. II. c. 6. §. 14.
s) Sabbath fol. 133. 2. Auctor vixit A. C. 287. ſ. A. contract. 600. Nonnulli pro pice alba reſinam galbani ſubſtituunt.
t) ibid.
u) Sabbath fol. 133; 1. ex verbis miſnæ comp.
x) Abhodah ſara fol 28, 1. Auctor vixit A. C. 237. ſ. A. contract. 550.

vulneribus opponunt *y)*, loca contuſa melle inungunt *z)* partes laxatas aqua frigida conſpergunt *a)*. Poſt venam ſectam abſtinere jubent ab eſu lactis, caſei, ceparum & ficuum immaturarum, vel ſi contra hæc peccatum ſit, vinum cum aceto ſuperbibere *b)*. Hæmorrhoidum externarum & internarum mentionem faciunt, illis emplaſtra ex cera & oleo adplicant, quietemque in aëre temperato ægris præſcribunt *c)*. Cucurbitas ſiccas regioni epigaſtricæ infantum admovent, qui nimiis ventris torminibus vexantur *d)*. Ita ſapienter a ſede adfecta vim ſpirituum influentium avocant, quæ ratio eſt, cur in vomitu vix compeſcendo ultimum hodie ad cucurbitas illas abdomini infigendas perfugium ſit. Nec operationum Chirurgicarum exempla deſunt. Si infans apertura ani deſtituitur, regionem illam, in qua eſſe debebat, oleo inunctam radiis ſolaribus exponunt, & ubi radii pellucidius transparent, cuticulam grano hordei in crucem incidunt. *e)* Aliam in homine dubii ſexus operationem commemorant, qua peracta liberos ille genuerit *f)*.

§. X.

Interne in morbis fere omnibus pro præſentiſſimo remedio vinum habent, quo deficiente cetera demum medicamenta adhibere fas ſit *g)*. Id ex ASCLEPIADIS ſchola hauſiſſe videntur, qui ut auſteriori veterum medicinæ novam gratiam adquireret, indul-

y) ibid.
z) Sabbath fol. 76, 2. Auctor Doctor miſnicus vixit circa *A. C.* 167. S. *A.* Contract. 480.
a) Sabbath fol. 147, 1.
b) Abhodah ſara fol. 29, 2 ex doctoribus exoticis.
c) Abhodah ſara fol. 28, 3. *Auctor* vixit circa *A. C.* 237. ſ. *A.* contract. 550.
d) Sabbath fol. 62, 2. *Auctor* hujus effati vixit *A. C.* 287. ſ. *A.* contract. 600.
e) Sabbath fol. 134, 1. *Auctor* vixit *A. C.* 287. ſ. *A.* contract. 600.
f) Iebhamoth fol. 83, 2. Hæc operatio inſtituta eſt *A. C.* 287. ſ. *A.* contract. 600.
g) Babha bathra fol. 58, 2. *Auctor* vixit Sæculo II.

indulgentior in ægros laxavit vincula, quæ vini aliarumque vitæ deliciarum uſum paulo ſeverius reſtringerent. Occurrunt tamen in Talmude multa etiam alia, morbis maxime chronicis, oppoſita medicinæ auxilia. Singulare eſt illud in dyſpnoea datum conſilium medicum, *h*) quo lac caprinum ex ipſis capræ uberibus ſugere ægrotus iubetur. Pulchre cum CAPIVACII aliorumque doctrina convenit, qui lac ſuctu hauſtum virtute longe ſuperius cenſent, quam quod externi aëris attactum cum magna ſpirituum ſuorum jactura ſubiit, a coctione vero in longe majorem lentorem corpori onuſtum degeneravit. Neque atrophicis ex diuturna inedia male conſulunt, quando primum aquam furfuraceam, deinde farinaceam, poſtea cibos gradatim offerunt. *i*) Suſpecta enim ſemper eſt in corpore exhauſto ſubita a nutrientibus repletio. In bulimia *k*) illicitos etiam cibos dare permittunt, donec æger viſu, quo fere privat urgens fames, potiatur iterum. Tollenda enim quovis impendio eſt irritans vehementer in ventriculo cauſa, quæ cerebrum & ſenſuum functiones obfuſcat. Et merito dantur, licet ſanis aliena videantur, quæ inſtinctus ægri provida natura contra cauſam morbi armatus ultro depoſcit. Quale enarrant ipſi Talmudiſtæ de bove gingivarum doloribus laborante, qui automatico impulſu dolium confregit bibitque de effuſa cereviſia. *l*) Contra vermes vinum cum foliis lauri, contra tormina vinum cum pipere commendant. *m*) Emeticum in nauſea probant, *n*) juvat enim pituitam, frequentiorem ejus cauſam, in limine quaſi corporis evacuare, & coctionis impedimenta cum ea removere. Cardiacam paſſionem per muſtum vini contractam car-

h) Babha kama fol. 80. 1. Vixit æger, cui id remedii ſuaſerunt, initio ſæculi II.

i) Gittin fol. 56. 2. Id factum in obſidione urbis a Veſpaſiano.

k) Ioma fol. 83. 1. effatum doctoris miſnici.

l) Babha kama fol. 35, 1. Id factum circa *A. C.* 337. ſ. *A.* Contract. 650.

m) Gittin fol. 69. 2. *Auctor* effati obiit *A C.* 421. ſ. *A.* Cont. 734.

n) Sabbath fol. 147. 1. Prohibet Miſnah diebus ſabbathi medicamento ad hunc ſcopum uti, digito licet.

carne macilenta assata & vino diluto tollunt. *o*) Contra cordis angustiam aqua tepida, in qua aliquid asæ fœtidæ solutum sit, per triduum sumi jubent. *p*) Lotium, quod calculus vesicæ in sphincter hærens remoratur, iniecto oleo terebinthinæ cum succo porrorum & vino liberant. *q*) In morbis læsæ respirationis & deglutitionis decoctum betæ cum oleo olivarum *r*) merito commendant, tanquam egregium abstergens & demulcens remedium. Dentium & gingiuæ doloribus *s*) aqua ex fermento cum oleo olivarum & sale medentur alii comminutis nucleis immaturarum olivarum. Potu Aegyptiaco, *t*) quem ex hordeo, croco sylvestri & sale communi æqualiter mixtis conficiunt, vere ventrem laxant & perpetuas diarrhoeas simul cohibent. Locis angue admorsis gallinam laceratam imponere consultum ducunt. *u*) Farinam lentium & sal cum vino generoso coquunt, & hoc decocto sudorem in febribus eliciunt. *x*)

§. XI.

Ex fonte diætetico promunt notatu digniora. Sapientissimum hoc est, mutationem subitaneam consuetudinis in victu & amictu, licet in melius tendat, esse periculosam. *y*) Id enim multarum legum diæteticarum, quas nullo posito limite præscribimus, fidem infringit. Ientaculum a multis morbis, inprimis iis, qui a bile oriuntur, præservare haud temere monent. *z*) Nam facilis

o) Gittin fol. 61. 2. Auctor, qui hunc morbum exponit, obiit *A. C.* 251. s. *A.* Contract. 564.
p) Sabbath fol. 140, 2.
q) Gittin fol. 69. 2. Auctor effati obiit *A. C.* 421. s. *A.* contr. 734.
r) Brachoth fol. 36. 1. ex mente tusephtæ, cujus auctor vixit ante excidium templi *A. C.* 137. s. *A.* contract. 453. circiter.
s) Ioma fol. 84. 1.
t) Pschim fol. 42. 1. 2. Potum Misnah recenset, interpres, qui ingredientia usumque exponit, obiit *A C.* 329. s. *A.* contract. 642.
u) Ioma fol. 83. 2. effatum doctoris misnici.
x) Gittin fol. 70. 1. Auctor hujus dicti obiit *A.C.* 347. s. *A.* contract. 660.
y) Ktubboth fol. 110. 2. Auctor obiit *A. C.* 251. s. *A.* contract. 564.
z) Babha metziah fol. 107.

cilis eſt bilis, quæ vacuum ventriculum ſubit, in quiete & calore corruptio. Ovum modice excalefactum, ut in fluore perſiſtat, plus alere quam alterius cibi cujusvis eandem quantitatem non inaniter ſtatuunt. *a*) Nec minus rationis in hoc elucet, quod ante annos quadraginta plus cibi, poſtea plus potus requiri ad ſanitatem putent *b*), creſcit enim cum ætate humectandi corporis neceſſitas. Specimen, quo ingenio talia exornare ſciant, in hoc adparebit doctrinæ diæteticæ compendio *c*): *Cibi ſine potu craſſum ſanguinem pariunt, cibi ſine motu corrumpuntur; qui aluum exonerare negligit, idem facit, ac ſi fornacem calefaciat cinere plenum; qui thermis lavatur tantum, neque eas ſimul bibit, idem facit, ac ſi fornacem calefaciens externe ignem admoveat; qui poſt uſum balnei aqua frigida non abluitur, idem facit, quam qui ferrum candens aquæ frigidæ non immergit, qui lavatur ſine unctione, ei idem accidit, quam ſi dolium aqua externe perfunditur.* Non infimo ipſis, uti plerisque Orientis populis, diætæ pars eſt, lauari & inungi, ſcribuntque octogenarium balneis calidis & unctionibus ſedulo adhibitis vegetam longævitatem tribuiſſe *d*). Pro ſalutari habent *e*) matutinum ſomnum, ſique ſurgens aluum exonerat, vetant autem ſemper alui lotiique excretionem differre. *f*) Aquam frigidam mane & pediluvia veſperi plus acuere viſum credunt, quam omnia unguenta & emplaſtra *g*). Abuſum in motu, labore, vino, ſomno, concubitu, aqua tepida & phlebotomia damnant *h*). Salem edere poſt quemlibet cibum, aquam bibere poſt quemlibet potum præcipiunt *i*), a nimio potu ægro

a) Brachoth fol. 44, 2. Effatum *Auctoris* circa *A. C.* 236. ſ. *A.* contract. 550.

b) Sabbath fol. 152, 1. *Auctor* obiit *A. C* 251. ſ. *A.* contract. 560.

c) Sabbath fol. 41, 1.

d) Chulin fol. 24, 2. *Ille ſenex vixit circa A. C.* 187. S. *A.* contract. 500.

e) Brachoth fol. 62, 2. effatum doctorum miſnicorum.

f) ibid.

g) Sabbath fol. 108, 2.

h) Gitrin fol 70, 1.

i) Brachoth fol. 40, 1.

tantem altero die largiter iterum potare, at parcius vesci, pro bono valetudinis regimine interpretantur *k*).

§. XII.

His omnibus varias observationes, cautiones & monita subiungunt. Cum femina particulas rubras squamosas abortiret, medici vulnus uteri suspicati attenderunt, an maceratæ in aqua tepida dissolverentur *l*). Alia cum rubra filamenta utero eiiceret, metu ulceris uterini idem consilium dederunt *m*). Vetustissima observatio est ex mente Samei præsidis Synhedrii magni ante excidium templi, quæ discrimen albuminis ovi & seminis humani scrutata illud ad ignem concrescere hoc liquescere docuit. *n*) Marem lactasse infantem alio loco legimus *o*), alio feminam referunt, quæ mala granatorum comedentem, viderat, saliva deglutita in hydropem incidisse, sanatam deinceps per sputationem. *p*) Candide sæpius de vano experimentorum successu loquuntur. Monent, fidendum non esse in morsu rabidi canis remedio, quo iecur canis vulneri imponitur *q*). Puellam oleo ex olivis nondum maturis expresso per totum corpus inunctam occubuisse fatentur *r*). Spargunt ubivis, quæ scopulos medentum indicare possint, ut circa venæ sectionem superius vidimus. Huc spectat cautio de infante haud circumcidendo, cujus corpus rubet vel flavet *s*).

§. XIII.

k) Gittin fol. 68, 2.
l) Niddah fol. 22, 2. auctor vixit ante & post excidium templi.
m) ibid.
n) Gittin fol. 57, 1. ante C. N. 30.
o) Bechoroth fol. 39.
p) Ktubboth fol. 81, 1, 2.
q) Ioma fol. 83, 1.
r) Sabbath. fol. 76, 2. Auctor facti vixit *A. C.* 347. s. *A.* contract. 660.
s) Sabbath fol. 134. Auctor vixit *A. C.* 87. s. *A.* contract. 400.

§. XIII.

Verum hic ſubſiſto. Poteram in ampliſſimo campo, quam pauci ingrediuntur, latius diuagari, & ſparſas ſententias eo vinculo, quod a ſyſtematis forma minus abeſſet, colligare, & cum varia recentioris medicinæ ſpecie exactius comparare, at cum illud plus operæ, lectionis & meditationis poſtulet, in primis his lineamentis Talmudicæ medicinæ in præſenti adquieſco.

DISSERTATIO
DE
SCORBUTO,
PUBLICE PROPOSITA
GOTTINGÆ, D. 9 MAJ. 1744.
RESP.
HERM. CHR. SARTORIO.
OLDENBURGENSI.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

§. *I. Obſcuritas doctrinæ de natura & limitibus ſcorbuti.* §. *II. Ratio nominis.* §. *III. Definitio & triplicis ſtatus ſcorbuticorum conſideratio.* §. *IV. Sedes mali in liene an aliis locis? & quæ ratio ſanguinis & ſeri ſcorbuticorum?* §. *V. triples cauſa in aëre, victu & otio quærenda.* §. *VI. Cauſarum illarum actio ſtatum ſymptomatum explicans.* §. *VII. Quinam maxime ſcorbuto obnoxii?* §. *VIII. Diſcrimen inter illum & morbos affines.* §. *IX. Diviſio varia ſcorbuti.* §. *X. Prognoſis.* §. *XI. uſus medicamentorum evacuantium.* §. *XII. Uſus medicamendorum corrigentium.* §. *XIII. Recenſio ſelectiorum.* §. *XIV. Cautelæ circa uſum remediorum omnium.* §. *XV. Epicriſis in remedia male jactata.* §. *XVI. Uſus roborantium in fine medicationis.* §. *XVII. Potiorum ſymptomatum medela.* §. *XVIII. Leges diætæ a morbo præſervantis.*

§. I.

Scorbutus non tam morbus eſt, quam morborum illas, certe ob ſymptomatum copiam & verſatilem indolem tam multiplici facie ap-

apparet, ut eam inter lineamenta, peritis etiam manibus ducta, non niſi ægre agnoſcas. *a*) Mireris, quicquid in medendo fatigat, quicquid obſcurioris indaginis in morbis occurrit, vel ſcorbuti vel aſperſi fermenti ſcorbutici argui, cum tamen judice IOH. FREITAGIO *b*) vix inter mille medicos unus hujus mali ſatis gnarus ſit, & ad ſententiam GUERN. ROLFINCII *c*) iugulet ſæpe prius, quam cognoſcatur. Ideo vero, quod ſcenam ſuam ubiuis ludit, G. C. WINCLERO *d*) haud medici nomen mereri videtur, qui non crebro cum monſtro illo conflixit. Tanto major eorum oſcitantia eſt, qui non niſi exacerbatam magis labem hypochondriacam vel hyſtericam ſcorbuti nomine interpretantur, & plus eorum, qui pro fabula habent, quibus merito ſuccenſuit V. A. MOLLENBROCKIUS. *e*) Certe vel ſolus S. EUGALENUS ita in lucem produxit hunc morbum, a veteribus obſcurius traditum, ut latere eum amplius non poſſe cum D. SENNERTO iudicemus, maxime cum novam ei & eximiam lucem inter recentiores I. G. KRAMERUS *f*) & I. F. BACHSTROMIUS g) aliique affuderint.

§. II.

Cum tormina ventris, gingiuarum exulceratio & crurum imbecillitas inter præcipua ſymptomata ſint, quæ ſcorbutum produnt, natum eſt ejus nomen Scharbuck, Scharmund, Scharbein, ex quibus primum prævaluit, quod ſaucium ventrem diris cruciatibus tabefactum interprete OLAO MAGNO *h*) patria lingua notat. Et ſatius omnino erat, ab interna parte affecta quam externa

a) Hic etiam, inquit I. G. *Volcamer*. ἡ χρίσις χαλεπὴ, ſcorbuto plena ſunt omnia, *v. Ephem. Nat. Cur. D. I, A.* 6. & 7. *O.* 18. *ſchol. p.* 100.
b) *C.* 1. *O.* 99.
c) Conſ. med. *Libr.* 8. *c. VII: p.* 724.
d) *Ephem. Nat. Cur. D. I. A.* 6. *O.* 99.
e) In præf. *de arthritide vaga ſcorb.*
f) *In diſſ. ep. de ſcorbuto ad D. Ch. Iac. Trew Norimb.* 1737.
g) *In obſ. circa ſcorbutum Lugd. Bat.* 1737.
h) *Hiſt. ſeptentr. L.* IX. *C.* 38.

terna nomen trahere. Proinde haud ferimus barbarum gingipedii nomen, quod R. Snoio, vel gingibrachii, quod ipſi P. Foresto placuit. Antiquitatem vero morbi ex Hippocrate, Galeno, Svida, Plinio, aliisque Græcorum & Romanorum monumentis eruendam conſulto prætermimus, & brevitati litantes in neceſſariis ſubſiſtimus.

§. III.

Scorbutum ut morbum definimus locis borealibus maritimis & caſtrenſibus perquam familiarem, ex aliorum plerumque morborum reliquiis vel magno aëris victusque & vitæ minus exercitatæ, aut etiam contagii vitio natum, qui tota humorum maſſa inquinata ſolidarum partium contextum mire reddit friabilem, in hæmorrhagias, maculas & ulcera pronum, lenta demum febre viſcerumque conſumtione perimentem. Triplicem fas eſt, ut retecta magis oculos feriat, faciem ejus intueri, iuvenilem, adultam & ſenilem. Incipit ſummo ſpontanei torporis & laſſitudinis artuum ſenſu, in cruribus in primis & lumbis, non modo ab ambulatione, ſed & mane a ſomno, quo licet allecti nec fruuntur nec reficiuntur facile ægroti. Accedit difficilis ad parvos motus reſpiratio, ſine indicio laborantis pulmonis, vel febris vel alterius cauſæ. Ad hæc certe in regionibus maritimis orta de imminente ſcorbuto haud ambigue pronuntiamus, maxime, ſi paulo poſt ſalivæ & oris viſciditas, gingivarumque & vicinarum partium tumor, pruritus, ſenſimque cruenta cum dolore exeſio ſequuntur. Eodem tempore, interni dolores ſentiuntur vagi & per intervalla recurrentes, præſertim in abdomine, colicis, nephriticis, ſtomachicis, hepaticis, ſplenèticis aliisque æmuli, *i*) ſed adhuc ſine

i) Multa hic mala occurrunt, quæ prima facie alios morbos mentiuntur, ſed docuit ſimulacra hæc a ſuis archetypis diſcernere *Eugalenus*. Hinc nomine cachexiæ, arthritidis, colicæ, pleuritidis paſſim occurrunt. Sic quoque de cephalalgia ſcorbutica *S. Ledelius Ephem. Nat. Cur. D. 2. A. 5. O. 47. p. 90.* de paralyſi ſcorbutica *F. Moller ib. O. 28. p. 46.* de aſthmate ſcorbutico *R. Lentilius ib. A. 7. O. 123. p. 249.* de pſora ſcor-

ſine febre, ſiti & pulſu duro. Eorum vi mox emergunt maculæ, diverſi coloris, figuræ & magnitudinis, ad crura potiſſimum & tibias, cum duro tumore & moleſta rigiditate, ad motum fere inhabili, & tendinum genu flectentium aliquando convulſione. Altera morbi adulti facies ex pallido livida & fuſca earumdem calamitatum incrementa ſummo prodit fœtore oris, varicoſo venarum raninarum tractu, gingivarum ſtillicidiis cruentis *k*) & fœdis ulceribus, dentium nudatorum & nigricantium caſu ipſarumque ſenſim maxillarum carie. Quod hic primum fit circa tenuiora vaſa, loca humidiora & aëri expoſita, ab intro oberrante cauſa molliori partium texturæ ſimiliter imminet, ut ſic omnia ſubitaneo tabo quaſi cera liqueſcant, ſecundum ſententiam Olai Magni, & qui præcipuus morbi character eſt, hæmorrhagiæ, velut in ore & naribus, ſic in interiori viſcerum foco, imo ipſa cute *l*) ſine veſtigio interdum vulneris erumpant. Maculæ euntes redeuntesque colore ſuo improborum ſuccorum genium produnt, melior ruber eſt, peior viridis & ex viridi lividus vel ex livido niger. Majores crebrioresque crura & tibias implent, ſucceduntque iis puſtulæ & ulcera, nunc plana nunc convexa, nunc ſparſim nunc confertim emergentia, fœtida, cruſtoſa & ad omnem medelam rebellia. Adde jam dolores acriores & paulo fixiores, noctu

ſcorbutica *C. F. Paulini O. med. phyſ.* 103. *app. D.* 2. *A.* 5. *p.* 64. de phthiſi ſcorbutica R. *Morton L.* 3. *C.* 2. de purpura ſcorbutica G. W. *Wedelius Eph. N. C. D. I. A.* 9. *&* 10. *O*, 22. *p.* 72. de aliis exanthematibus ſcorbuticis, *I. Dolæus ib. D.* 1. *A.* 4. *O.* 118. *p.* 225. Perpetuum hæc ſymptomata non ſunt ſcorbuticorum ſatellitium, nec ulcera ipſa pleraque *v. I. G. H. Kramer l. c. p.* 26. *n.* 22. 23. 24. Eum tamen meminiſſe oportebat, ſcorbutum, quem lente plerumque & tranquille citra tot ſymptomata decurrere vidit, non uno ubiuis pede incedere.

k) Mirum eſt his locis, ut & deinde aliis, tantas hæmorrhagias naſci. *G. Horſtius O. med. ſing. L. I. P.* 2. *O.* 15. lienoſum fabrum ex Marcello citat, cui per venulam gingiuæ ultra octo libras ſanguinis ſpatio unius diei naturalis effluxerunt.

l) De ſcorbuticorum ſanguineo ſudore v. *S. Ledelius*, *Eph. Nat. Cur. D. II. A. II. O.* 34. *p.* 63. *&* 64. *it. I. Langelot, ib. D. I. A.* 6. *O.* 10.

noctu præſertim per juncturas artuum, cum magna pedetentim oſſium fragilitate ingraveſcentes. *m*) Tertius & poſtremus conſummati & inveterati mali ſtatus inter orientes motus febriles, anxietates & deliquia animi, deiectiones per vomitum, aluum, urinam, & ratione partium nervoſarum & muſculoſarum per paralyſes & convulſiones, denique cum univerſa labe corporis & viſcerum conſumptione ad mortem properat, ſimulque ad contagii vim exaltatur.

§. IV.

Hæc ſymptomata in aliis pauciora, mitiora, volubiliora, in aliis copioſiora, ſæviora, conſtantiora, juvat in ipſis originibus ſuis & ſedibus, quo usque licet, proſequi. Lienem ex Hippocratis doctrina accuſant plerique, certe raro fieri P. FORESTUS *n*) aſſeverat, quin lien in hoc morbo laboret. G. CHARLETON *o*) materiam ſabuloſam & tartaream crebra ſectione ſcorbuticorum in penitioribus lienis meatibus offendit, eandemque lateribus ipſis arteriæ cæliacæ & ſplenicæ adhæreſcentem vidit. Poteſt latentior illa in imis ſeceſſibus lienis noxa D. SENNERTI *p*) judicium confirmare, quod videlicet teſtimonia lienis integri reperti haud ita ſibi conſtent, quin malignas ibidem diatheſes, in cadaveribus non amplius reperiundas, ſuſpicari fas ſit. Si G. HORSTIUS *q*) cum iecinore ſcirrhoſo & tuberoſo obliteratisque vaſis meſentericis lienem reperit triplo majorem, cætera ſanum, alii vero juſto breviorem & rotundiorem, ipſa hæc magnitudinis vitia augent potius quam abolent laborantis lienis ſuſpicionem. Cum T. WILLISIO *r*) tamen I. G. RENGERUS. *s*) H. REUS-

m) Vid. M. *Donat. hiſt. mir. L. 4. C. 5. I. Schenck. O. 8. L. 5. G. F. Hild. O. 68. C. 2.*
n) *L. 20. O. 11.*
o) *De Lithiaſi. C. 4. S. 2.*
p) *Ep. 69. C. 1.*
q) *De ſcorb. S. II. §. 8.*
r) *De Scorb. c. 2.*
s) *Diſp. de Scorb. Th. 3.*

REUSNERUS *t*) & idem G. HORSTIUS *u*) aliique exempla ſcorbuticorum habent, quæ perpetuis illis de liene querelis nullo modo favent. Illud certe negari nequit, vim morbi in viſcera ventris, unde nomen accepit, atrocius ſævire, hinc præter crebra, licet non perpetua, lienis mala, hepar graviter affectum P. FORESTUS *x*) & H. REUSNERUS *y*) corruptum plane G. HORSTIUS *z*) exſuccum exſangue & cum amurca veſiculæ felleæ T. WILLISIUS, *a*) quemadmodum omentum lacerum & friabile T. WARTHON *b*) obſtructas meſenterii glandulas P. BARBETTE, *c*) duras & ulceribus exeſas H. LAUBIUS, *d*) pancreas fere ſemper corruptum L. RIVERIUS, *e*) alii ventriculi & inteſtinorum vaſa atro humore plena deprehenderunt. Quæ non obſcure teſtantur, ſanguinem abdominalem, quippe ad ſtaſes & corruptiones proniorem, nunc his nunc aliis magis locis, pro majori impulſus ſui & partis ſuſcipientis opportunitate labem ſuam affricare. Propterea ad ipſum humorum fontem, quo maxime vitio inquinetur, recurrit attentio inquirentis medici. Duplex autem eſt nota ſanguinis in primis morbi ſtadiis ſubtracti, nempe pars rubra grumoſa apparet & atra, pars ſeroſa acris & ſalſa, cum flavo & viridi muco in ſuperficie, pravi odoris & ſaporis. *f*) Accedit ſanguinis & ſeri facilis nimis a ſe mutuo receſſus, luculento

t) *Exerc. 4. de ſcorb.*
u) T. 2. L. 9. O. 4.
x) *L. 20. O. ſch. 2.*
y) *Exerc. 4. de ſcorb.*
z) *De ſcorb. ſ. 2. §. 8.*
a) De *Vrin.* C. 4.
b) *Adenograph. C. 2.* Confer. D. *Sennert. de ſcorbuto C. 2. it. Th. Barthol. hiſt. anat.* 13.
c) Cum quo diſceptat *Gualt. Charleton de ſcorb. c. 8. A. 6.*
d) *Act. Med. phyſ. Nat. Cur. V. 3. O. 104. p. 239.* Conf. *Reinb. Wagener in Eph. N. C. Cent. I. & II. O. 171. p. 366.*
e) *Prax. med. l. 13. c. 4.*
f) Vid. H. Bœrh. *aphor. II. 50. n. 3.* conf. *I. Iunck. Med. Th. pr. T. 69.* ubi ſanguinem grumoſum & parte ſeroſa & lymphatica non ſatis ſubactum arguit. it. *I. Th. Schenck de ſero ſanguinis Cap. 5.*

lento indicio, penitiorem miſcelam utriusque in negotio ſanitatis tam ſalutarem hic deficere. Ex quo illud erit promptum intellectu, ob facilem illum ſeceſſum infarctus atros & varicoſos in vaſis ſanguiferis, quemadmodum venarum raninarum exemplo patet, in minoribus ab acri ſero eo decumbente tumores eroſionesque, inter vagos dolores, macularum, puſtularum ulcerumque ortus ſequi, & hinc tam fracidam & friabilem ſolidarum partium texturam evadere, ut ubiuis fere ad levem irritationem dehiſcant vaſa cum effluxu cruenti vel ichoroſi. Bina maxime videmus pro partium majori debilitate vel robore oriri, ibi, nimirum ad os, inteſtina aliaque viſcera, merum ex irritatione ſanguinem tanquam a preſſa ſpongia emanare, hic nempe ad muſculos tendinesue, torporem, artuum gravitatem & rigiditatem cum maculis ſenſim ulceribusque mali moris naſci.

§. V.

Tantam ſanguinis & lymphæ & mox ipſarum partium ſolidarum corruptelam ex prægreſſis gravioribus cauſis oriri neceſſe eſt. Mirum hinc nobis non videtur, cl. KRAMERO g) haud principalem morbum ſcorbutum haberi, ſed ſobolem præcedentium morborum, maxime febrium intermittentium, continuarum, malignarum, ſimiliumque, quibus ob errores ſiniſtræ medicationis vel diætæ uberior malorum ſeges ſuccreverit. Vidit idem T. WILLISIUS *h*) cum aliis, & conſentire videtur ipſe T. SYDENHAM *i*), qui nunc quidem orientis mali ambiguum typum, nunc vero ſæpius nati nec penitus devicti triſtes reliquias ſcorbutum appellari exiſtimat. Rem bene illuſtrat ſcorbutus ille militaris A. 1634. a Sueco milite in urbem Auguſtæ Vindelicorum illatus. Teſte nimirum P. HOCHSTETTERO *k*) tantum febres ardentes ma-

g) *l. c. p.* 5.
h) *de ſcorb. c.* 3.
i) *Op. Med.* T. I. *P.* 5. *C.* 5. *p. m.* 172.
k) *Obſ. Med.* D. 7. *c.* 20. Hinc & *Kramerus l. c. p.* 5. & 6. verno tempore infallibiliter prædixit ſcorbutum, ſi æſtivæ febres inter recidiuas & varios diætæ errores tranſierunt.

malignasque attulerant Sueci, quibus circa brumam elangueſcentibus ſurrexit deinde ſcorbutus propriis illis ſignis laſſitudinis, fœtoris oris, macularumque circa artus conſpicuus. Atque hæc ita in multis fieri in data jam ſcorbuti definitione agnovimus, perpetuum tamen non eſſe, evincit eorum, qui nuper ſaniſſimi erant, oriens ſtatim ſcorbutus, & in iis, qui afflictiſſimi erant, ſubito interdum cedens, ut in nautis terræ expoſitis. Utrinque vero, ſive ſcorbutus ex propria ſive ex alieni morbi radice germinet, ab aëris, diætæ & vitæ otioſæ vitiis tanquam triplici fonte vim, quam habet, accipit & ſuſtentat. Aërem coarguunt plerique, & plus fortaſſis quam ſatis eſt, quem videlicet frigidum *boreales populos, humidum ſalſumque maris accolas, impuris halitibus refertum eos aiunt ſcorbuticos reddere, qui humilia* loca, depreſſa ſtagnisque & nebulis referta incolunt. Negari certe vix poteſt, his potiſſimum vernaculum eſſe ſcorbutum, & nulli inter eos ætati ſexuique parcere. Verum plus noxæ a paucis deprehenſæ in victu latet. Facile Cl. Bachstromius *l*) *attentioribus perſuaſerit, præcipuam ſi non unicam ſcorbuti cauſam eſſe, a recentiorum & ſucculentorum paſtu diu abſtinere,* vel quod idem eſt, victu craſſo, duro, ſalſo, ut carnibus bubulis, ſale & fumo conditis, farinoſis non fermentatis, piſis fabisque, pane vetuſto caſeisque ſalitis acribus conſtantiſſime ſuſtentari. Non quod fas ſit victum hunc, quippe durabiliorem cæteris & minus putredini obnoxium, ſimpliciter damnare, ſed quod citra mollium herbarum fructuumque ſocietatem diu *ferri ſine valetudinis offenſa nequeat. Aut fallit me animus, aut ad borealium gentium ſcorbutum plus ille victus, tam gratus iis & familiaris, facit,* quam aër, quicquid in eo vitii reprehendas. Longe enim luculentius exinde patet, cur nauticus maxime & caſtrenſis ſit morbus noſter. Veterum itinera maritima in mari *mediterraneo terminabantur, hodie continuo ſex vel ſeptem menſium itinere,* dum Indias petunt, victum durabilem rejectis mollibus & in putre-

l) *l. c. p. 16.* abſentiam, carentiam & abſtinentiam a vegetabilibus recentibus unice arguit.

putredinem pronis parare ſibi coguntur. Id nempe eſt, cur ex illo navigationum Indicarum tempore ſub nova quaſi morbi ſpecie ſcorbutus comparuerit. Nam antehac etiam non defuerunt fortaſſis, qui tali victu fruerentur, minime vero, qui tam conſtanter. Notum vero eſt, illis Indicis itineribus vix vigeſimum a ſcorbuto tranſire incolumem. Cum idem fiat ſub frigidiori Groenlandiæ quam æſtuantiori Indiarum cœlo, fas eſt cauſam mali utrisque navigantibus communem agnoſcere, quæ in nulla re manifeſtius quam negato viridiori cibo occurrit, cujus in opere valetudinis ſalubritatem inter craſſiora illa & acriora humectantem & demulcentem nemo facile non agnoſcit. Eodem fere commodo gregarii milites in caſtris privantur, quam illi in navibus, cum utrorumque demenſa vix comprehendant hortorum delicias. Cæſareorum militum in hibernis circa urbem Temiswar ob hortos præcedente obſidione vaſtatos multa millia ſcorbuto periiſſe legimus. *m*) Plus illud in urbibus obſeſſis patet, ubi hortorum vel penuria eſt, vel perexigua cura, vel & tot alendis non ſufficiens. Thorunenſes *n*) in hoc ſeculo cum Sueci militis obſidio per æſtatem premeret, plus quam quinque vel ſex millia militum præſidio urbis deſtinatorum ſcorbutus ſuſtulit. Ubi varia notamus, non levis ad illuſtrandam quæſtionem noſtram momenti, nempe Suecos extra urbem, licet in ſcorbutum proniores, ob liberiorem varii victus commeatum immunes ab hoc morbo perſtitiſſe, Saxones tutelæ urbis intentos, licet minus iis ſit in patria cum ſcorbuto negotii, ob neceſſitatem unius ſibi demenſi craſſioris victus atrociſſime hoc malo tentatos fuiſſe, reliquos urbis incolas, quibus non omnis in hortulis ſuis mitius ſeges exaruit, denique ſoluta obſidione, cum ægroti oleribus ſe implerent ex lubitu, morbum omnem ſubito aufugiſſe. Atque hæc perpetuas illos de aëris vitiis ſuſpiciones non parum diluere videntur. Nunquam me fefellit, inquit laudatus Bachstromius, quoties in diætam ſcorbuticorum inquiſivi, alienam illam

m) *v. Bachſtr. m. l. c. p.* 5. *&* 6. *& Kramer. l. c. p.* 23. *n.* 4.
n) *ib. l. c. p.* 4. *&* 5. *Kramer l. c. p.* 23. *n.* 6.

lam a ſucculentorum vegetabilium conſortio fuiſſe. Id quod Italus inter Cæſareos milites in ipſa patria, ſcorbuti fere ignara, affectus & poſt longa morbi tædia a chirurgo Germano crudarum herbarum ſuccis ſanatus pulchre agnovit, qui BACHSTROMIO *o*) an oleribus mollibus herbisque paſtus eſſet? ſciſcitanti: minime vero inquit, hoc morbo laboraſſem, ſi tali victu eſſem uſus, nec jam viverem, niſi uti cœpiſſem. Congruit apud VIT. RIEDLINUM *p*) viri illuſtris diuturnis navigationibus defuncti teſtimonium, præcipuam tam infeſti mali cauſam in olerum fructuumque inopia poſitam eſſe, hinc infectos, alicubi in terram expoſitos, cito illorum uſu ſanari. Haud puto adeo opus eſſe, ut potulentorum vitia victus erroribus adjiciam. Ultro enim patet, aquam crudam, ſtagnantem, gravem, verminoſam, qualem plerumque in navibus haurire oportet, vel cereviſias acres, feculentas, male coctas *q*) nec lupulo ſatis conditas teſſeram addere creſcenti malo. Neque tamen omittere debeo, quod de Luſitanis ſuis ROD. a FONSECA *r*) refert, iis nempe ad potum aquæ ex fluvio promontorii gingivas ita tumuiſſe, ut eas vix os caperet. Quod pulchre convenit iis, quæ de militibus Romanis trajecto Rheno ad potum fontis noxii gingivis & pedibus laborantibus PLINIUS *s*) nec minus de exercitu in Arabiam ducto & ſimili cauſa iisdem malis tentato STRABO *t*) teſtatur. Addimus aëris victusque vitiis cauſam tertiam non minoris momenti, vitam nempe inertem, deſidem,

o) *l. c. p.* 7. *it. p.* 17. *&* 18. *Hinc p.* 39. concluſionem vocat mathematicæ æmulam: *ſi herbæ & fructus morbum adeo cito & manifeſte depellunt, E. neceſſario ex eorum defectu natus eſt. E. etiam præſervatio & curatio iisdem rite adhibitis omnino conſtat.*

p) *Cur. Med.* C. H. O. 138.

q) Damnat hinc *Mart. Liſterus l. c.* conſuetudinem civium ſuorum, qui cereviſias ex aqua ſalſa coquunt, cui interdum calx etiam viva adjecta.

r) *Conſult.* 2. Nec tamen ſine ratione *Dan. Sennertus* ſuſpicatur, victus nautici noxam circa illud tempus ſe fortaſſis exſerere cœpiſſe.

s) *Hiſt. nat. l.* 25. *c.* 3.

t) *Geogr. l.* 16. Sic etiam A. 1686. ex vitioſo fontis potu morbum caſtrenſem hunc natum eſſe refert *Angeli chron. March. l.* 3. *p.* 233.

desidem, laborumque & exercitationis expertem, nunquam non in coctione ciborum duriorum metuendam, cum ex fibrarum motricium languore stasin augeat, & secretionum excretionumque beneficia, quæ maxime massam humorum depurant, intervertat *u*), unde mater scorbuti otium Belgis audit. Frugalis certe diæta & motus opportunus facile ab hac labe præservat agricolas, & scite I. N. Pechlinus *x*) exercitatos ait in illa infectorum turba contagium spernere, auræque & ingluviei pericula superare. Extra dictas tres causas nemo scorbuticus est quam ab hæreditate vel contagio.

§. VI.

Igitur si inimicum illud recensitarum causarum fœdus in perniciem corporis pactum ulterius scrutamur, in eo generatim acquiescimus, ἄκρητα καὶ ἰσχυρὰ, ut cum Hippocrate loquar, ex illo victu crassiori & acriori, quem nec ipsi ἐυσπλαγχνοι diu ferunt, sensim humorum massam ita corrumpere, ut vires coctionis necessario succumbant, & eo quidem facilius, cum reliquæ causæ, sive otium sive aëris vitiati contactus, spem repurgandi tempestivis excretionibus corporis omnino simul præcidant. Sic lentor ille ex crasso & salsugo ex salito cibo certos cum erosione infarctus minantur, iis maxime *locis, quæ naturalis imbecillitatis* vitio nocentem hostem facilius admittunt. *Nec potulenta & fluida* misceri penitius tam crassis poterunt, quin facile secedant, ita tamen, ut *salibus illis in corpore animali plus exaltatis & jam ex parte elotis gravida decumbant in minora vasa, hærendoque ibidem & erodendo maculas, pustulas, ulcera tumoresque œdematosos & hydropicos*, sine quibus vix moriuntur scorbutici, producant. Fracidam inde & friabilem solidorum texturam haud obscure concipimus, & reliqua noxæ se diffundentis vestigia, quæ in minimis prosequi temerarium esset, modesto silentio intacta

u) Hinc & *A. Pitcarnius* scorbutum excretoriorum vasorum morbum vocat *Op. Leyd. p. m.* 321.
x) *L. I. O. 67. p.* 170.

tacta relinquimus. Si CORN. BONTEKOE perpetuo acidum, I. COLBACH alcalinum, TH. WILLISIUS ſalino ſulphureum vel ſulphureo ſalinum, alii alia increpant, ſuo ſenſu eos abundare patimur, neque vero, quamvis aliquid veri ineſſe non inficiemur, circa illos ludentis ſpeculationis ſcopulos hæremus, ad quæ reſpiciendum maxime in medendo erit, ſuo loco propius determinaturi.

§. VII.

Patet ex dictis, quibusnam maxime cum ſcorbuto conflictandum ſit. De borealibus id jam præmonuimus, quibus deliciæ ſunt ſalſamenta piſcium carniumque, panis vetuſtior, lardum ac ſimilia, in faſtidio autem, quicquid tenerum nimis & molle eſt. Cum etiam ex frigidiori climate fructuum herbarumque non nimia copia ſuppetat, ſuis gaudere bonis cum alienorum neglectu conſueverunt. Naſcentem ſemel morbum plus figit frigidior tempeſtas, denſamque reddit & ſtrictam cutem minusque noxia perſpirantem *y*). Huc forte quadrat illud HIPPOCRATIS *z*): qui, robuſtiores quidem eſſe & minus ægrotare, ait, quorum corpus perſpirat minus, at ſemel corruptos difficilius reſtitui. Hinc vel in pavimento lapideo ambulare, hyeme præſertim vetant, qui faventes ſcorbuto frigoris injurias metuunt. Accolas marium lacuumque inſalubrior aër afflat, in primis ubi terræ per æſtum maris inundantur, & remanens ac putreſcens aqua tanquam pereuntium in ea multorum animalium lixivium conſiderari debet. Hinc inter eos, qui clauſis humidisque locis glebas pro ceſpitibus fodiunt, vix tricenarii dentes ſervant, quibus annumeramus illos, qui in cellis ſubterraneis habitant. In navibus, caſtris,

y) *Olaus Magnus hiſt. ſept. L. 16. C. 51.* ubi ſcorbutum inter morbos aquilonarios numerat, eſu ſalſorum ciborum nec digeſtorum naſci & frigida murorum exhalatione foveri judicat. Sic V. Cockburn, qui anglice de ſcorbuto ſcripſit, eum p. a victu ſalſo p. perſpiratione læſa & hinc nata plenitudine derivat.

z) *Aph. 3. a Sponio cit.*

ſtris, carceribus, xenodochiis & orphanotrophiis ob eadem aëris victusque vitia, nunc majora nunc minora, periclitari valetudinem neceſſe eſt. Ceterum corpora ſpongioſa laxa & otio marcida ob tardiorem humorum circuitum & teneriorem partium texturam plus illis infarctibus & eroſionibus ſcorbuticis infeſtantur, hinc feminæ præ viris, urbani præ ruſticis, opifices præ litteratis. Referimus huc illos, qui triſtioribus animi motibus agitantur, ut curis & mœrore, quibus motus vitales in ſubigendo crudo & expellendo noxio adeo neceſſarii ſupprimuntur, unde non male S. EUGALENUS *a*) omnes vocat ad ſcorbutum proclives, quibus cum craſſiori victu mœror perpetuus conjungitur, imo T. WILLISIUS *b*) nonnullos fortuito timore perculſos evaſiſſe ſcorbuticos ait. *Eo certior illis noxa inſtat*, ſi ſalutarium excretionum commoda, ut menſium in fœminis hæmorrhoidum in viris ſubſiſtunt. Nec præterimus hic eos, qui morbis lentis obnoxii ſunt, uti ſenes, hypochondriaci, melancholici, hyſtericæ ſimilesque, in quorum corporibus acrior ſemper ſcorbutus ſævit.

§. VIII.

Morbi ſunt varii, *quibuscum* ſcorbutus confundi poſſit, certis propterea ſignis ſollicite *diſcernendus*. *Melancholia hypochondriaca* tam affinis G. CHARLETONO *c*) ſtatuitur, ut non niſi gradu differat. Multum certe ſpiſſitudine & impuritate humorum, *doloribusque* & ſpaſmis ex ſtaſi congruunt, at acri ſale, qui ſaniem animalem *abſorpſit*, *refertior ſcorbutus in maculas puſtulas* & ulcera peſſimi moris erumpit, *hypochondriacis* æque parum quam mira illa corporis univerſi laſſitudo cognita. Plus forte vinculi inter ſcorbutum & luem veneream eſt, cum qua ſimul tanquam gemella ſorore in ſcenam ante aliquot ſecula prodiiſſe

a) *De ſcorb. p.* 3. *O.* 15.
b) *De ſcorb. c.* 2. §. 6.
c) *De ſcorb. C.* 3. *A.* 5.

diiſſe multis creditur. Haud facile eſt, inquit M. LISTERUS, *d*) unum ab altero dignoſcere, niſi admodum exercitatis. Et I. N. PECHLINUS *e*) in ſcorbuticum ſe incidiſſe ſcribit, bubonibus etiam laborantem, qui niſi jurata fide & nota probitate ſe abſoluiſſet, ſuſpicionem tetræ luis effugere non potuiſſet. Macularum, tumorum, ulcerum, vitiorum oris crurumque ac dolorum noctu gravius infeſtantium magna utrinque ſimilitudo eſt. Præterea vero, quod lues venerea ſemper, ſcorbutus raro a contagio propagetur, rum oris vitia in ſcorbuticis exteriores magis partes, gingivas dentesque, in venereo poſteriores, tonſillas, uvulam palatumque cum naribus erodunt, ibi maculæ magis, hic nodi, ibi dolores vagi, hic fixiores, ibi ſolos fere articulos, hic conſtanter media oſſa occupant. Ne addam laſſitudinem & dyſpnœam & ventris dolores ſcorbuticis, non ita venereis, propria. Rheumatismus vagis maxime doloribus ſcorbuto reſpondet, non æque tumoribus, maculis ulceribusque, niſi forte rheumatismum ſcorbuticum adeoque utriusque mali connubium intelligas. Quod idem de cachexia valet, quam Græcis ſcorbutum notaſſe O. MAGNUS *f*) ſcribit. Datur enim omnino cachexia ſcorbutica, at reliqua cachexia nec contagio facile propagatur, nec populariter graſſatur, nec gingivas & crura ſpeciatim infeſtat, nec maculis corpus implet. Verum de illis ſymptomatibus ſcorbuticis ſuperius dictum eſt.

§. IX.

Merito ſcorbutum diſtinguimus in incipientem, adultum & conſummatum, ob varietatem adhibendæ medicinæ. Conſummatus plerumque contagioſus eſt & nunc inter oſcula amplexusque, nunc per communionem menſæ, lecti & poculorum transfunditur. Notavit noxam exhalationum ſcorbuticarum C. HOFFMAN-

d) *Exerc. medic. de morb. chron. V. ab initio.*

e) *Obſ. med. phyſ.* O. 67. *p.* 174.

f) *De gent. ſeptentr. L.* 16. *c.* 51.

MANNUS g) ipſa etiam cadavera infeciſſe legimus apud D. SENNERTUM h) & de contagio ex vaccis ad feminam ruſticam translata apud I. WOLFIUM i). Hæreditarium cum ſemine & lacte uterino hauſtum agnoſcimus quidem, ſed non eo ſenſu, quo I. L. HANNEMANNO k) omnes a nativitate ſumus & peccatores & ſcorbutici. Fortaſſis etiam paulo acerbior C. F. PAULINI l) cenſura eſt, qui in & extra uteri carceres lambere tenellos ſpurcitiem illam putat, paucasque nutrices reperiri ab hac labe immunes, quæ non contubernio & halitu ſuo præmanſisque cibis inficiant. Potior diviſio fit in *endemium*, *epidemicum* & *ſporadicum*. Endemium borealibus gentibus, maxime oceano balthico & germanico adjacentibus, ut Flandris, Seelandis, Friſiis, Danis, Norwegis, Suecis, Britannis, aliisque tribuunt. Defendit tamen Britannos ſuos a ſcorbuti endemii opprobrio GU. CHARLETON m) Danos ſuos I. PIPER n) Polonos I. M. ERNDTEL o). Eo gravior Thuringis ſuis eſt C. F. PAULINI p), quibus forte immerentibus endemii ſcorbuti dicam impingit, uti Hombergenſibus ob vallium prava undique miasmata admittentium ſitum, E CAMERARIUS q). Epidemicum in Misnia G. FABRICIUS r) in Brabantia ex corrupto ſecali R. DODONAEUS

g) *De febr. C.* 57.
h) *De ſcorb. C.* 1. & 4.
i) *v. Eph. Nat. Cur. D. II. A.* 7. *O.* 192. *p.* 363. Viciſſim de cane ſcorbuticum lingente & ſcabioſo facto v. *Andr. Cnöffel. l. c. D. I. A.* 4. & 5. *O.* 51. *p.* 44.
k) *Act. med. Haſſn. A.* 1673. *O.* 112. *circa finem.* De propagato ad poſteros ſcorbuto v. *Riedlin Lin. med. A.* 4. *O.* 24. *n.* 872.
l) *Obſ. med. phyſ.* D. 1. O. 4.
m) *De ſcorb. C. II A.* 2.
n) *In diſp. de ſcorbuto Danis non endemio Præſ. Mich. Alberti Hal.* 1731. in primis contra judicium Verduc, qui ex Dania allatum ſcorbutum ſcripſit, ubi vix infantes reperire liceat, quin miſere ab illa peſte crucientur.
o) *In Warſau. phyſ. illuſtrat.*
p) *Eph. Nat. Cur.* D. II. *A.* 7. *app.* O. 4. *p.* 142.
q) *Act. Med. Nat. Cur. V.* II. O. 153. *p.* 356.
r) L. 2. *Annal. urb. Miſ. ſub hiſt.* 1486.

us *s*) Norimbergæ 1653. I ROETENBECIUS *t*) ſingularem aliquem, qui inter mulieres Hartbergenſes tribus tantum pepercit, I. F. KHERN *u*) hominibus equisue funeſtum A. M. EGGERDES *x*) ne de pluribus dicam, recenſent. Sporadici ſcorbuti veſtigia etiam in zona temperata, ut Italia, Gallia, Luſitania, imo itinerariis teſtibus in Summatra & Guinea obſervari notat KRAMERUS *y*). Neque leve illud diſcrimen eſt, quod inter ſcorbutum ſimplicem & cum aliis morbis e. c. lue venerea conjunctum diſtinguit, qua ſine dubio ſocietate periculum creſcit,

Naturæque gemit gemino ſub pondere cymba.

§. X.

Incedens teſtudineo gradu ſcorbutus licet non raro iugulet, ſanatus etiam levi errore recrudeſcat, præſagio tamen non acerbo nimis ægros a ſpe ſalutis repellimus. Sola ſæpe loci & diætæ mutatio ſine moleſto medicaminum apparatu multis abunde conſuluit. Optime iis ominamur, quorum ætas iuuenilis eſt, corpus robuſtum & bene exercitatum, morbus incipiens & adhuc in ſuperioribus hærens, vel ex contagio potius quam a corrupta humorum maſſa pullulans, inprimis ſi per menſes, diarrhoeas, hæmorrhagias aliasve naturæ ſalubriter expellentis vias fomes mali crebro ſubtrahitur. Nec ſtatim morbum, qui invaluit, immedicabilem declaramus, niſi forte in corpore ſenili, vel prægreſſis morbis exhauſto, vel ſeverioris diætæ leges ſpernente, vel etiam in medicum, qui pro ſimplicibus heroica iactat, incidente. Nec vero diſſimulare periculum fas eſt, ſi hæreditate morbus ſuſcipitur, vel acquiſitus magno atrocium ſymptomatum ſatellitio, in ul-

s) *Obſ. med. C. 33.*
t) *In ſpecul ſcorb.*
u) *Eph. Cur. Nat. Cent. I. & II. O. 159. p. 324.*
x) *Ib. D. II. A. 6. O. 108. p. 416.*
y) *l. c. p. 26. n. 20.* Idem ait, ſe in ſalubrioribus Germaniæ locis ſtigmata gingivarum verno tempore in iis notaſſe, quibus victus ſalitus & fumo induratus valde familiaris fuit *p. 23. n. 6.*

ultimo in primis ſuo ſtadio ſtipatur. Ita paralyſin & atrophiam ex ſcorbuto MART. LISTERUS, z) epilepſiam & convulſionem SAM. LEDELIUS *a*), apoplexiam I. M. HOFFMANNUS *b*), hydropem C. KOELICHEN *c*), dyſenterias & diarrhoeas funeſtas I. C. H. KRAMERUS *d*) pronuntiant. Quo major eſt cum aliis morbis nexus, quo deterior interiorum viſcerum ſtatus, qualem præcipue ex hydrope & tabe colligimus, eo ineptius eſt tropæum de hoc morbo promittere. Vulgaris canon eſt, ubi ſcorbutus deſinit, ibi incipit hydrops, qui ut eroſa vaſa minima ſequitur, ita perpetuo tabem comitem habet. Alii cruribus ſphacelatis pereunt, alii horribili oris putredine, at plerique hydrope & partium internarum gangræna, qua totum corpus ſenſim corripi immanis fœtor probat. *Succumbit natura, ſi copia major materiæ eſt, quam quæ digeri vel eliminari poſſit, hinc & aucto malignitatis gradu in contagioſam malignitatem evehitur.* Maculas ex nigro purpureas formidamus tanquam peſſimi generis, quas non niſi in febri peſtilentiali, lue venerea & ſcorbuto excitari, partisque *νέκρωσιν* notare T. WILLISIUS *e*) docet. Melioris notæ ſunt roſeæ, ſemperque iudice I. N. PECHLINO *f*) minoris diſcriminis ſcorbutus eſt, qui in cutem ſe exonerat, intemerata viſcerum textura, unde & ſalſuginem illam in centro corporis oberrantem & nobilioribus partibus imminentem evocare ad externam ſuperficiem, & quicquid repellere poſſit, ſollicite evitare jubet.

§. XI

z) *Exerc. med. V. Caſ.* 3. & 4.
a) *Eph. Nat. cur.* D. 2. *A.* 10. *O.* 98. *p.* 177. ut & *Chr. Helwich* ibid. *D.* 3. *A.* 7. & 8. *O.* 102. *p.* 333.
b) *Ib. D.* 3. *A.* 3. *O.* 157. *p.* 278.
c) *Act. Hafn. Vol. V. O.* 119.
d) *l. c. p.* 8.
e) *De ſcorbut. C.* 3.
f) *Obſ. phyſ. med. L.* 1. *O.* 67. *p.* 171. Hinc & *Obſ.* 68. *p.* 180. peribydroſin ſcorbuticam laudat, quod poſt quotidianos ſudorum rivos haud peius ſe habeant ſcorbutici, ſed leniantur ſymptomata, & ab hydrope anaſarca, oedemate, hectica defendant.

§. XI.

Medicina generatim ut in aliis morbis ita & hic evacuando corrigendo & roborando medetur. Evacuare tutum in ſcorbuto non eſt, niſi in morbi initiis, nam progreſſu labefactatæ vires, & fracida vaſa ac viſcera, quæ ad levis irritamenti ſtimulum crepant, remediorum illorum impetum haud ferunt, niſi ſingulari prudentia modereris, vel eo natura ducat, ut circa ipſum vomitum ab herba vermiculari vidimus. Deſcripſit exitium ſcorbutici iuvenis a draſticis I. I SCHEUCHZERUS *g*) & expendit penitius has rationes M. LISTERUS, *h*) cur male plerumque venæ ſectionem & purgantia ſcorbutici ferant. Certe non eſt, ut primum de metu ſecandæ venæ dicam, *ille a timidis & ignaris Germanis*, ſicut A. PITCARNIUS *i*) obtrectat, quo nemo oſcitantius de ſcorbuto ſcripſit. Id remedii, FORESTUS, GORTERUS *k*) & tantum non omnes negant convenire in illa virium penuria & partium atonia, cum præterea nec corrigat venæ ſectio, *nec niſi mobilius evacuet, magis vitioſo in venis hærente. Neque tamen inconſultum penitus iudicamus, viribus ab initio* nondum plane collapſis, ut defecatior ſanguis corrupto ſuccedat, tumore in primis & dolore urgente ſuppreſſisque conſuetis naturæ fluxibus pauxillum ſanguinis per juſta intervalla detrahere, vel quod ſatius eſt, ſcarificando educere. Leve autem purgans in omnibus morbis chronicis uti ſordes primarum viarum ſalubriter abſtergit, ita ingreſſum medicamenti purioris per lactea *facilitat*, modo id ipſum ſcias genio morbi propius accommodare, e. c. in putri magis ſpecie alternis *diebus* drachmam cremoris tartari vel pauxillum ſalis polychreſti vel ſpeciem infuſi ex radice polypodii rhei & foliis ſennæ exhibere. Hæmorrhoides aperire ſuadet G. ROLFINCIUS *l*). Deinde illud agendum eſt, ut diureticorum vel

g) *Act. phyſ. med. Nat. Cur. V. II. O. 37. p. 96.*
h) *Exerc. med. V. ad finem.*
i) *Op. Lugd. Bat.* 1737. *ed. p.* 322.
k) *Comp. med.* T. 17. *n.* 61. *p.* 54.
l) *Conſ. med. L.* 8. *C.* 6. *p.* 754. Largiori hoc fluxu ſcorbutum immi-nui *v. I. Ph. Nenter. fund. med. P. II. p.* 235. *&* 312.

vel diaphoreticorum virtus vias aperiat, quibus morbosum eiiciatur. Ibi decoctum quinque radicum aperientium, hic infusa herbæ theæ, veronicæ, fl. sambuci similiumque conveniunt. Ista tamen non tam expugnant malum, quam restitutis excretionum adminiculis ejus incrementis obsistunt.

§. XII.

At plus est præsidii in corrigentium tempestivo selectu, quo crassum & viscidum attenuatur, acre & salsum demulcetur, modo prudenter cum evacuantibus socientur. Aqua pura & simplex quaquaversum egregie penetrans oberrantes in humoribus nostris peregrinos sales optime eluit, infarcta emollit & mobilia reddit. Auget aquarum præstantiam, si præter levitatem subtili spiritu minerali gaudent, ut minerales Spadanæ, Egranæ, Selteranæ vel Carolinæ. Ita enim expeditius per vasa trajiciuntur, stagnantia efficacius solvunt, colatoria promptius subeunt, & liberata vasa tenui martis polline roborant. Lac identidem animantium, præsertim asininum, veteribus in omnium morborum chronicorum acrimonia temperanda commendatum, justis etiam laudibus recentiorum, Drawitii, Brunneri, Eugaleni, Wieri, Alberti, Martini, Chameau, Hoffmanni aliorumque magno consensu extollitur. Efficacius forte remedium non est, quod lacteam diætam superat, nisi minerales aquæ lacte permixtæ, vel serum lactis succis antiscorbuticis sociatum *m*), quibus tabescentia jam corpora, miro sæpius & insperato successu, instaurantur.

§. XIII.

Speciatim vero occurrunt multa ex vegetabilium succulentorum familia, quæ eximiorum antiscorbuticorum nomen pulchre tuentur.

m) In quo, e. c. nasturtium anagallis aut cochlearia maduit docente *Rolfincio Consp. med. L. 8. C. 8. p. 784.*

tuentur. Antiqua gloria eſt herbæ britannicæ, quam A. MUNTINGIUS *n*) hydrolapathum nigrum eſſe evicit, Romanis olim morbi hujus ſpecie quadam laborantibus a Friſiis teſte PLINIO commonſtratum. Cochleariæ virtutem nemo fortaſſe plus quam nauta ille ex Grœnlandia *o*) redux cognovit, qui abſolura piſcatura a ſociis cymbæ in littus expoſitus, magis ut mortem quam opem expectaret, creſcentem ibi copioſe cochleariam ore inſtar pecudis decerpſit, cum manuum pedumque officio deſtitueretur, & hoc ſolo tamen crudoque remedio paucis diebus convaluit. Inquilinum illud in Grœnlandia remedium ſcorbuti HERMANNO NICOLAI *p*) bis illas oras inviſenti penitius perſpectum ipſa eſt cochlearia cum acetoſa, quæ herbæ illis locis junctim creſcentes viatorum greſſus ubivis impediunt, junctim in uſum revocandæ, quod illa ſale volatili, hæc acido turgens mutuam noxam ſocietate ſua corrigant. Atque his herbis Grœnlandi brodia carnium condientes laxari alvum viresque refoveri & morbum cito ſuperari ſentiunt. Non eſt naſturtii vilior fama, ſive illud cum cochlearia ſive acetoſa in ſero lactis coquas. Ex millenis ſuis & aliarum experimentis ſe didiciſſe KRAMERUS *q*) teſtatur, naſturtii & cochleariæ ſuccos inter ſe mixtos & bis vel ter quotidie ad uncias aliquot in juſculo tepido exhibitos certo ſanare. Imo in eo omnium cognatarum herbarum gloriam naſturtium ſuperat, quod ſemen ejus, quo copioſiſſimo gaudet, per ipſam hyemem in cellis & cubiculis paululum calefactis tam cito germinet, ut vulgo ſeri dicant, dum menſæ accumbitur & ad finem prandii jam inter acetaria exhiberi. Certus eſt poſt paucos dies proventus, hinc ſæviente hyeme ſcorbuticis ſemper & ubivis obvius. Semen quoque ſinapi cum vino multas ſcorbuticorum centurias referente I. RAIO *r*) reſtituit in obſidione Ruppellenſi. Quod vero

n) In libello *de herba britannica Amſt.* 1681.
o) *v.* Bachſtrom *l. c. p.* 8.
p) *Act. med. Hafn. V. I. O.* 9. *p.* 35.
q) *l. c. p.* 40. *n.* 62.
r) *Hiſt. plant. T. I. L.* 16. *C.* 15. *Kramerus* tamen incaſſum tentavit *l. c. p.* 14.

vero cochlearia, ſinapi & naſturtium frigidioribus, id calidioribus præſtant limonia, negatque Piſo ullo alio remedio tam felices ſe in praxi ſua ſucceſſus vidiſſe. Et quid non de foliis trifolii fibrini ſperemus, quo nullus qui non convaluit, viſus eſt I. V. Willio *s*), modo decoctum foliorum cum cereviſia tenui veterique aliquoties de die hauſerit, & calido ejusdem herbæ cum aqua marina decocto crura dolentia & exulcerata abluerit, vel etiam folia viridia aut ſiccata & prius in aqua macerata ulceribus impoſuerit. Quosdam ait intra octiduum, quosdam paulo tardius, omnes tamen ex voto ſanatos eſſe. Similia fere B. Below *t*) de herba vermiculari refert, modo ab ejus uſu vomitus ſequatur. Multos in caſtris ſcorbuticos opera ſua eluctatos ſcribit, dum herbæ *manipulos octo cum totidem libris* cereviſiæ vaſe tecto ad mediam conſumtionem decoxit, & ſingulis vel alternis diebus uncias aliquot hujus medicinæ præbuit, longo uſu expertus, citius convaluiſſe, qui facilius & copioſius vomerent. Os etiam collui hoc calido decocto cum pauxillo mellis roſarum & aluminis crudi, imo etiam contracta genua & talos vel ulcera tibiarum foveri iubet. Abſinthii *u*) decoctum a S. Eugaleno, ſuccum fraxini ſylveſtris in actis Anglorum *x*) philoſophicis, lepidium, ſive carnes condiat, ſive ſucco ſuo in embammata cedat, a G. W. Wedelio *y*) ſuccum braſſicæ coctæ linteo expreſſæ ab aliis commendari video. Addo externa, *ut balnea, quæ* teſte I. G. Volcamero *z*) nigricantem & fœtentem ſcorbuticorum corporum ſaburram extraxerunt. Sive cochleariam ſive acetoſam pro vario morbi genio incoquas, ſalubris hoc modo ſuccus reſorbetur, & ſanguini a *corde remotiori propius miſcetur.* In nimio fœtore corporum aquam pro balneo non modo ex acetoſa coquere,

s) *Act. Hafn. V.* 3. *O.* 75. *p.* 123.
t) *Eph. Nat. Cur. D.* 1. *A.* 6. *&* 7. *O.* 22. *p.* 49.
u) Vim abſinthii v. *ap. Mizald. in app. Cent. memorab.*
x) *No.* 43.
y) *Eph. N. C. D. II. A.* 6. *O.* 89. *p.* 178.
z) *Ib. O.* 239. *ſchol. p.* 554.

coquere, ſed & acetum ſambucinum affundere, & inter hæc partes leniter fricare ſuademus. Quid vero optatius, quam ſi eodem tempore & exhalat corruptum & ſalutiferum ingreditur? Semper tamen in topicis noxa repulſionis cavenda eſt, & in ipſis balneis nimius calor corruptionem promovens. Ulceribus cruſtoſis S. EUGALENUS vitello ouorum, myrrha, olibano, croco, oleo roſarum, balſamo peruuiano medetur, manantia bolis, ceruſſa, camphora & floribus ſambuci ſiccant, contractas partes unguento populeo cum oleo hyoſciami molliunt. M. LISTERUS cataplaſmata ex emollientibus cum herba cochlearia cruri late admovet, ſed certus ſucceſſus non eſt, niſi radice mali internis prius exciſa. Hæc igitur ſemper præmittantur, ſine quibus vix mederi ulceribus licebit, a quibus e contrario ſæpius ultro ſaneſcunt.

§. XIV.

Solers medicus in dictis medicamentorum laudibus, quocunque merito impertitis, non acquieſcit, nec audito ſtatim ſcorbuti nomine ad ſpecifica illa properat, ſed hæc ad varium illius ſtatum caute attemperat. Si talis non ſit, præſtat ab ejus conſilio abſtinere, ſecundum illud ARETAEI, cedentibus medicis multos morbos ſanari. Sed & periti cedunt ſubinde ultro, quod ubi victu inſtaurandum eſt corpus, ſalutares interdum ſint medicamentorum induciæ. Euaſiſſent omnino multi, ſi medicos illos ad acria & calentia ſtatim confugientes euitaſſent. Certe ſi exemplis ſalubrium eventuum medicina conſtaret, quis non ex plebe ad illam una norma exercendam idoneus eſſet? At quamvis natura, ut cum G. ROLFINCIO *a*) loquar, vernaculum ſcorbuti remedium ubiuis & ubertim præbeat, ut Britannis cochleariam, Belgis ſinapin, Germanis naſturtium, attentos tamen arcanorum ſuorum interpretes poſtulat, qui inter accuratiora tentamina, quibus recta ratio prælucet, in notitiam eorum & limitatiorem uſum penetrent. Si nunc cochlearia, nunc acetoſa, nunc ſal volatile, nunc

a) *Conſ. med. L. 8. C. 6. p. 756.*

nunc acetum ſcorbuticis toties profuerunt, palam eſt, non unis ſemper armis ſed ſæpe oppoſitis pugnandum eſſe. Cl. KRAMERUS *unica*, quidem inquit, *ſcorbuti ſpecies eſt*, putris, fœtida & alcaleſcens, ſed hanc quomodo naſturtii & cochleariæ ſuccis, tantopere & quidem merito ab eo prædicatis, quippe in putre & alcalinum cito abeuntibus aggredi potuit? Sine dubio frequens illa ſpecies eſt, ut ipſe ulcerum corporisque fœtor prodit, imo eo frequentior, ſi extra controverſiam fuerit, quod circa natales eius C. M. BURCHARDI *b*) cenſuit, non ex claſſicorum ſalitis & fumo induratis cibis, ſed jam corruptis vere & putridis hoc malum naſci. At non ſuis tam male conſulunt, qui navigationum negotio præficiuntur, quin de commeatu pluribus menſibus durabili cogitent, nihilominus maximum ſemper navigantium numerum vel in medio itinere ſcorbutus invadit. Et quis credat impelli quempiam poſſe, ut manifeſte putridis veſcatur, vel ſi fecerit, talem non protinus atroci vomitu vel putrida febre corripi, cum tamen lentus morbus ſit ſcorbutus, & lento progreſſu iugulet. Illa certe ſcorbuti ſpecies, quæ ex tam lento & viſcido cibo lenta & viſcida naſcitur, non minus frequens eſt. Et huic calidiora & acriora tanto conſenſu jactata, ut cochlearia & ſinapi, manifeſte conveniunt, & piperata acerbitate penetrant meatusque aperiunt. *Cholericis* calidisque prior ſcorbutus, phlegmaticis frigidisque poſterior maxime metuendus eſt. *Illis* temperata & acida, his acriora & penetrantiora proſunt, non illis ſed his e. c. trifolium fibrinum conveniet, a SIM. PAULI magnopere laudatum, a G. E. STAHLIO fere rejectum. Nec parum eſt ad diverſi morbi ſtadia attendentum, per *mitiora* enim ſemper corpori magis afflicto ſuccurrendum erit. Ipſam vero medicamentorum claſſem ſapienter I. F. BACHSTROM triplicem conſtituit, quarum prima olera & herbas, arborumque fructus fere inſipidos vel ſubdulces comprehendit, ut lactucas, maluas, cucumeres & ſimiles; altera vegetabilia acida & ſubacida, ut ſpecies acetoſæ & acetoſellæ cum malis citreis, baccis ribium, berberum, ipſum-

b) *In progr. de ſcorb. ſeptentrional. Roſt.* 1726.

ipſumque in primis ſerum lactis cum ſucco citri & aurantiorum; *c*) tertia herbas amaras acrioresque offert, ut lepidium, trifolium naſturtium aquaticum, cochleariam, raphanum ruſticanum & quæ alia ſunt hujus generis. Dictis omnibus vis ineſt in lentore illo morbi & acrimonia humectandi, diſſoluendi, eluendi aperiendique. Quo major acrimonia peccat, eo plus aquoſa illa & mitia conducunt, quo major lentor, eo plus acriora & amariora admitti debent. Intermedio loco ſunt acida illa, quæ putridam & alcalinam acrimoniam præ reliquis coërcent, quæ ut præcipua Listerо aliisque habentur, ita acetum ipſum non immerito iungimus, quod ſiſtit reprimitque ſanguinem, feruorem compeſcit & putrida ulcera fotu ſuo corrigit. Non æque acida *d*) minera-lia tuta iudicamus interne. Circa dictorum vegetabilium præparationem probe notandum eſt, ſollicitam nimis haud poſtulari, ſed cruda, recentia & ſucci plena, nec niſi ab externa immunditie & ſordibus purgata præſtare. Optime agunt, qui mane cum leni deambulatione nativis illis ſuccis utuntur, vel ut durabiliores ſint, duplo ſicci purique ſacchari figunt. Sic conſerva cochleariæ hortenſis vel beccabungæ vel fumariæ cum pulvere ari compoſita & ſyrupo aurantiorum in juſtam formam redacta bene ad magnitudinem nucis iuglandis ter de die ſumi poteſt cum infuſo quodam, ut bardanæ & baccarum iuniperi, cui in fine cochlearia & beccabunga incocta. Duriuſcula omnino coquere & ipſis brodiis miſcere licebit, vel aceto & oleo condire. Peccant, qui ſpiritibus inde elicitis & extractis eodem ſe ſcopo potiri arbitrantur. Neque vero ſucci illi, ut limonum vel cochleariæ guttatim & cochleatim ſunt exhibendi, quod ſane idem eſſet, ac in re ſeria inſanire, ſed ad uncias librasue & cyathos, ut ſe diffundant & penetrent, latentioresque mali ſedes eluant. & omnia viſcera ſalutari

c) *v. Cl. Kramer. l. c. p. 42. n. 68.*

d) De ſpiritu nitri v. Cl. *Iuncker. Conſp. med. th. pr.* T. 69. de ſpiritu tamen vitrioli aliquis credidit omnes borealium morbos ſervari poſſe ob perpetuum cum iis ſcorbuti commercium, quem citat oppugnatque *Bachſtr. l. c. p.* 11.

lutari charactere imbuant. Opiata, in primis ſine diaphoreticis vel aliis evacuantibus data, haud temere exhibeantur, quia minuunt vires, ſtaſin augent coctionesque ſupprimunt. Diacodiata tamen demulcentibus farinoſis & emulſis interpoſita urgente dolore vigiliisue non damnamus.

§. XV.

Patet, haud nobis magnopere placere, quæ pulverum, eſſentiarum, ſalium ſpirituumque antiſcorbuticorum nomine a multis iactantur. Non eſt facile in ſiccis illis & acribus, quod lentorem morbi & acrimoniam vincat, & iſta quidem virium lenitate, qua in corpore tam *friabili opus eſt. Merito laudatus* KRAMERUS *judicavit imbellia hic pleraque illa arma eſſe*, quæ vulgo commendantur, quibus nunquam ſibi ſit pugna cum ſucceſſu inita. Vix tincturam antiſcorbuticam I. LANGELOTTI *e)* cum I. N. PECHLINO, vel illam O. WORMII cum T. BARTHOLINO *f)* ſuadere nimis audeam, nedum illum pulverem pini a C. F. GARMANNO *g)* pro antiſcorbutico habitum, vel ſtercus aſininum, quod omni lapide bezoardico orientali efficacius C. T. PAULINI *h)* iudicavit. Ipſum ſaliuationis præſidium placere aliquibus miror. *Ea profligatum eſſe ſcorbutum*, teſtantur T. WILLISIUS *i)*, I. ACOLUTH, *k)* I. BURGIUS, *l)* R. LENTILIUS *m)* aliique, quorum nonnulli ægre perſuaſerint, cum ſcorbuticis ſibi rem fuiſſe. Ultro ſane ad os ruit materia morbi, nec ut major impetus lacera jam vaſa deſtruat, ſtimulum augere oportebat. *Sola vitæ debilitate ſe ſuſtinent partes friabiles*, & ſalſedo, quam plus hydrargyro vitiari cum HARTMANNO

e) l. c. O. 67. p. 179.
f) Act. med. Hafn. V. 11. A. 1673. O. 6.
g) Eph. Nat. Cur. D. I. A. I. O. 97. p. 226.
h) l. c. p. 155.
i) De ſcorb. C. 2. p. m. 328.
k) Eph. nat. Cur. D. 11. A. 9. O. 165. p. 306.
l) ib. *A. 3. O. 173. p. 338.*
m) ib. *A. 10. App. p. 54. ad O. 10. A. I. D. I.*

NO LISTERUS cenſet, haud erat novis ad nocendum armis muniendum. Negat Cl. KRAMERUS *n*) ad remedii hujus uſum accedere ſe potuiſſe, ad quem Semendriæ ex gregariis militibus quadringentos periiſſe meminit, & quem a medicinæ tantum deſtructoribus probari, Facultas medica Viennenſis litteris ad eum datis iudicavit. Non eſt in medici manu, ut miſſo ſemel furenti remedio frenum iniiciat, cujus minima doſi per omnem artem mitificata corpus ſcorbuticum undique tumuiſſe, ingenui quidam faſſi ſunt Laudet I. DOLAEUS mercurii fixioris virtutem & alii majora promittant, nulla nos ratio mouet, ut a minerali verum hic tabeſcentis corporis auxilium exſpectemus. Aliquem tamen locum habere poſſe, ſi lues venerea in enormiori gradu ſcorbuto accedat, G. P. NENTERI *o*) aliorumque ſententia eſt.

§. XVI.

In fine medicationis multum amara & roborantia promittunt, ut radix caſcarillæ, gentianæ, cortex Winteranus, baccæ iuniperi, herba ſcordii, abſinthii, veronicæ aliaque, infuſi maxime vel decocti forma. C. KOELICHEN *p*) ſpiſſius extractum croci commendat, tanquam inſigne inſtaurans nativi caloris, quo ſuccumbente aſthma ſcorbuticum in hydropem abeat. Plus eſt in ipſis chalybeatis virium, modo correcta prius ſint humorum vitia, & mucoſa maxime corporis laxitas ſine putredine peccet. Hinc limaturam martis tenuem, tincturam vitrioli martis LUDOVICI, vel cydoniatam ZWELFERI paſſim præſcribunt, & C. KOELICHEN *q*) in ipſo hydrope ex ſcorbuto chalybem cum radice zedoariæ in vino infundi iubet, & mane & veſperi aliquot cochlearia exhiberi. Quam ſententiam jam olim C. CELSUS *r*) & SCRI-

n) *l. c. p.* 11.
o) *Tab.* 105. *fund. med. T. II. p.* 316. *Conf. I. Iuncker. l. c. T.* 69. *p.* 471.
p) *Act. Hafn. V. I. O.* 82. *p.* 166.
q) *ib. Vol. V. O.* 119. *p.* 314.
r) *De med. L. II. c.* 9.

SCRIBONIUS LARGUS *s*) amplexi aquam, in qua candens ferrum extinctum fuit, contra liens magnos, malo noſtro admodum affines, laudarunt. Nec male in vino rubro ſuccos laudatos cochleariæ, naſturtii ſimilesque propinare pergimus. Neque hic non iniicienda mentio eſt corticis peruuiani, quo Cl. KRAMERUS *t*) plus quam ſexaginta ſcorbuticos in altero morbi ſtadio ſub tenui diæta integre & intra paucos dies reſtituit.

§. XVII.

Seorſim occurrendum erit atrociorum ſymptomatum vehementiæ, ut vitiis oris & cutis. De his jam diximus quædam, ibi vitatis calidis ſimplex acetum cum ſale marino pauperibus pro tepido gargariſmo inſerviat. Locupletiores ſucco citri vel tamarindis in ſero lactis coctis os crebro eluant. Cadunt a tali remedio, quamvis ab initio mordente, gingiuæ putrefactæ. Alii acidulas pro gargarismo commendant. In nimia laxitate præfer ophacium ſucco citri. In ſummo fœtore & corruptione vix aliquid ſine affuſo ſpiritu nitri efficies, hunc cum melle roſarum rubrarum adſtringentium & aqua ſcordii miſce & facta collutione paſtillos vel trochiſcos odoratos in ore tenendos & maſticandos præſcribe. Lenior quoque ſcarificatio exitum ichoroſi aliquando promovet. Qui ſpiritum cochleariæ hic laudant vel theriacalem, mucoſum ſine putredine lentorem ſupponunt, tunc vero præſtat alium cum raphani teſſulis in ſero lactis coctum. Facta ſeparatione ſi dentes vacillant, ultra menſem a cibis frigidis vel calidis nimis, durisque & maſticationis molimine egentibus abſtine, radicem vero oxylapathi vel integram vel raſam ſuadente jam PLINIO leniter maſtica, nec parum acetoſæ ſuccus dentes firmabit.

§. XVIII.

Diætam ſcorbuticorum breviter ſubiicimus, quæ rectius primo loco commemoranda erat. Si fieri poteſt, mutetur aër, quod in

s) C. 32.
t) l. c. p. 14. it. p. 43. n. 73.

in omnibus fere morbis consilium est Hippocratis. Certe non inter minima valetudinis commoda numeramus habitationum loca Italorum more permutare. Ex septentrione inprimis versus meridiem, ut in Italiam Galliamque proficiscantur scorbutici. Si itineribus locus non sit, lignis iuniperi vel suffimigio succini aliisque aërem corrigant. Victus sit prægresso victui oppositus, exulet durus, lentus, pinguis, salitus, fumo induratus, legumina & casei, qui in sale, ut PLINIUS ait, senescunt. Succedat tenuis, mollis, demulcens victus, ut carnium recentium vitulinarum, agninarum, gallinacearum cum copiosis oleribus, acetosa, chærefolio, lactuca, & inter crebra embammata ex raphano rusticano, nasturtio, sinapi. *u*) Potus sit levis, dilutus, purus, cerevisia ex aqua munda & granis puris cocta & lupulata, in primis extractis cochleariæ vel rhei vel enulæ medicata, vel cum radice oxylapathi, baccis iuniperi, semine bardanæ cocta. Alii tenellos abietum turiones in cerevisia coquunt. Otium vitetur nimiusque somnus, & diligenter exerceatur corpus, motus enim optime vitalium humorum miscelam & circuitum sustentat, cruda coquit, superflua eliminat. Fugiantur tristes animi affectus, continuæ meditationes & lucubrationes, Venus & communio infectorum. Seorsim de macilentis & calidis moneo, ut pro raphano rusticano, sinapi similibusque acribus eligant acetaria, serum lactis, vina oligophora, similiaque. Majori sollicitudine diæta nautica & castrensis, quæ potiri non omnibus potest valetudinis subsidiis, limitanda venit. Sane quantum fieri potest, recentium & acidorum vegetabilium copiam in commeatu suo habeant, rejecta inutili farragine antiscorbuticorum pharmaceuticorum. Multa in navibus diu satis servari possunt, ut cepæ, allia & porrum sectile, quæ etiam sponte germinant. Iuvat aliquoties singulis hebdomadis brassicæ muria conditæ copiam classiariis præbere. Sponte liquet, si appellere interdum ad vicina littora liceat, id negligendum non esse, tum recentis aquæ, tum fructuum colligendorum causa.

u) Diæta tota sit excarnis, inquit Cl. *Kramerus l. c. p. 42. n. 69.* at uti vox ita res ipsa paulo durior.

cauſa. Ipſas in mari natantes herbas haud ſpernere monet BACHSTROMIUS. *x*) Obſeſſis haud alia præſervandi cura incumbit, quam ne vegetabilium uſu deſtituantur. Hinc urbibus munitis ampli horti proſunt, in quibus herbas antiſcorbuticas, ut lactucam, beccabungam, lepidium, cochleariam, acetoſam, trifolium aquaticum, nymphaeam, lapathum & quicquid olerum culinarium eſt, ſerere & metere poſſint. In ipſa hyeme copia feminis naſturtii ſuperius laudata, hic æque quam in navibus, proderit. Semper milites caveant aquas paluſtres, nec ſtationum nimis infrequens ſit permutatio. Borealibus gentibus licet diuturniores ſint hyemes, iis tamen ſub ipſis nivibus latentes & virentes herbas, æſtate autem campos implentes, quæ egregie proſunt, *non tam obtulit natura quam obtruſit.* *Iisdem ſuademus,* ut ſæviente ſcorbuto æſtate & auctumno oleribus & fructibus largiter paſcantur, & ſic plus reſiſtant contagio ſcorbuti. Servare etiam licebit per hyemen varias radices eſculentas, ſiſer, napum, raphanum utrumque, braſſicam capitatam, cepas, daucum & alia aruenſia & agreſtia. Quid ars ubivis auxilii ad conſervandum ſuggerat, fuſius proſecutus eſt I. F. BACHSTROMIUS. *y*) Sed *hic opellæ noſtræ limes eſto!*

DISSER-

x) *l. c. p.* 35.
y) *l. c. p.* 32.

DISSERTATIO

DE

ERYSIPELATE

PUBLICE PROPOSITA

GOTTINGÆ, D. 17 DEC. 1744.

RESP.

G. CPH. STARKE.

HILDESIENSI.

PROOEMIUM.

Quam miſerum, quam miſerandum animal homo eſt! qui tot imbecillitatibus & morbis laborat, quibus exacte diſcernendis vix nomina ſufficiunt. Cautos etiam & de ſanitate tuenda vitaque proroganda præ reliquis ſollicitos mala iſta opprimunt, quorum uno fonte obſtructo mox alii plenius redundantes aperiuntur. Fragiles nempe & caduci naſcimur ex prima labe contracta, corpus tam teneris flaminibus conſtans, tam *diſſolubili* fluxarum partium nexu præditum *properat in ruinas* ſuas, in quibus *ſollicito vitæ regimine retardandis* ſola artis gloria verſatur, *in avertendis* nec ſummi arcanorum Eucliones ſpem faciunt. Ipſa natura inter triſtes virium ſuarum reliquias vigilat quidem in corporis ſui tutelam, attrita eiicit, amiſſa reparat, & *vitæ, quæ ſe ipſam* motibus ſuis perpetuis conſumit, conſtantiam aliquam & *durabilitatem conciliat, ut in eodem* fere ſtatu, ſi lentas & fere *inſenſibiles* ætatum mutationes excipimus, homo perſiſtat. Verum prævalet vis in corruptionem noſtram tendens, ſæpe jam per hæreditatem cervibus noſtris gravius incumbit, & radices morborum plus in progreſſu pullulantes, ac nova germi-

num ſpecie, novis morborum nominibus luxuriantes, protrudit. Suppetias laturi medici, & cum tot monſtris infelici ut plurimum exitu pugnantes, in gloriam ſæpe artem exercent, nec tamen ſi rite excolitur, levaminis & ſolatii parum promittentem. Inter tot morbos cum inflammatorii præſenti magis periculo decurrant, nec illi ex eorum numero, qui minoribus vaſis vim inferunt, hujus periculi, licet latentioris, expertes ſint, placuit pro inaugurali ſpecimine Eryſipelatis ſcrutari genium, tot occultis inſidiis, quibus præſagium medici non raro turbat & pervertit, in vitas hominum ſævientem. DEUS gratia ſua adſit, Lector benevolus, ut tenue ſpecimen diligentiæ meæ conſideret, nondum adultioris eruditionis viribus fultæ.

§. I.

Eryſipelas non latinæ originis vox eſt, ut cenſuerunt aliqui, quibus non multum repugnat GUIDO de CAULIACO *a*), quaſi dicatur hæriſipila, adhærens ſcilicet pilis & cuti. Verum veſtuſtiſſimis jam Græcis cognita vox παρὰ τὸ ἐρύεσθαι ἐπὶ τὸ πέλας longe commodius derivatur, quod vitium in proxima loca ſerpat & attrahatur. Quibus τὸ ἔρευθος rubor, vel corruptis litteris inde deſcendens τὸ ἐρυθρὸν rubrum, pro origine definienda plus adridet, cum ſine certo ruboris gradu non ſit pars adfecta, nec male in eum ſenſum vernaculæ voces, *Roſe*, *Rothlauff*, *die Schoene* aliæque conſpirent; his quidem ægrius adſentimur, partim, quod inter tot mutilatas abiectasque litteras vix amplius originis illius veſtigia deprehendas, partim, quod color eryſipelatis flavus potius & citrinus ſit *b*), quam perfecte ruber, imo ali-

a) *de Arte medic. Tractat. II. cap. 3. p. 64. Galenus tamen inter nomina refert, quæ nec locum adfectum nec cauſam exprimant, de meth. medend. L. II.*

b) vid. *Ludov. Duret. in Hippocratis Coac. prænot.* p. 115. n. 20. *ubi eryſipelas tumorem citrinum adpellat. Pallidi flauique coloris miſcelam hic agnoſcit Galenus.*

aliquando tam pallidus, ut albi eryſipelatis ſpeciem apud cl. Io. IUNCKERUM *c*) reperias. Dubium vero non eſt, tam Græcæ quam Romanæ civitatis jura uſu auctorum utriusque linguæ dudum obtinuiſſe vocem noſtram, adeoque illos, qui ignem ſacrum latine vocari ſtatuunt, monitum HIERONYMI FABRICII AB AQUAPENDENTE *d*) meritо attendere, quod nempe CELSUS *e*), alio loco de eryſipelate, alio de igne ſacro agens in utriusque charactere deſignando tanquam in diverſo argumento verſetur. Omitto recentiores voces latinas, ut ignis ſylvatici, ignis ſancti Antonii, icteritiæ rubræ, vel Germanicas, *das heilige Ding*, *das wilde Feuer*, *Flogfeuer*, *Anſchuß* & ſimilia, ne nimis in cortice vocum hærere videamur.

§. II.

Eſt vero eryſipelas tumor levis in ſuperficie cutis conſpicuus, ex rubro flaveſcens, digito premente fugiens, remittente rediens, late ſerpens, plus calens, quam dolens pulſansque, & ſtaſi imprimis ſeri inflammatoria in anguſtiis minorum arteriolarum inter febriles motus natus. Patet, nos morbum hunc ad inflammatorios in minoribus vaſis referre, teſte colore, ſplendore doloreque & aliis inflammationem comitantibus ſignis. Dum tumorem voco, non me fugit, tam ſæpe exilem eſſe, ut multi maculam ex rubro flavam adpellari malint, GALENUS *f*) etiam partem perpetuo inflammatam eſſe, non perpetuo tumere olim judicaverit. Tument tamen etiam minora vaſa ex ſtaſi ſua, licet minus ad ſenſum, imo dum illa ſtaſis multa prehendit unius loci vaſcula, ſatis etiam ſenſibilis interdum tumor ille adparet. Conſpicuum in cutis ſuperficie dixi, quo non excludo ſimilem in interioribus partibus membranaceis latentem. GALENUS *g*) quidem

c) *vid. ejus conſpect. chirurgiæ Tab. V. p. m.* 55.
d) *vid. Op. chirurg. cap.* 8. de eryſipelate p. *m.* 25.
e) *conf. de Medic. cap.* 26. *L. V. cum cap.* 28. *L. V.*
f) *in Hipp. de offic. med. C. III.* p. 219.
g) *L. II. Meth. med. ad Glaucon. cap. I.*

dem ſolius cutis adfectum dixit, verum idem apud HIPPOCRATEM *b*) eryſipelatis nomen manet, ſive foris accedat, ſive intro converſum lethale fiat. Cedens tumor & evaneſcens ad preſſum digiti a phlegmone diſtinguit, plus illud, ex quo nominis ratio petita eſt, quod non ſoleat facile uno loco figi, ſed late diſpergi & multa vicina loca ſenſim pererrare, pro liberiori tenuiorum vaſculorum & fluidorum commercio. Colorem vero flavum quidem potius quam rubrum arguimus, ſed neque hunc, ſi mixta phlegmone ſit, inficiamur, & quisquis demum ille fuerit, ex indole ſtagnantis & pellucentis humoris, vel puri vel mixti, æſtimandum eſſe cenſemus.

§. III.

Inter ea, quæ definitio comprehendit, ſedes adhuc & materia morbi paulo ſolertius inveſtiganda eſt. Sedes quemadmodum omnis inflammationis in vaſis convergentibus, ita hic maxime in arteriis minoris generis quæri debet. Id quod recentiores præeunte HERM. BOERHAAVIO ita ſolent interpretari *i*), ut vaſa rubra, quæ ſanguinem, flava, quæ ſerum, pellucida, quæ lympham vehunt, inter ſe ſubtilius diſtinguant, & reliquas decreſcentium vaſorum & fluidorum ſeries ad normam mutationum in illis ſenſibilioribus notatam dijudicent. Si fas eſt illorum ſententiæ accedere, phlegmone, eryſipelas & œdema, ſive hæc mala ſeorſim, ſive conjunctim exiſtant, determinari plenius in ſuis finibus poſſe videntur, nempe in finibus arteriæ ſanguiferæ phlegmone, ſeroſæ eryſipelas, lymphaticæ œdema calidum. Veluti phlegmone eſt ſtaſis inflammatoria ſanguinis, in arteriæ ſuæ extremis anguſtiis hærentis & a tergo vi cordis impulſi, tumens a tenſione, calens ab attritu, dolens a fibris diſtractis, rubens a colore ſtagnantis per latera diſtracta pellucentis, pulſans a ſyſtalti-

co

h) *vid. coac. prænot.* 103. *Ed. Lind. V.* 1. p. 555.

i) vid. Gerh. van Switen comment. in aph. Boerhaav. T. I. §. 122. p. 185. it. §. 380. p. 642.

co motu arteriarum, & ſplendens cum renixu ob liquidum tenuius per lateralia vaſa diſſipatum & reliquum craſſius coagmentatum; Ita hæc tantum non omnia in minoribus arteriis, quarum anguſtiæ contentos humores ſiſtunt, ex motu cordis urgentis fas eſt concipere. Quodſi videlicet arteriarum ſanguiferarum lateralia orificia, quæ naturaliter non niſi tenuius ſecernunt, per injuriam motus vel alias cauſſas plus dilatata ipſum admittunt ſanguinem, in progreſſu convergentis tubi hærentem, hæc ſpecies inflammationis, ut a priori diſtinguatur, non incommode phlegmone eryſipelatodes audit, cujus rubor loca adfecta, antea non rubentia intenſius tingit, claro ſanguinis in aliena loca ingreſſi indicio. At ſi lateralis arteria, proprium liquidum vehit, nempe tenuius & ſanguini proximum, quod ſerum eſt, hujus in ultimis anguſtiis ſtaſis, cum flavedine ſero propria pellucens, erit eryſipelas ſimplex, quemadmodum eryſipelas œdematodes coloris dilute crocei commode dixeris, ſi idem ſerum vaſorum lateralium pellucidius liquidum ſeu lympham vehentium ora ſubiit, moramque & obſtaculum in progreſſu invenit. Oedema vero purum & calidum vocant ſtaſin lymphæ in propriæ arteriæ finibus, quod conveniet eryſipelati albo a quibusdam dicto. Sic, ut breviter dicam, duplex inflammatio rubra ex ſtaſi ſanguinis vel in fine arteriæ ſanguiferæ vel principio ſeroſæ, duplex flava vel in fine arteriæ ſeroſæ vel principio lymphaticæ, & ſic porro in progreſſu diverſorum vaſorum & fluidorum concipi ſolet. In qua re, ſi quis acumini plus, quam veritati, ex anatomicis demonſtrationibus ad luculentiorem ſenſum deducendæ, ineſſe putet, litem hic non movebo, & ſufficiet mihi, in eryſipelate ſtaſin liquidi arteriarum minorum coarguere, vel ita ſentire, ingentem eſſe inter phlegmonem eryſipelas & œdema affinitatem, ubivis ſtaſes inflammatorias in arteriis diverſæ magnitudinis peccare.

§. IV.

Materiam ſtagnantis liquidi ſerum eſſe, cui domeſtica flavedo, non multum dubitem. Scio GALENUM *k*) & aſſeclas ejus ob

k) vid. Meth. med. L. XIV. Cap. VII. p. 87. ubi bilioſæ fluxionis germen

ob eandem flavedinem de bile potius ſuſpicari. At *bilis* niſi in ſanguinem redundet, tingere externam cutem nequit, *ſi* redundat, non poteſt non ubivis tingere, hoc eſt omnibus vaſis, pellucidiori liquido gaudentibus, flavedinem illam communicare. Videas autem ictericos, quos nulla eryſipelata vexant, macri etiam, fuſci, nigri, qui plus bilis generant, minus, quam *ſanguinei*, obeſi, rufi, hoc malo infeſtantur. Non eſt igitur, cur tracto ab antiquis errore cum DAN. SENNERTO *l*) calidiorem hepatis intemperiem, vel cum FRID. HOFFMANNO *m*) bilem vitiatam cum ſucco pancreatico confermentatam & cauſticam, intro ad cutanea vaſa raptam, accuſemus. Promptior nobis eſt ratio ſeri, quod ſive cum ſanguine ſive in propriis vaſis moveatur, *hærere ubivis in naturali fluxu poteſt, nec longe arceſſi debet*, maxime impurum, acre, & ſubitaneis ſtaſibus in extremis opportunum, non minus, quam alius humor ad magnum malignitatis gradum eniti poteſt, & commode, quicquid phænomenorum occurrit, illuſtrare.

§. V.

Acceſſus mali in corpore latentis non fit ſine præſenſione quadam. Corporis *laſſitudo*, artuum gravitas, ſpaſtici membrorum motus, nauſea, ſomnus *interruptus cum crebra ſitus mutatione* præcedunt. Sequitur artuum tremor cum rigore *ultra horam aliquando infeſtante*, deinde calor æſtuantiſſimus. Inter has motuum *febrilium viciſſitudines* efflorescunt parte corporis tantum non omni, ſed *maxime facie*, & *tempore tantum non omni*, ſed maxime æſtivo, maculæ jam deſcriptæ, & in locis illis cutaneis, quæ adfligi incipiunt, præter ſingularem ardorem ſenſus ſtringentis & coarctantis doloris percipitur, donec pars adfecta inter notas plenioris inflammationis, quam fruſtra negat

vocat, circa cutem maxime ſubſiſtens, interdum tamen aliquid ſubjectæ carnis occupans.

l) vid. op. medic. T. II. L. II. cap. 16.

m) vid. med. ſyſt. T. IV. P. I. cap. 13. §. 7.

negat cl. GORTERUS *n*) plus expanſa cuticula ad ſplendorem creſcat, & nunc ſedem mutet, nunc ad levem cauſſam recurrat. Pulſus in tali ſtatu frequens & celer, lotium cum roſeo ſedimento, vel circa declinationem, glutinoſo. Poſt aliquot dies remittunt ſymptomata, tumor in moleſtum pruritum tranſit, ſuperficies cutis marcet, flacceſcit & evaneſcente fulgidiore colore per ſquamas ſecedit. Ille ſimplicis eryſipelatis decurſus eſt, pro temperie varia ægrorum & morboſæ materiæ intro ſæpius redundantis genio, ſæviori nonnunquam, ut anxietatis, vomitus, delirii ſatellitio ſtipatus.

§. VI.

Poſtulat illa ſymptomatum varietas magis inſpicere varie diſcrepantem ambigui mali indolem. Præcipua differentia eſt ſimplicis & compoſiti, vel exquiſiti & ſpurii. Simplex & exquiſitum cutanea vaſa vix excedit, nec tumet ſenſibiliter, illæſa quippe carne ſubſtrata. Compoſitum, deſcendens profundius, ob partes ſuppoſitas in communionem mali pertractas, & inflatas ſuffarctasque cellulas pinguedinoſas, plus tumet rubetque, & ægrius ad prementem digitum cedit. Hoc eryſipelas phlegmonodes eſt, velut illud, quod in tali deſcenſu tumet quidem, at majori mollitie digito minus reſiſtit, eſt eryſipelas œdematodes, quibus addi ſolet eryſipelas ſcirrhodes circa loca glanduloſa, diſcutientibus incaute tentata. Hæ diverſæ ſpecies ex illa doctrina, quæ Galenicorum & Arabum veſtigia premit, miſcelam ſpectant vitiatæ bilis cum aliis humoribus, ut ſi bili craſſus accedat ſanguis, ſit eryſipelas phlegmonodes, ſi phlegma, œdematodes, ſi terra, ſcirrhodes, de quibus ſuperius, ubi de ſede & materia mali actum eſt, quæ neceſſaria ſunt, commonuimus. Præcipui momenti diviſio fit in benignum & malignum. Benignum eryſipelas, ut plurimum a cauſis externis natum, intra triduum aut quatriduum, ſi pars adfecta in temperato calore, & corpus in blanda diaphoreſi eſt, diſſipatur. Si ultra quartum diem durat,

n) *vid. Comp. medic. Tract.* 47. §. 2.

durat, nec exploratæ virtutis remediis cedit, plus etiam mali ominis in calore & duritie prodit, ortum judicamus ex cauſſa interna, quæ ſuppetias mali perpetim mittit, unde prona via eſt in malignum eryſipelas. Hoc ab impuris humoribus in corpore cacochymico genitum vel ſuſtentatum, veſiculas ut plurimum & bullas protrudit, ſub quibus acer humor & ſuberuentus per plures dies exundat. Inter tetras igitur maxime ſpecies veſiculare & puſtuloſum eſt, ubi puſtulæ primis diebus exiguæ mox confluunt inter ſe, & ichoroſo ſucco turgidas majores veſiculas conſtituunt. Notamus etiam eryſipelas zonale *o*), quod inſtar zonæ corpus cingit, cujus ſi deterior materia eſt, & magis apta partem adfectam erodere tendit in ſphacelum, herpes vel formica veterum dicitur. Verum merito dubitamus, an hujus loci ſit? Epidemicum *p*) hoc malum Auguſtanos ſuos adflixiſſe L. SCHROECK teſtatur, endemium quoque CONNOR Polonis tribuit refragante ERNDTELIO *q*). Notatum ulterius eſt hæreditarium, quin & contagioſum *r*), iis qui ægro adſtiterunt, adflatum. Mira etiam ſunt illa periodica quater imo ſepties nonnunquam redeuntia *s*), aliquando trimeſtria vel ſemeſtria, imo æquinoctialia & annua.

o) Ζωστὴρ PLINII in *Hiſt. Nat. L. 26. c. 74.* Eſt ea ſpecies ignis ſacri, quæ medium hominem ambiens, dum cingit, enecat. Idem habet *Plinius Valer. L. III. c. 34. Largus Scribonius c. 98. comp. 247.* zonam vocat, quam Græci ἕρπητα dixerint. Speciem perfectæ talis zonæ refert *Ioh. Henr. Brechtfeld in Act. Hafn.* V. I. O. 108. *p.* 198, quæ ventrem inferiorem viduæ ſic cinxit, ut cingulum fuſcum ad palmæ latitudinem referret. Lethale hoc fuit, ut & illud *Io. Langii L. I. epiſt. 32.* Mitius hoc malum vidit *Roſ. Lentilius* in ſexagenaria, cui zona talis ſuper lumbos ſingulis fere menſibus rediit. *vid. Eph. Nat. Cur. D. I. ann. 3. obſ. 4. Ap. p. 92.* Zonam per pudenda & clunes notat *G. Detharding ib. D. 3. A. 6. & 7. App. p. 73.*

p) *In conſtit. Epid. Auguſtan. 1701. v. Eph. Nat. Cur. C. I. & II. App. p. 13.* Conf. *Act. med. Berolin. Dec. I. V. 4. p. 42.*

q) *in Warſaw. illuſtr. p. 188.*

r) vid. V. *Riedlin. cur. med. 282.*

s) vid. *ib. Cur. med. 704. it. 846.*

nua. Nec prætermitto haud contemnendam differentiam inter ſymptomaticum, quale in aſcite occurrit, & criticum, quo oriente ſilent interni morbi & remittunt, dum noxium vi vitali ad externum corpus protruditur. Ita eryſipelas faciei Stahliani *t*) conſiderant tanquam congeſtionem incompletam ſanguinis ad caput, ubi natura evacuare voluerit, at vigor animi vel craſis humoris non ſatis fluxilis defecerit.

§. VII.

Remotiores inter cauſſas præcipue conſiderari meretur plethora, quæ niſi tempeſtive per artem & naturam levatur, circuitum ſuum preſſius peragens ob languentes motus ſecretionum & excretionum non repurgat ſatis ſanguinem ab excrementitiis partibus, unde fomes mali data occaſione in morbos ejusmodi inflammatorios facile erumpit. Præbent occaſionem hanc præ ceteris pathemata animi *u*). Vidit FALLOPIUS feminam, quoties ira excanduit, eryſipelate mulctatam, & quotidie lactantes feminas videmus ſimiliter a terrore mulctari. Plus fere latentem fomitem accendunt erepta conſuetarum evacuationum præſidia, plenis corporibus tam neceſſaria. Suppreſſæ hæmorrhagiæ narium, vel hæmorrhoides in viris, vel menſtruus ſanguinis fluxus in feminis, nec minus intermiſſæ venam ſecandi conſuetudines viam huic morbo facile aperiunt. Quo maxime pertinet perſpiratio læſa per frigidum aërem, potum, balneum & ſimilia, quibus erroribus eo minus veniæ eſt, ſi calor præceſſit corporis ſudantis, vel ſeſe exercentis, vel acrem victum & potus generoſos copioſe ingurgitantis. His enim pori pro largiori diaphoreſi patentiores & craſſiora admittentes, uti pro lympha ſerum, pro ſero ſanguinem, cum periculo ſtringuntur, & contenta tenacius retinent ac figunt. A frigore pueri pilis nivalibus diu ludentis GEORGIUS FRANCUS *x*), ab aura boreali & pluvia MARCUS GERBIZIUS

t) *Io. Dan. Gohl. Comp. ad Prax. Clin. L. III. C. VI. p.* 137.
u) vid. *Riedlin. cur. med.* 211.
x) *Eph. Nat. Cur. Dcb. II. ann. III. obs. X. p.* 48.

BIZIUS *y*), a diſparentibus ſcrophulis Io. BURGIUS *z*), ab eſu cyprini nec elixati ſatis nec ſaliti SIGISM. GRASSIUS *a*) orta notarunt eryſipelata, quæ omnes cauſſæ læſæ perſpirationis ſunt ſoboles. Addimus diſſipatos tenues humores poſt magnum profluvium ſudoris, lotii vel alui, unde immeabilitas reſidui in anguſtiis minorum vaſorum facile oritur. Nec ligaturas omittimus, contuſiones, vulnera, irritationes externas a punctura apum, calceorum, ocrearum, vel acribus infixis *b*).

§. VIII.

Obnoxia præ ceteris huic morbo ſunt corpora ſpongioſa & humorum copia turgida, *maxime uti jam monitum eſt, poſt evacuationes vel naturæ vel artis ſuppreſſas.* Mulieres hinc ſæpe adfliguntur teneram ob texturam corporis, quæ in mollitie & plenitudine ſua ſuppetiis excretionum magnopere indiget. Infantes ob ſimilem laxitatem in abdomine, immo toto corpore, ſparſum eryſipelas exhibere, obſervata loquuntur *c*). Alioqui partes, quæ vim morbi crebrius ſuſtinent, ſunt brachia, crura, mammæ, facies, non æque reliquus corporis truncus. Facies, cur toties fiat eryſipelatoſa, fuſius proſecutus eſt CAMERARIUS *d*). Situs opportunitas crura *maxime* adficit, ubivis in loca imbecilliora, ut luxata & contuſa, materia morboſa *promtius* decumbit. Inter quæ plus ſemper tumoris adparet in facie, plus ſplendoris in tibiis, plus duritiei in mammis, plus dolorum ſub axillis *e*). Poſt plethoricos ſcorbutici maxime, & quorum acrius ac impurum ſerum eſt, infeſtantur.

§. IX.

y) *Ib. Dec.* 3. *A.* 9. 10. *obſ.* 200. *p.* 371.
z) *Ib. D.* 2. *an.* 3. *obſ.* 171. *p.* 336.
a) *Ib. Dec.* I. *ann.* 9. & 10. *obſ.* 70. *p.* 199.
b) a lapillo flexis genubus infixo, *Gottfr. Dav. Meyer. ib. C.* 6. *obſ.* 62. *p.* 319.
c) vid. *I. D. Gohl Comp. prax. chir. cap.* 8. §. 6.
d) vid. *Syllog. memorab. med. cent.* 13. *p.* 75. *conf. Sydenh. p. m.* 278.
e) vid. *Hoffm. medic. ſyſtem.* T. IV. *P.* I. *cap.* 13. §. 5.

§. IX.

Infida & ambigua eſt prognoſis, quæ varias mali hujus ſpecies, nunc huic nunc illi ægro plus metuendas in primis ſtatim incunabulis negligentius expendit. In corpore puro & juvenili, bonique regiminis ſtudioſo; cito & ſponte intra quatriduum plerumque cum pruritu & ſquamis cedit eryſipelas, ſi benignum fuerit & exquiſitum, ac leuis inflammatio, quæ ſine intenſiore febre partibus tantum externis & ignobilioribus incumbit. At ſi inflammatio magna partem prehendit nobilem, vel nobiliori vicinam, aut cum multis nervis communicantem, nihil audacius promitte, inprimis ſi fons mali internus ſit, corpus infirmum, regimen diætæ & medicinæ perverſum. Metuant hoc nomine ſenes & cacochymici, quorum natura debilis, materia morbi copioſa & acris, conſuetudo errorum tenax. Nunquam periculo vacat eryſipelas ſpurium & compoſitum circa fauces, oculos, glandulas & alias partes officii præſtantia & ſenſu inſigniores. Puſtuloſum cito oriens & creſcens, uti vehementiores cauſſas arguit, ita in ſphacelum celeri ſæpe gradu tendit, indicio coloris in lividum atrumque tranſeuntis. Male tractatum & exulceratum dat ulcera ad mortem interdum inſanabilia, quale in ruſtico perverſe tractato relictum neceſſitatem abſcindendi pedis impoſuit, teſte SAM. LEDELIO *f*). Mire profecto crucem figit ſtatus horum ulcerum, tetro progreſſu ſubſtratam pinguedinem depaſcentium, & in fiſtulas gangrænasve abeuntium, unde malam ab eryſipelate ſuppurationem jam HIPPOCRATES *g*) vocavit. Inter hujus oracula præcipuum hoc eſt ἔξωθεν ἐπιγίνεσθαι χρήσιμον, ἔσω τρέπεσθαι θανάσιμον *h*). Ubivis malum eſt intro verti, idem ait, at anginoſis vix non ſemper funeſtum. Vitalium nempe partium tenues membranas obſidens, aſthmate, deliriis, ſoporibus, intra ſeptimum ſæpe diem exſtinguit. Ventriculum non raro adfligi,

f) vid. *Eph. Nat. Cur.* D. II. *ann.* 2. *obſ.* 41. *p.* 71.
g) VII. *Ap.* 20.
h) VI. *Aph.* 25.

ſligi, & febrem, quæ leipyria dicitur, comitem habere, docet Io. Dan. Gohl *i)*. Inter notantiores noxas retrocedentis mali refert Hippocrates, quod fœtum in utero interimat *k)*, quod in pulmone tuſſim, ſputa & ſuppurationem cieat *l)*, & alia hujus generis. Lethale in femina, quæ faciei eryſipelatoſæ lintea aqua frigida immerſa adplicuerat, cum ſenſu levaminis & remittentis ardoris, delirium ſubſecutum teſtatur E. Hagedorn *m)*. Natum ex ſimili ratione lethargum Thom. Bartholinus *n)* deſcribit, alii phrenitides, phthiſin & anginas. Quæ mala maxime parit incaute tractatum eryſipelas faciei *o)*, vel ſi vitæ parcit, alia ſatis gravia, qualia ſunt abſceſſus & ægilops teſte Platero *p)*, vel excreſcentia carnea in uno, pterygium in altero oculo notante Andr. Loew *q)*. Ceterum bene reſpicimus ad mala complicata, ut vulnera & fracturas *r)*, quæ ob ſtaſin in vicinis locis crebrum pariunt & mali genii eryſipelas. Nec illud prætereundum eſt ex Hippocraticis regulis, qui ſæpe hoc malo corripiuntur, eo tandem occumbere, vel illud, in phlegmaticis & cacochymicis diuturnos ut plurimum tumores pedum remanere, qualem in femore œdematoſum cum fluxu liquoris lactei commemorat Sigismund. Grassius *s)*. Parotides poſt febres ſigna ſunt eryſipelatis in facie naſcituri *t)*. Salutare eryſipelas nuncupare poſſumus, quod partes internas liberat, quali ſæpe tertianas quartanasque ſublatas eſſe teſtatur Io. Dan. Gohl

i) vid. *eius Comp. ad Prax. Chirurg. cap.* 3. §. 6. *p.* 26.
k) *de Morb. L.* I. §. 3.
l) *ibid.* §. 13. *it. de morb.* II. §. 53.
m) *obſ.* 38. C. I. *p.* 66.
n) *Act. Haffn. Vol.* I. *obſ.* 14. *p.* 42.
o) tale horrendum eryſipelas v. ap. *Horſt. L.* II. *obſ.* 18. & *Benninger L.* 5. *obſ.* 61.
p) L. III. *p.* 485.
q) *Eph. Nat. Curioſ. D.* III. *an.* 5. *&* 6. *obſ.* 115. *p.* 355.
r) *Nudatis oſſibus ſuperveniens malum Hipp.* 19. *Aph.* 7.
s) *Eph. Nat. Cur.* Dec. I. *ann.* 9. & 10. *obſ.* 66. *p.* 187.
t) vid. *Hipp. coac. prænot.* §. XI-79.

GOHL *u*). Alii convulſivum aſthma vel etiam colicam ad ortum eryſipelatis evanuiſſe obſervarunt.

§. X.

Qui ad medendum ſe adcingit, territus tot aliorum veſtigiis, quorum ſiniſtra medicatio ægros peſſundedit, inquirat primum, an ſuppetiis opus ſit, deinde quibus? Si FRANCISCUM BONCALLUM *uu*) audit, ſolo victus, aëris & ſtragulorum regimine, cunctando in reliquis & nihil agendo, vincet ut plurimum. Decumanum illum errorem vocat, etiam eorum, qui ſanum credunt ſinciput ſe habere, tot remedia præſcribere, quorum nomenclatura laudi fortaſſis memoriæ ſit, ægrotis raro ſaluti. Deſciſcens a craſi naturali humor neceſſarios poſtulat coctionis & ſeparationis gradus, quos recte natura metiri didicit, ars ſæpe inconſultius præcipitat, & excretorios illos ad ambitum corporis motus turbat. In illo tamen nunquam peccabit medicus, ſi tenues & calidas ſorbitiones ad lenem & continuam diaphoreſin ſuadeat, temperet febriles motus, ſpiracula cutis expediat, & contra injurias frigoris defendat. Verum hoc ipſum nihil eſt, quam ſanantis naturæ potiora obſtacula removere. Certe in leviori mali ſpecie majoribus & ſollicite conquiſitis auxiliis opus non eſt.

§. XI.

Idem vero judicium non erit, ſi ſævior morbus & ex impuro fonte natus nobilioribus partibus, ut faciei, imminet. Euacuantia an hic conveniant, & inter illa venæ ſectio? multorum video diſſidere ſententias. Qui leniter ſentiunt, non neceſſariam quidem aiunt cum GALENO *x*), quod in ſumma cute hæreat malum, cui conſultum cupimus, ferendam tamen eſſe,

u) vid. *Comp. Prax. chirurg. cap.* 8. §. 5.

uu) vid. ejus *hiſt. morb.* 2. *de eryſipelate non tangendo* p. 34. *ſeqq.*

x) C. 3. L. 14. *meth.* contra *Celſus*, *Paulus*, *Haly Abbas* & alii V. S. poſtulant. Negat *Fallopius* conciliari has contradictiones poſſe. concíliat *H. F. ab Aquapendente Op. Chir.* C. 8. p. 28.

esse, si calor vehemens & sanguis copiosus sit. Alii eam acrius damnant, tanquam redundanti ad interiora materiæ noxiæ faventem. Id tamen non movit ANTON VALISNERIUM *y*), quin sexagenario in erysipelate sinistri cruris non copiose solum, sed & ter sanguinem detraxerit, cum admirando in morbo conclamato successu. Cito id fieri in plethoricis & spirituosorum potioni adsuetis, vel cucurbitas cum scarificatione in cervice substitui vult FR. HOFFMANNUS *z*). Dubium non est, tumentia vasa & ultra elaterem interdum distenta, post partem sanguinis exhaustam, novis potiri viribus, ad ipsam illam diaphoresin juvandam, qua difflatur morbosum. Ex magno vulnere saltu celeri erumpat sanguis, qui similis sæpe pleuritico est cum crassa & alba pellicula, ut sic eo sensibilius liberet, & communem illam inflammatorii morbi noxam levet, ab impetu retro adfluentis humoris nimis urgente. THOM. SYDENHAM *a*), unam venæ sectionem, ait, & subsequentem catharsin, in tempore adhibitas plerumque sanare. Multi vero adhuc magis hæsitant in cathartici nomine. Vidi, inquit, FRANC. RONCALLUS *b*), a leni purgante hic vomitus, conuulsiones & tormina orta esse, vimque illam infeliciter enervatam, qua motus excretorius in cutem despumat. Ad drastica in primis lethalem secutam esse inflammationem ventriculi F. HOFFMANNUS *c*) monet. Imo usu solius rhei testatur IO. IAC. WEPFERUS *d*), ita exasperatos in quodam humores esse, ut post febriles motus totum caput erysipelate infestaretur, & biduo post deliria supervenirent. Licere in principio purgante uti, judicat IO. IAC. WAIDSCHMIDIUS, nocere autem, ubi radices morbus egerit, quod crescat inflammatio, vel motus humo-

y) *Eph. Nat. Cur. Cent.* VI. *obs. 6. p.* 189.

z) *Med. Rat. Syst. T.* IV. *P. I. Sect.* I. *cap.* 13. §. 5.

a) vid. Oper. p. m. 280. Addit conditiones, quando & quibus intervallis iteranda sit V. S.?

b) vid. *loc. citat.* p. 35.

c) *loc. citat.* p. 309.

d) vid. *Obs. Med. pract. de adfect. cap. obs.* 81. p. 314.

humorum introrſum vergat. Nihil vero ejusmodi judiciis commotus Io. FREIND *e*), invaleſcente etiam eryſipelate faciei & delirante jam ægro, ſummisque in anguſtiis hærente, purgans quater fruſtra exhibitum fidenter repetiit, cum incredibili rerum ad interitum vergentium mutatione in melius. Quis vero neſcit, jam GALENUM *f*), licet ex hypotheſi, nullum hic efficacius remedium laudaſſe, quam quod bilem & pituitam expurget, hoc addito, diem ſe conterere, ſi admirandos purgantium in hoc malo effectus recenſeret. Sane ut in principio morbi commotis valde & turgeſcentibus humoribus ſufficit lenioribus uti, ita in progreſſu inter orientia mala comatoſa & phrenitica validioribus & continuatis etiam locus eſt, modo prudentia medici ubivis ſcopo, primarum viarum ſordes & irritamenta non modo ſubducendi, ſed & acre & abundans ſerum, ne ad loca adfecta plus irruat, ad aluum revocandi, congruentia remedia eligat. Fortuiti & ab alia prætervisa cauſa pendentes effectus ſiniſtros hinc in contrarium citare, nullam vim argumenti habet.

§. XII.

Sive vero pro determinata corporis indigentia adhibita fuerint dicta evacuantia, ſive omiſſa, par utrimque erit ad uſum internum diaphoreticorum nos protinus convertere, quippe in morbo cutaneo tanquam propriis, ad quas viribus ſuis pertingant, ſedibus plus auxilii pollicentium. Non vero calida, acria, aromatica, volatilia, & ſic dicta alexipharmaca & bezoardica hic intelligimus, ſed quæ tenui & ſalubri vehiculo pauxillum ſolventis ſtimuli & morbo oppoſiti ad loca adflicta transferunt. Cum regimine perſpirationi favente placent potiunculæ ex aquis cardui benedicti, ſcabioſæ, ceraſorum, florum tiliæ & ſambuci ſimilibusque cum pauxillo nitri & antimonii diaphoretici, addito ſyru-

e) vid. *Comment.* VII. *de Febr. in Hipp. morb. pop. p. m.* 203. Draſtica etiam hic veteres adhibuerunt, ut hieram diacolocynthidis *Largus Scribonius* & helleborum *Hippocrates* ſimili fere loco.

f) *de purgantium facultatibus p. m.* 87.

rupo papaueris rhoeados vel violarum. Placent quoque infusa theiformia, quæ & copiam præbent meabilis liquidi, & ad diaphoresin determinant. Qui simplicia præfert, vix habet, a quo blandiorem diaphoresin tutius exspectet, quam rob sambuci cum aqua florum suorum dilutum. Nolim essentias scordii pimpinellæ albæ, vincetoxici & similium radicum suadere, non ob has, quas in forma infusi vel decocti laudo, sed ob menstrui acrimoniam. Commendamus propterea haustus magis Galenicorum, ut decocta hordei, cornu cervi, scorzoneræ, cichorii, liquiritiæ similium que, quam chemicorum guttulas ex acri stimulo metuendas, nisi forte tincturas florum, ut rhoeados, aquilegiæ, cyani, quippe aquæ tantum infusas & acidulatas excipiam. Salia neutra, ut arcanum duplicatum & tartarum vitriolatum non improbo, sed modice adhibita & probe diluta.

§. XIII.

Verum his plerumque non magni momenti habitis maxima pars medentum ad topicorum usum ruit. Sic enim virtutem medicamentorum propius cum hoste confligere, & salutari attactu præsens incendium restinguere clamitant. Dubito, an similis vox naturæ sit, utpote quæ coquendo, separando & ad diaphoresin sensim disponendo spernit illas sine consensu suo latas suppetias. Sunt certe topica illi ut plurimum scopuli, ad quos salus ægrotorum ipso medico duce impingit. Vindicabimus quædam, cetera reiiciemus, vel spem præsidii limitabimus, primum quid iu frigidis & humidis emolumenti sit, ponderaturi. Frigida ut arguam, fere tota prohibet Galenicorum schola, cujus magister, dum morbus consistit, frigida utendum esse docet agonistice, id est, affatim & frigidissima. Quæ res ne nimis videatur rationis expers, cogitandum est, veteres ad ortum tumorum statim fluxiones sibi imaginatos, hinc illico influentis repulsum molitos esse. Nec rationi repugnant, frigus, quippe lympham & serum minus cito quam sanguinem coagulans, ab initio erysipelatis, ubi nondum crassum est, quod influit, vel ut Galenica dictione utar, nondum σφήνωσις seu incuneatio liquidi facta est,

eſt, ſalubriter repellere, quod influxit, per vaſa modice arctata in truncos majores, ut hic novi circuitus beneficio vel coquatur vel loco magis idoneo eliminetur. Nihil ad illam doctrinam niſi duo refero, nempe hæc remedia frigida, niſi ſtatim proſint, augere morbum, hoc eſt, niſi arctando propellant, plus adflatu ſuo figere & retinere: deinde ſtagnantis liquidi genium non ſatis diſtingui, cujus ſæpe tanta malignitas eſt, ut arceri omni ſtudio a novo contactu internorum humorum & viſcerum debeat. Id ex parte ipſi olim GALENO *g*) ſuboluit, hinc immodice refrigerari dura & atra loca queritur, ipſe non niſi ab initio, ubi influens humor nondum novam ex ſtaſi corruptelam contraxit frigida ſuadet, terminum in uſu eorum ad ſigna coloris nondum mutati reſtringit. Ita quis neſcit, ſola interdum aqua frigida multas ophthalmias ſanari? Quæ tamen omnia etiamſi non penitus ſatisfaciant nobis, certum tamen eſt, Galenicorum longe majorem quam magiſtri ſui culpam eſſe, quos jam a chemicis ille maxime character diſtinguit, quod frigidis, velut chemici calidis abutantur. Quam temere AMATUS LUSITANUS *h*) nullo ait meliori remedio quam larga frigidæ potione eryſipelas ſanari! Quod quamvis ex GALENO hauſiſſe videri velit, hic tamen cautius externa frigida non niſi in ortu mali ex cauſa non manifeſta poſtulat, in progreſſu demum internum frigidæ potum permittit. Creſcente experientia major cœpit frigidorum metus ſuboriri, nec tamen illis, qui moderate frigida in principio eryſipelatis, quo corpus purum & juvenile laborat, adhibere velint, juſtæ cautionis & felicis ſæpe ſucceſſus laudem reddo ambiguam, ipſe tamen ejus particeps eſſe nolim, quod tutiora in medelam ſuppetant.

§. XIV.

g) *de art. cur. ad Glauc. L. II. c. 4. p. 103.* ubi ſcirrhum ait infrigidando naſci. Ipſam ejus querelam de abuſu refrigerantium leges *L. III. p. 21. de ſimp. med. fac.*

h) *vid. Cent. I. curat. medic. III. ſchol. p. 36.*

§. XIV.

Qui humidam topicorum formam laudant, non carent multorum ſuffragiis, in primis ſi ſpectes, quid in tot morbis inflammatoriis fomentorum uſus præſtet. At nec deſunt, quorum judiciis premuntur, hinc enim excoecavit fere omnes opinio, inquit Io. Iac. Waldschmidius, *i*) in eryſipelate humida adplicanda non eſſe, cum tamen egregium lenimen adferant. Paulus *k*) inter veteres perliquida commendat, & ſpongiis madidis abluit eryſipelas. Nec Thom. Sydenham, qui poſt venam ſectam catharticum & mox paregoricum dedit, aliud præterea quam pro externo fotu decoctum præſcribit *l*). Ut ſtagnans in vaſe cedat, utroque modo obtinetur, dum vel laxato transmittitur vel adſtricto vaſe repellitur. Poſterius Galeno *m*) placuit, ob prius methodicos redarguit, qui omnem inflammationem laxantibus indigere crediderant. Metuendum omnino ab humidis & laxantibus eſt, ne pars adfecta, inprimis in corpore debili, nimis tonum ſuum amittat, & adfluentium humorum novis iniuriis pateat, magis in tali loco, cujus robur infregiſti, ſtagnantium. Addo externi fomenti in æquali tempore conſervandi inſtabilem virtutem. Ante omnia vero in capite ab humidis abſtinere hortatur Io. Munnick. *n*) Neque ſolum cataplaſmata hic reiicio, ſed & multis familiarem methodum, qua folia recentia & humore madida, vel in ſucco ſuo conquaſſata, imponunt, ut chærefolium ſubuiride polygonum, portulacam, ſem-

i) Op. *med. pract. L. VI. caſ.* 4.
k) *L. XXI. cap.* 4.
l) *S. V. cap.* 6. *p.* 280. ex radice althaeæ & liliorum, floribus maluæ ſambuci verbaſci meliloti, ſummitatibus hyperici & centaurii minoris, ſeminibusque lini & fœni græci. Huius decocti uni libræ ſpiritus vini uncias duas miſceri, & ſtupham panni lanei immerſam & expreſſam bis in die calide admoveri, denique partem adfectam charta emporetica in ſpiritu vini, cui aliquid theriacæ Andromachi piperis longi & caryophyllorum immittatur, madefacta circumvolui jubet.
m) *Chir. L. I. C. V.* §. 14.
n) vid. *Galen. meth. med. ad Glauc. L. II. C.* 2.

ſemperviuum aliaque, & in primis corticem medium viridem ſambucinum, cujus ipſe noxam probe notavi. Nec tamen laudata a tot eximiis viris humida penitus exulare jubeo, modo curæ ſit, pannos madefactos ſolerter exprimere, ut non niſi pertenui & tepido rore partes adfectas penetrent & adluant, cuius rei exempla dabimus inferius.

§. XV.

Reliqua farrago adſtringentium, incraſſantium, repellentium, unde vires mutuetur, ex dictis magna parte adparet. Hæ frigidis proprietates competunt, ſed & aliis multis, ut alcoholi vini, ſpiritui vini camphorato, theriacali ſimilibusque, non uno loco ab auctoribus commendatis. Sunt tamen ſubleſtæ fidei remedia, quæ quia plus nocent, niſi cito & innoxium repellant, non nimis extollo. Siccantia terreſtria, ut cretam, ceruſſam, bolos, quæ vulgus inſtrata charta craſſa cœrulea prædicat, minus metuo, ſiquidem non æque eorum virtus penetrat, ſed tantum corporis ſuperficiem ab externis iniuriis defendit, & exhalans liquidum magis ſiccitate ſua abſorbet. Puluis Mynſichti ad eryſipelas nimis virium adſtringentium habet. Paregoricorum placida vis longe utilius videtur opponi apoſtemati huic igneo, uti Helmontius eryſipelas vocat. Prodeſt hic farina ſecalis cum floribus ſambuci, vel inſperſa loco adfecto, vel quod melius, ſaccul⊙ incluſa. Majoris virtutis momentum accedet a miſcela leviſſimorum diaphoreticorum & diſcutientium, ſi dictæ farinæ ſecalis vel ſiliginis vel fabarum præter flores ſambuci & chamæmeli etiam pulverum radicis liquiritiæ & iridis florentinæ & pauxillum camphoræ addimus, cujus in pulvere admixti uſus magnam laudem meruit I. D. Gohlii o). Multi his ſaccul⊙s cuti calide imponendis præmittunt ſuffimigia ex maſtiche, thure, hyperico, ſabina, floribus ſtœchados vel ſimilibus. In corpore ſicciori præſtat ſaccul⊙s illos aqua florum ſambuci & pauxillo aceti ſambucini levi-

o) *vid. Comp. prax. chir. cap. VIII. §. 13.*

leviter irrorare. Alii epithemata ex his ipſis liquidis cum pauxillo ſacchari ſaturni & camphoræ probant. Si penuria remediorum ſit, GALENUS *p*) aquam & acetum ſufficere cenſuit. Quibus omnibus, modo refrenetur vis exundantis humidi, haud repugno. PRAEVOTIUS *q*) pannos aqua ſaponata imbutos, LINDANUS ſaponem venetum vino coctum & linteis exceptum commendant. IO. SCULTETUS *r*) negat, ſe quidpiam præſtantius ſcire, quam ſecretum illud a Chirurgo Germano communicatum, quod intra triduum tumores, gangrænam jam minitantes, diſcutiat, nempe lixivium ex cineribus vitis cum nitro, ſale & aceto, duplici ſplenio tepide adplicandum. Nec omitto, quod a celebri viro HENR. BASSIO præceptore ſuo accepit vir cl. SAM. SIM. CHARLEVILLE *s*) *remedium, & quod eryſipelas puſtuloſum in octogenario inter initia ſphaceli compeſcuit.* Coquitur nempe acetum vini cum ceruſſa & lithargyrio, quod hinc dulce & adſtrictorium evadit, & mox diluitur aquis calcis vivæ, ſolani, plantaginis & foliorum quercus, addito pauxillo myrrhæ & ſpiritus vini camphorati. His lintea imbuta & expreſſa calide admoventur & ſæpe renovantur, non contemnendæ virtutis, ob vim modice adſtringentem diſcutientemque. Cetera pleraque ut vana reiicimus, veluti eſt, filum ſericum circumligare. *t*) Puluerem ſemperviui manantibus eryſipelatis veſiculis IOH. LUD. ALPINUS cum ſucceſſu ait ſe inſperſiſſe, negat v. RIEDLINUS. *u*) Non irrita ſolum, ſed & noxia ſunt maturantia, quæ ad ſphacelum, & valde adſtringentia, quæ ad ſcirrhum adducunt. *Pinguibus & oleoſis, poros obſtruentibus, vis ineſt generandi eryſipelas in ſenſibilioribus, genitum facile* in

p) Eius reliqua contra eryſipelas remedia recenſet in *comp. med. per genera L. V. p. m.* 252.
q) vid. *Eph. Nat. Cur. D. I. H.* 4. & 5. *App. p.* 56. *in mict G. H. Welſchii.*
r) *Obſ.* 98.
s) vid. eius *Diſp. inaug. de eryſipelate puſtuloſo Hal.* 1740. *p.* 20.
t) *Eph. Nat. Cur. D. III. A. I. O.* 26. *p.* 49.
u) *Eph. Nat. Cur. D.* 3. *A.* 9. & 10. *obſ.* 149. *p.* 275.

in funeſta mala præcipitant. Ita vidit GUIL. FABR. HILDANUS *x*) inuncto tantum oleo roſarum eryſipelas in gangrænam verſum.

§. XVI.

Eryſipelas capitis & faciei topicis vel nullis vel cautiſſime electis & maxime paregoricis tractetur. Nempe ingens inſtat circa illa loca redundantis mali periculum. Quo inter deliria ſoporesque & alia funeſta ſigna ingruente, prudentia medici in uſu veſicatoriorum, ſcarificationum, hirudinum, & maxime, ut ſuperius ex IO. FREINDIO docuimus, purgantium, non ſemel ſed aliquoties iterandorum, provide in ſpem revulſionis verſetur. Factum ſæpe eſt, ut repulſus hoſtis paulo poſt ſcarificata loca inſederit. Si externe hærens malignitas in ſuppurationem tendit & ſphacelum, velut ominantur dolor profundus & color liveſcens, occurrendum eſt cito. Contumaciſſima enim ulcera & multorum annorum ſæpe ſequuntur. Quale ab eryſipelate natum relictumque per triginta tres annos, nunc ſalivatione nunc unguento aureo aliisque dubio ſucceſſu tractatum, medici Berolinenſes *y*) deſcribunt. Quæritur in tali caſu, utrum ulceribus tam vetuſtis & rebellibus mederi, an potius, ut fonticulos corporis impuri ſalubriter ſcaturientes relinquere intactos ſatius ſit? Adſeverare auſim propria experientia fretus, poſſe ægrotum, non nimis impuri corporis, nec fractum adeo viribus, præceptis autem medicis ſollicite auſcultantem liberari ab hoc malo, licet unum alterumve annum exceſſerit, modo corrigere humores, moderari vitalem circuitum, ſubſidia excretionum & ſecretionum inſtaurare, externis deinde partibus per abſtergentia & antiſeptica ſanatis robur ſuum reſtituere connitamur. Efficit plerumque abuſus fomentorum humidorum, ut partes, in quas ob ſitum decliviorem plus ruunt interni humores, relaxentur nimis & enerventur, amiſſo-

x) *Obſ. chir. Cent. I. O.* 82.

y) vid *Act. Med. Berolinenſ. V. VII. p.* 56.

missoque elatere suo perpetuam colluviem circum se sistant. Subsidia ceteroquin eorum ulcerum liquamen myrrhæ & oleum ovorum, tinctura florum hyperici, balsamus peruvianus ut & terebinthinata & alia balsamica spondent, accedentibus saturninis, quæ talia in situ suo coërcent. Contra gangrænam sphacelumque designati superius fotus multum promittunt, sed abstineo ab his seorsim tractandis, quia non amplius de statu erysipelatis, sed sphaceli ex suorum remediorum classe tollendi, quæstio est.

§. XVII.

Circa diætam, quæ convenire dictis debet, non hærebo multum. Aër temperatior sit, vel *leniter humectanti* & refrigeranti propior. *Quies præstat quam motus, hinc* & *motus animi* ac pervigilia sopiantur. Alvus lubrica sit, diaphoresis facilis, ad quam conservandam potulenta calidius sumpta, sive sorbitiones infusorum multum faciunt. Laudamus ex horum numero serum lactis vel potus hordeaceos, vel cerevisiam, si æger desideret, tenuem. Exulet vinum, longe plus salsa, aromatica, acria, ut sinapi, raphanus, cepæ, carnes suillæ vel anserinæ, vel aliæ nunc sale maceratæ *nunc* fumo duratæ, ut & pinguia & oleosa, vel quidquid obstruere *interne*, & in diaphoresi tantopere quæsita plus novi obstaculi producere *valebit*.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
CUNIS INFANTUM MAXIME NOBILIORUM
PUBLICE PROPOSITA
GOTTINGÆ, D. 1 SEPT. 1745.
RESP.
JO. GOTTL. FRIDERICI,
LIPSIENSI.

§. I.

Quemadmodum alia herba eſt tenera & vix ſulco eminens, alia dum convaluit molli culmo, alia dum flaveſcit & ſpica ejus induruit, ut cum SENECA loquar *a*); ſic ætas humana non niſi per lentos & ambiguos gradus ad aliquam vitæ conſtantiam enititur. Levis tempeſtas ſpem in herba ſuffocat, parvæ *injuriæ hominem* in ortu exſtinguunt. Inter centum *natos plus* quam triginta ante tertium ætatis *annum* ex *viventium* numero iterum decedere, calculus eſt IO. GRAUNTII *b*) aliorumque. Major etiam illa ſtrages eſſet, niſi inſtinctus amoris, qui parentum animos ſollicitat, pro tenellorum ſalute tantopere excubaret. Verum quod ignorant

a) *Epiſt.* 121. *Op. T. II. p.* 603. *Ed.* GRONOV.
b) v. ei. *Anmerkungen der Todten-Zettul der Stadt Londen. p.* 19. *Conf.* ACT. MED. BEROL. D. II. *V. I. p.* 87. *it. V. III. p.* 36. *it. V. V. p.* 78.

rant partim, quibus maxime præſidiis infantilis ætas fulcienda ſit, partim curas ſuas in eos transferunt, qui rem oſcitanter ſæpe vel perverſe agunt, hinc errorum funerumque nova etiam ſeges exſurgit. Vix igitur medicorum opera in laudabiliori argumento verſari poteſt, quam ſi illas adeo metuendas vitæ inſidias a *cunis infantum, maxime nobiliorum principumque*, quibuscum integrarum regionum ſalus ſæpe periclitatur, arcere contendat. Atque hæc ipſa erit pro ingenii modulo præſentis laboris meta.

§. II.

Dum cunas infantum appello, tenerum illud ætatis ſpatium intelligo, quo cunæ ſeu *lectuli illi mobiles*, in quibus pueri cubant, cunabula & incunabula, ſeu vincula & faſciæ, quibus colligantur infantes in cunis poſiti, aliaque huc pertinentia, primam cuſtodiam offerunt, quamvis incerti termini, ſi in primis alios compares cum ALCUMENAE gemellis, de quorum altero BROMIA:

neque enim quisquam colligare eum quivit incunabulis c)

Luculentius eam hic orientis vitæ conditionem deſigno, quæ nec loquelæ facultatem, nec uſum inceſſus, nec indigentiæ ſuæ & ſalutis ſenſum habet, & tota ab aliorum lege & arbitrio pendet. Accedunt medici ad tam tenellos plumbeis pedibus tanquam ad myſteria. Quis enim, ut HARRISII d) verba mea faciam, querulos illos vagitus & incertum proterviæ idioma exacte interpretetur? Fallit ipſe pulſus ex levi cauſſa crebrior, & lotium in ſaniſſimis infantibus craſſum. Nec deſunt tamen ex ipſo infantilis corporis habitu petenda, quæ intellectum dubitantis medici plenius inſtruunt. Norunt omnes, conſtantiſſimæ veritatis eſſe, hominem, quo proprior origini eſt, plus cerebri nervorumque habere. Lucem, qua id illuſtret, ſatis affudit anatome, nec vulga-

c) PLAUT. *Amphitr. Act. V. Scen.* 1.

d) *De morb. infant. ac. p. m.* 2.

vulgares pictores ignorant, quam adulti & infantilis capitis disparratio sit, secundum cereras corporis partes æstimata. Vnde mirum non est, inter centenos infantes vix unum sine convulsione occumbere, & hanc ob systema nervosum, adeo teuerum & irritabile, ad leviſſimam injuriam oriri, quam adultior æras vix sentit. Nec vero minus in illa ætate notanda est humidiſſima temperies, quum vasorum sensim occallescentium nunquam sit major numerus, nunquam mollities major & dilatabiliras. Quodsi cum crasi illa molli, nervosa, humida, diætam conjungimus lacteam similemque in debili corpore facile acescentem irritantemque, unde morborum ex acido larga progenies; facile existimem, ex his paucis, si vitia incrementi & externas injurias simul attendimus, quid scitu opus sit medico, inveniri, & inter exiguas quæstiones ad illos, qui infantis curam habent, confirmari.

§. III.

Primum statim auxilii genus, dum ad aërem & lavacra admittitur infans, recens & secundum ordinem naturæ natus, a vario erroris contagio est vindicandum. Habent illud plerumque nobiliores in potestate sua, purum & salutarem aërem in idoneo & elatiori cubiculo infantibus suis impertiendi, quum tenuioris sortis homines non alium aërem, quam qui sordidum tugurio-lum perflat, sive ruri sive in urbibus, in multorum convictu concedere possint. Verum priores contaminant hoc fortunæ suæ beneficium perpetuis illis artibus calefaciendi cubicula, suffimigiis non semper nervoso generi amicis implendi, & renovando aëri aditus occludendi. Alia veterum consuetudo erat frigidiusculo non solum aëri exponendi tenellos sed & frigida lavandi. Si avorum exemplum spectamus, infantulos ab utero calentes ad flumen deferre, & de naturæ vigore periculum facere, corpusque sic roborare oportebit. Damnat institutum GALENUS *e*) & dum suam de re illa sententiam fert, non magis, ait, Germanis aliisque

e) *De Sanit. tuend.* L. I. c. 1.

que ſe ſcribere, quam urſis, apris & leonibus. Pro lenienda avorum culpa vix illud quidem ſufficiet, ſtatim diſcernere eos voluiſſe robuſtiores, contemto imbecilliorum periculo, nedum illud, factum ideo eſſe *f*), ut ſpurios cognoſcerent, quos ita mergi, reliquos emergere putaverint: nam alterum temerarium, alterum quoque ſuperſtitioſum eſt. Quum eadem tamen STRABO *g*) de Hiſpanis, Celtis, Scythis, Thracibus aliisve teſtetur, mulieresque ſcribat, in ipſo opere agri colendi parientes mox lavandorum infantum cauſſa ad alveum alicujus amnis properare; non male exinde colligere poſſis, conſuetudinem pluribus gentibus probatam, haud inter tot ſuorum funera natam, ſed ex crebri experimenti ſucceſſu ut ſalutarem receptam eſſe, quamvis eam imitari mollioribus gentibus impune non ſit. Haud diffitemur, fotu caloris egere omnino tenellos, & exceſſu frigoris micantem leviter vitæ ſcintillulam facile exſtingui, quemadmodum legimus vel frigidiorem ſacri lavacri undam exitium aliquando attuliſſe *h*). Certum tamen non minus eſt, modicum frigus & aëris & lavacri reſpirationem debilioris etiam infantis ſalubriter intendere, & quæ in primis viis expulſione egent, ac primæ morborum cauſſæ ſunt,

f) Vid. GUID. PANCIROLLI *Rer. memor. ſ. deperdit. P. I. Tit. de horolog. p.* 179. Hinc a NONNIO in Dionyſiacis *ὀνὸς ἴβηϱ* quaſi Zelotypus dicitur, & apud CLAUDIANUM L. II. in RUFINUM hæc verba occurrunt:

naſcentes explorat gurgite Rhenus.

g) Vid. ei. *Geograph. L. III. Ed.* Jo. WOLTERS *Amſtel.* 1707. *p.* 250. POSIDONIUS ibi ex CHARMOLAO narrat, Maſſilienſem feminam inter alias mulieres virosque ad foſſionem conductam & partus inſtantis cauſſa ab opere digreſſam ſtatim rediiſſe, ne mercedem amitteret, & re cognita dimiſſam extuliſſe infantem ad fonticulum, lotumque & pannis involutum pertuliſſe domum. Sic feminis Tapoiyarum apud G. MARGGRAV. *Hiſt. rer. natural. Braſiliens. p.* 281. hunc morem eſſe legimus, ut puerperæ & infans mane ac veſperi frigida abluantur. Quin & ipſam politioris Italiæ diſciplinam & vitam ita extollit VIRGILIUS *Aeneid. L. IX. v.* 603.

Durum ab ſtirpe genus natos ad flumina primum
Deferimus, ſævoque gelu duramus & undis.

h) *v.* FR. MAURICEAU *C. V. O.* 422.

ſunt, a corruptione per moram metuenda tueri. Antiquorum multi cum vino & aqua ſalſa abluebant *i*). Atque omnino peropportunum judicamus, ab initio ſtatim nativitatis *k*) ſordes corporis a lympha amnii adhæreſcentes & cutem inſtar lanuginis tegentes vino tepidiuſculo abluere. Id quod apud PLUTARCHUM Lacedæmonum feminæ obſervaſſe videntur, perſuaſæ, ita habitu firmari infantes *l*). Qui aquam calidam cum plerisque unice laudant, non ſemper debilioribus, humidioribus, flatulentis, hernioſis recte conſulunt. Sed diſtinguenda ſunt lavacra, quæ recens natis & quæ paullo poſt per progreſſum infantiæ adhibentur. Vbi generatim notandum eſt, frequens lavacrum, in primis mere aquoſum, infantis corpus flaccidum & imbecille reddere, hinc ubi AVICENNA *m*) bis in die aut ter lavari voluit, id OMNIBUS FERRARIUS nonniſi ſemel concedit, in quartum usque a natali menſem, deinde idem fieri alternis diebus ad menſem ſeptimum jubet, poſtea, donec ab ubere removetur infans, bis in hebdomade *n*). Optimum tempus a ſomno eſt & perfecta digeſtione, ne corpus crudo alimento impleatur. Hieme omnino tutius

i) Vid. *Harmon. Gynæcior. p.* 35.

k) Cruſtam quaſi aut mucilaginem viſcidam MICH. ETTMULLERUS vocat, ob quam cutis in prima alteraque hebdomade iteratius abluenda, & ut pori melius aperiantur, ipſo adjumento ſaponis, immo addito poſt hæc lixivio communi. Prax. L. V. de Morbis infantum C. III. Artic. 2. p. 597. Op. T. III. Ed. JAC. MANGET. Genev. 1736.

l) Vino ſcribit non aqua abluiſſe in LYCURGO *ſuo Op. P. I. p.* 49. *Ed.* GUIL. XYLANDRI. Sed dum addit factum eſſe, quod mero crederent flacceſcere comitiales & morbidos, ſalubres dureſcere, elucet ſimiliter barbarum illud ingenium, quod vitam tenuem infantum, ceu patriæ parum utilem, tanto periculo exponeret. Hinc malim locum non tam de prima ablutione cum vino diluto tepidiuſculo, ſed ſubſequente illa iteratiori cum frigido vino intelligere.

m) 1. f. 3. doc. 1. c. 1.

n) De *arte medica infantum* L. I. p. 47. Hinc & HIERONYM. GABUCINUS *de comitiali morbo* p. 81. Ed. Ald. Venet. 1561. periculum non mediocre vocat, lacte crudo in ventriculo hærente lavari, & nutricibus imperat, id poſt longiſſimum ſomnum demum facere. Conf. ANDR. BACCIUS de thermis L. VII. c. 20. p. 401. Ed. Rom.

tutius eſt, & locum calidum eſſe & aquam calidam cum ſiccis floribus, ut roſarum, chamæmeli, ſalviæ, menthæ, paullo ante ebullientem. Aeſtate & temperatior locus ſit, & aqua tepidior, florumque tinctura ſuavior. Alia pro lavacro liquida, ut aquas minerales, lac, lotium, lixivia, rejicimus. Ceterum cautiones illas in lavando neceſſarias, ut lenis fictus lavantis manus maxime per loca concava, ſordibus fovendis proniora, ut axillarum & inguinum oberret, ad cava aurium, quæ reſtagnante aquarum palude admodum læduntur, ſollicite attendat, & totum corpus pannis calidis mollibus ſiccisque ſuaviter exſtergat, tradi ſatis ab aliis & præcipi video.

§. IV.

Nec minus errorum & negligentiæ occurrit circa faſcias infantum. Negandum non eſt, membra tam cerea ob vagi & inſtabilis ac facile aberrantis motus periculum coërcenda leniter eſſe & ſuſtinenda, neve nunc rudior attactus externus, nunc obliqui procubitus parvulorum ex latere in latus, diductis ſpinæ vertebris, & enervatis cito partibus, quæ in longiori tenſione ſunt, deformitatem artuum & vitia incrementi pariant, corpus æquali vinculo fulciendum eſſe. At nimiam naturæ vim inferunt, qui imprudenti & arctiori conſtrictione ſuffocant vaſa cutis, ac plura gignunt circulationis incommoda, in primis humores ad ſuperiora urgent, dentitionis difficilis incommoda cito excitant, aliasque ſucceſſu temporis magnorum malorum cauſſas ſtabiliunt. Rident teſte GUILIELMO PISONE o) matres Braſilienſium ineptam noſtrorum induſtriam in veſtiendis & educandis pueris, qua ajunt perſpirationem impediri, & catarrhos aliaque mala generari. Nulli ſunt, ait PISO, in illa gente ſtrabones, luſciosi, claudi aut gibbo deformati, quum tamen faſciis & linteolis recens nati nunquam involvantur, aut Europæorum more ligentur. Ligant tantum teſte GEORG. MARGGRAVIO recens natis in

o) Tapacura vocant, vid. *de Medic. Braſiliens. L. I. p. 6.*

in infantia crura certo fasciarum genere *p*), quamquam & hic præclare moneat cel. I. Z. PLATNERUS *q*). Præceptor eximius, varos, valgos, compernesque fieri pueros adductioribus pedum fasciis, ob marcescentia ligamenta & emotas ossium epiphyses. Speciatim ex pectore nimis constricto gibbos fieri & in tabem incidere infantes, vel ad crebros vomitus compelli & hernioſos evadere, queritur FRID. HOFFMANNUS *r*). Apud excell. H. P. IUCHIUM principem infantem a strictiori fascia hecticum evasisse, & coalitum internorum viscerum exhibuisse *s*), alium apud cel. PLATNERUM in erysipelas totius corporis incidisse legimus *t*) Tam flexilis infantum mollities est, tam imbecillia ligamenta, tam mollis ossium in appendicibus suis commissura, ut illa vis ipsam solidiorum partium compagem invertat. Solet hic rursus nobiliores maxime feminas (nam vulgares illa cura non tangit cum magno vitalioris prolis commodo) ille error fascinare, ut decoram conciliaturæ rectitudinem corporis tenellos mature thoracibus involvant, unde ingens imbecillitas & crebra rhachitis cum aliis malis ex parte enarratis *u*). Optime munere suo nutrix defungitur, quæ omnia infantis membra voluens molliter & aptans sublata sub pannis fascia æqualiter circumvoluit, ut cervicis dorsi totiusque spinæ æqualis tractus sit, & operæ rite præstitæ ipsum infantem testem habet, quiete nempe & sine ploratu illa vincula ferentem. Ceterum sub injectu fasciarum quæ OMNIB. FERRARIUS *x*) addit, ex parte sat bona sunt, ex parte non nimis magni momenti, uti sunt: digitis purgare nares, oleum dulce oculis infundere, vesicam pro exitu lotii comprimere, anumque, si opus, immisso digito dilatare, signo crucis etiam nocturnam ac maleficam strigem arcere. Suadet idem quarto menſe

p) *l. c. p.* 269.
q) *In Diss. de Thoracibus §. 5. p. 15.*
r) De Regimine recens nat. Cap. II. §. 1. p. 472. Op. T. II.
s) In Diss. de usu & abusu involutionis & fasciationis infantum Erf. 1730.
t) l. c.
u) De qua re fusissime laudatissimus PLATNERUS l. c.
x) l. c. L. II. p. 49. 50.

menſe manus & brachia ſolvere, decimo etiam pedes, thoracem autem & ventrem non ante biennium.

§. V.

Alimentum indigentiæ tenellorum congruentius nullum eſt ipſo materno lacte, quum ſub nexu novem menſium eandem quaſi vitam cum matre infans in utero vixerit, adeoque ſalubriter in aſſueti pabuli uſu pergat. *y)* Verum dudum eſt, quod principes feminæ, formæ & commoditati ſuæ litantes, ab onere alendi infantis etiam inter ſuffragia aſſentantium medicorum diſpenſari cœperint; quanquam vix ulla dignitas, vix ullus conſenſus ab eo diſpenſet officio, ad quod natura & fabrica corporis vocat, inflans a partu mammas, & lactis, quod ſæpe non ſine periculo repellitur, alueos aperiens. *z)* Videas ſæpe, ſenes etiam matres felicius lactare iuvenibus illis nutriculis, an meretriculas dicam? In Actis Anglicis feminam pauperem LXVIII. annorum ita gemellos lactaſſe legimus, ut robuſti, toroſi & optimo ſanitatis colore per-

y) Paucæ ſunt, quæ cum BLANCA matre LUDOVICI SANCTI acerbe ferunt, vel peripſum morbum ab hoc officio excludi. Illa nempe cum febre correpta eſſet, & a filiolo deinde, qui ab alterius nobilis matronæ ubere interea pependerat, faſtidita, rem ſubodorata in os filioli digitum intruſit, ut lac alienum euomeret. Vid. VARILLAS de la minorité du S. LOVIS p. 110. & ex eo P. BAYLE Dictionaire Hiſtor. & Crit. p. 97. T. II. n. *C.*

z) Concinne FAVORINUS ad puerperam ſenatorii ordinis ſcripſit: *quod eſt enim hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus, peperiſſe ac ſtatim ab ſeſe abieciſſe? aluiſſe in utero ſanguine ſuo neſcio quid, quod non videret; non alere nunc ſuo lacte, quod videat, jam viventem, jam hominem, jam matris officia implorantem? an tu quoque, inquit, putas naturam feminis mammarum ubera quaſi quosdam nœvulos venuſtiores, non liberorum alendorum, ſed ornandi pectoris cauſa dediſſe? ſic enim, quod a vobis ſcilicet abeſt, pleræque iſtæ prodigioſæ mulieres fontem illum ſanctiſſimum corporis, generis humani educatorem, areſacere & exſtinguere cum periculo quoque averſi corruptique lactis laborant; tamquam pulchritudinis ſibi inſignia devenuſtet.* Vid. AVL. GELLIUS. Noct. Att. L. XII. c. 1.

perfuſi adoleſcerent. *a)* Accidit infanti, quod plantis in eodem loco, quo natæ ſunt, perſiſtentibus, quum alio translatæ radicibus non bene firmatis facile areſcant. Quemadmodum homini cachectico per transfuſum ex ſano corpore ſanguinem nunquam bonos humores reſtitues, quippe proprii corporis fabrica parandos, ita lac alienum, quamvis omni charactere ſaniſſimum, fere ſemper infra illam virtutem nutriendi erit, quæ eſt in materno. Non dicam de amore & moribus alumnorum ac propagatis cum lacte malis propenſionibus, ſecundum illud MACROBII, valere ad fingendas corporis & animi ſimilitudines uti vim & naturam feminis, non ſecus lactis quoque ingenia & proprietates. *b)* Singulare hic etiam eſt, quod Io. NIC. PECHLINUS notat, ne poſſe quidem feminas, ex longa ſerie non lactantium natas, lactare, ubi velint. Macrocephali apud HIPPOCRATEM *c)* arte primum faſciarum formabantur, deinde tales ſine hac arte naſcebantur. Sinenſes acuminatos pedes, quos curæ primum & adſtrictioni, nunc naturæ debent: ita PECHLINUS mammarum habitum obſtructis lente tubulis corruptisque in liberos progagari cenſet, ineptos ideo ad lactandum. *d)* Verum quum fieri quoque poſſit, ut matres cachecticæ ſint, ulcera mammarum habeant, papillas excoriatas ac ſimilia, imo dubitare fas ſit, an ſplendidæ & nobiles feminæ, inter otia & delicias enutritæ, ludorum, chorearum, theatrorum amantes, & ad moleſti officii ſenſum moroſæ artisque præceptis refractariæ *e)*, merito ad lactandum admittantur; tunc quidem mercenaria nutricum opera damnari neutiquam po-

a) Vid. Transact. Anglic. n. 453. Obſ. X.

b) *Saturnal.* L. 5. c. VI. p. 472. Edit. GRONOV. *Rapit nutricula, inquit.* Jo. NIC. PECHLINUS, L. I. Obſ. 46. p. 106. *blanda illa & ridentium infantum ora, tradit e diverſo ingeneratque mores non matris, ſed ſuos.* Amore nutricis CORNELIUS SCIPIO damnatis ad mortem militibus quibusdam ignovit, pro quorum ſalute fruſtra interceſſerat frater SCIPIO AFRICANUS.

c) *De aëre, aquis locis* XXXV. p. 348. V. I. Ed. LINDEN.

d) l. c. p. 107.

e) Sic BERNH. RAMAZZINI vocat Op. Lond. 1718. *p.* 24.

poteſt. Curioſa magis ſunt, quam in uſum trahenda, quæ de infantibus ab animalibus nutritis HENR. KORNMANNUS, *f*) & de nutritione infantum ſine miniſterio nutricis ephemerides Gallorum *g*) recenſent. In nutricum vero ſelectu *h*) non externa ſanitas & vividus color, nec lactis ſalubrior character *i*) unice attendi debent, ſed potiſſimum convenientia nutricis cum matre infantis, ratione ætatis, formæ, temperiei, & temporis partus. Si mater iuncea eſt, talis ſit nutrix, ſi tenera, hæc non ſit torosa, ſi iuvenis, hæc non ſit vetula, ſi hodie peperit, hæc non ante annum. Nec gravida ſit, nec menſium fluxum rurſus experta, nec

f) Miracul. viu. p. 47. ad 56. Conf. AELIAN. Var. hiſt. L. XII. c. 42.

g) Nempe ipſe ſenatus major Pariſienſis anno 1680. d. 19. Aug. rem hanc quibusdam medicis & chirurgis cum binis iuratis feminis commiſerat, cum ſalubris & æqualis nutritio ob multos animi affectus ægritudines corporis & alia incommoda minus a nutrice ſperanda ſit. Inquiſiverunt, quid chylo proximum ſit, & pro digeſtione ſua nullo fere calore egeat, parum in ventriculo ſubſiſtat, facile diſtribuatur. Cogitatum eſt de lacte animalium bene temperato, & de mammis artificialibus ex tela ſericea tenui vaſi ſtanneo accommodatis. Multa hic argute definiuit cl. du VAL.

h) Ios. VULPINI *Op. pract. & phil. de requiſitis bonarum nutricum &c.*

i) Ut ſit guſtu & olfactu ſuave, & ſpeciatim ratione conſiſtentiæ ungui pollicis inſtillatum nec diffluat nimis tarde nec ſubito, ratione coloris ſubcæruleum, non impenſe albicans, nec in flavedinem declinans, ratione ſaporis, nec ſalſum, nec acidum, nec amaricans. Nec explorari hoc lac debet niſi aliquot horis a paſtu nutricis, & in utrisque ejus mammillis. Eſt vero, licet lac unum videatur, omni fere hora aliud, & diverſo gradu nutriens. Reliqua adſpernamur; ut illud VITALIS DE FURNO *de conſerv. ſanit.* Mogunt. 1531. p. 181. ubi lac nigræ mulieris melius quam albæ nutrire ſtatuit, vel illud PAREI *Op. L.* 23. *c.* 21. eligendam eſſe, quæ marem enixa ſit, ruſam reiiciendam. De coloſtro illud adhuc moneo, ejus a partu uſum improbe tenellis negari, & a MICH. ETTMULLERO *Prax. L. V. c.* 4. §. 3. *de morb. infant.* pro cibo medicamentoſo, qui laxandi vi præditus meconium felicius eliminet, non citra cauſam haberi. conf. FRID. HOFFMANNUS *de regim. rec. nat. c. II.* §. 3. MICH. ANG. ANDRIOLLUS *domeſticor. auxilior.* p. 310. Tr. V. Ed. Venet. 1698. Jo. DOM. SALA *de alimentis* Patau. 1628. p. 125.

nec facile ultra triginta annos, ceterum pinguedinis mediocris, pectoris ampli, uberum prominentium. In hoc etiam, si fieri possit, antecellat matrem, ut bene morata sit, vigilans, exercitata, ad leges boni regiminis attenta, non meticulosa, libidinosa, bilioſa, iracuda, quibus vitiis lac varie corrumpitur. Errorum circa hæc ingens numerus est, quorum potiores attingemus. Sunt, qui robustioribus nutricibus ruri petitis optime existiment infantes committi, qui tamen a mollibus & delicatulis parentibus nati male lac illud agreste coquunt. Nec error levior est, quod ubera præbere ad omnem statim infantum ploratum nutrices admoneantur, quum reluctantes tenelli sæpe vomitu, flatu, convulsione, quam sibi oneri sit pabuli copia, testentur. Tanto hic rectius agrestes feminæ inter domesticas operas ter vel quater lactant, *k*) nec ploratu infantum, *l*) cujus cruditas frequentior causa quam fames est, nimis commoventur. In aulis & apud ditiores præter ubertatem lactis, qua infanti consultum putant, etiam de nutricum nimis lauta diæta cogitant, & meracas potationes victumque aromaticum iis indulgent, unde primariorum puerorum frequens languor ac strages. Ita H. Boerhavius *m*) vidit ab hilari & temulenta nutrice ebrium nobilem puerum, paullo ante saniſſimum, horrendas convulsiones perpessum. Neque solum in nutrice lautius sustentanda, sed & medicamentis præservanda peccant. Ita princeps puellus ex nutrice, cui medicamentum purgans medicus exhibuerat, avide sugens hypercarthasi *n*) periit. In qua re non tam nocuit usus pharmaci, quam cito nimis ab eo assumto oblatum uber, quippe quod nunquam

k) Paulus Aetius & alii, bis tantum aut ter de die lactari volunt. Mavult Ant. Santorelli sæpe & parum. v. *ei de sanit. nat. L. 22. C. 4. p. 493. Ed. Neap. 1643.*

l) Ploratum clamoremque, quod pulmonem dilatet melius, nares, os, oculos expurget, calorem natiuum vegetiorem reddat, non vult inhiberi nimis A. Pareus *Op. 23. C. 23. p. 680.*

m) *In prælect. acad. in proprias institut. c. comment. Ill. A.* Halleri *T. V. P. II. p. 449.*

n) v. Herm. Boerh. *præl. in instit. c. Comm.* Hall. *l. c. p. 450.*

quam ſtatim a crudis cibis vel medicamentis ingeſtis offerri debet. Nocet æque lac a longo nutricis ieiunio, quam proxime a paſtu, optimum vero eſt, quod poſt tres quatuorve horas probam in corpore coctionem ſubiit. Addo & illum errorem, quo nutrices opere ſuo proſpere defunctæ mox natis in ea domo aliis præficiuntur. Fuit nutrix teſte Jo. Georg. Sommero *o*), quæ nobilem puerum commode lactavit, natam hinc ejus ſororem pariter lactare juſſa, ſed ſiniſtro ſucceſſu, inter tormina, alvum obſtructam convulſionesque. Siluit malum ad medicinam, verum nutrice lac iterum præbente recruduit. Præbuit lac aliis infantibus æque ſiniſtro effectu, qui non niſi ad novam nutricem plane remiſit. Adeo nimirum pro gradu illo ætatis tenuiori lacte egent infantes, & pro hac indigentia mire differt lac puerperarum a lacte alterius nutricis annuæ, quod prius purius ſit & multo ſero dilutum, ac melius detergens, poſterius craſſum, obſtruens & in coagulum proclive, adeoque recens natis admodum noxium. Illud adhuc intactum relinquere nequeo, bene conſuli parvulis protracto lactationis negotio ad unum imo alterum annum, quod minus corruptelæ obnoxius ſit unius & ſimplicis nutrimenti uſus, inde etiam dentitio facilior & a vermibus immunitas obtineatur. Certe quamdiu primis dentibus haud alii fortiores ſuccedunt, danda non ſunt, quæ majus maſticationis molimen poſtulant, firmatis autem dentibus per gradus firmiora concedi debere, inter motus ſenſim auctiores, neutiquam inficiamur. Ab initio quidem, aliquo tempore ante ablactionem merito pulmenta & alii cibi boni ſucci & facilis coctionis interponuntur. Non tam conveniunt pulmenta ex farina triticea, qualem cum lacte coctam præmanſamque nutrices ſæpius ruditer in fauces repugnantium infantum *p*) intru-

o) Miſcell. nat. Curioſ. Dec. II. Ann. 6. obſ. 7.

p) Quæ querela eſt C. F. Paulini Obſ. med. phyſ. 51. cui adde ipſam, quæ tenellis fraudi eſt, nutricum voracitatem. Pulchre in equ. Aristoph. A. II. S. II. Agonicritus populum male a Critone nutricum more paſci ait:

μασώμενος γὰρ τῷ μὲν ὀλίγον ἐντιθεὶς
αὐτὸς δ' ἐκείνῳ τριπλάσιον κατέσπακας.

intrudunt, quam ex pane bis cocto cum aqua & ſaccharo. Carnes vero, fructus horæi & alia cruda, nec non vinoſa, quæ ſtimulant nimis, & aquoſa, ut infuſum Thee, quæ nimis relaxant, longe abſint.

§. VI.

Ut fœtus, quamdiu in utero manet, perpetuo quodam ſomno opprimitur, ſic ubi utero egreſſus eſt, maxima ex parte dormit *q*). Propterea ſomni immenſi, judice H. MERCURIALI *r*) ipſis minime morboſi ſunt, imo ſine hoc beneficio ſub quocunque nutricatu tabeſcunt. Poſt ablutiones, ſuctumque lactis bene infans compoſitus & nutricum aliquamdiu brachiis, deinde ipſis cunis blande agitatus facile in illa proclivitate ad ſomnum quieſcit, ſilentibus maxime externis irritationum cauſſis. Caveatur vero, ne concitatior & concutiens cunarum motus vertigine quodam ſopiat, & hebetudines relinquat, cum moderatior ſimul ut ſpecies exercitationis proſit, reſpirationi percommoda. Accedant pro ſomno ciendo lenes ſuſurri, & ſuavia in primis vocis modulamina, vel ut AUSONIUS vocat, nutricum lemmata lallique ſomniferi modi *s*). Si perſiſtit in fletu infans, faſciæ inſpiciantur, an ſtrictæ nimis ſint, vel immunditiem ſordium, vel aliquid rei pungentis comprehendant, quibus ſæpe ſublatis non ſuavis modo ſed & longiſſimus ſomnus ſequitur. Si ex cauſſa morboſa gravati ventriculi & corrupti lactis dolores nati irritant, prodeſt mellis aliquid, ore vel & clyſmate accipiendi. Maxime acori, in quem degenerant aſſumta, in temperie tam humida, nil efficacius medetur, quam largior uſus teſtaceorum, quibus tempeſtive adhibitis GUALT. HARRISIUS *t*) certius in tenellis demul-

quia ubi præmandes, in os paullum ipſi ingeris,
tu vero triplo plus quam alumnus devoras.

q) ARISTOT. *L. V. c. 1. de gener. animal.* Id. L. IV. c. 10. infantes ſcribit ante quartum ætatis annum non ſomniare.

r) de morb. puer. L. II. cap. 9.

s) Ep. 16. ad PROB. v. 88.

t) l. c. p. 55.

demulceri dolores & vigilias compeſci judicat, quam per opiata in adultis. Non eſt funeſtior opiatorum vis, quam in debilibus, maxime ab imperita nutricum manu nunc requies Nicolai, nunc philonium romanum ſimiliaque clanculum oblata ſæpe perpetuas fatuitates *u*), ſæpe convulſiones mortemque pepererunt, quorum non longe arceſſenda exempla ſunt.

§. VII.

Ubivis vero attentior oculus irritationes, quæ in convulſionem infantilem tam facile terminantur, quamvis raram nóxæ ſuæ ſuſpicionem injiciant, omni ſtudio & contentione arcet. Primis a nativitate diebus *fere omni cauſſæ diffidendum eſt, quæ vel ſolos infantum externos ſenſus gravius afficit.* Quæſivit ARISTOTELES, cur ante ſeptimum diem plurimi puerorum convulſione intererant *x*)? additque ideo ſeptimo nomina imponi, quod jam ſaluti eorum magis confidant. Adeo nimirum in nimio discrimine poſita præcedentium dierum vita pro nulla habita eſt. Huc redit, quod PLINIUS *y*) neget morem gentium eſſe, hominem priusquam genito dente cremari. JUVENALIS minorem igne rogi vocat *z*), quod ita interpretor, illam vitæ umbram nondum

u) Officiunt opiata, inquit MERCURIALIS, corporibus, & ingenium puerorum mirifice retardant. de morb. puer. L. II. c. 9.

x) Hiſt. animal. L. VII. c. 12. Natum hinc proverbium eſt bovis ſeptem dierum, ſi quem ſtupidum & vix hominem eſſe dicere volebant. SUIDAS diem & ſeptimum & decimum ponit, (ſub voce δεκατεύειν) quo ſimul convivia ſunt celebrata. Tapugarum pueri octavo demum anno circiter in hominum numerum dicuntur adſciſci, dum auriculas & labium inferius iis perforant. vid. I. C. SAGITTARII. Corp. Hiſt. Herald. Cæterum quod MACROBIUS in ſomn. Scip. L. I. c. 6. de ſepteno dierum numero hic habet, non multum veri continet. *Poſt dies ſeptem* inquit, *infans jactat reliquias umbilici, poſt bis ſeptem incipit ad lumen viſus ejus moveri, & poſt ſepties ſeptem libere jam & papulas & totam faciem vertit.* Sic ulterius per numeros ſeptenos tanquam ſpatioſiſſimos campos non ſine ſuperſtitione excurrit.

y) Hiſt. natur. L. VII. c. XV. p. 384. T. I. Ed. HARDUIM.

z) Sat. 15. v. 138.

nondum communia viventium jura mereri. Verum hic ipſe ſtatus vitæ tam teneræ, a quo leviſſima offendicula prohiberi debebant, magnum reperit, in aulis præſertim, ſui neglectum, dum cereis luminibus & diſploſione bombardarum natales recens natorum principum celebrant, quorum ſæpe oculos & aures e propinquo vis illa quatit *a*). AMATUS LUSITANUS infantis meminit poſt auditum bombardæ ſtrepitum apoplectici *b*). SAM. LEDELIUS binos refert infantes ad ſonum tubarum & tympanorum inter nuptias celebratas territos convulſosque obiiſſe *c*). Et ſane frequentior illa noxa eſſet, niſi ipſa providentiæ manus ſic recens natorum oculos conſtruxiſſet, ut humorem aqueum turbidum gerant, ſic aures dediſſet, ut calloſæ membranæ ſpecies meatus auditorii principium obturet. Ita nimirum nec luminis nec ſonorum vis libere & cum periculo irruit, ſed ad obſtacula illa frangitur *d*), nec niſi ſenſim, ut aſſueſcant organa actioni objectorum, pellucent oculorum humores, & cruſta aurium ſubſidit. Quem in modum etſi organis ſentiendi nobilibus mollibusque, verba ſunt I. B. MORGAGNII *e*), multifariam proſpectum eſt, ne præmature in recens natis percellantur, & hinc quoque præcipua olfactus organi ſedes pituitarii ſinus nondum explicati ſunt; nihilominus inter has tutelas organorum accedere medici vigilantia debet, ut nihil hic impetuoſe fiat. Ubi de oculis illud adhuc moneo, non ſolum pleniori fortiorique lumini nunquam obvertendos, ſed & in motu ſuo inſtabili & in ſtrabismum facile deflectente coërcendos eſſe. Bene A. PAREUS vimineum arcum pannis velatum ſubtendi voluit capiti in cunis jacentium, qui

a) Hinc H. BOERHAVIUS Chym. P. II. p. 110. commonefacit ſuos, ut contra iſtos errores, ſi in aulas olim vocentur, ſedulo vigilent.

b) Cur. med. Cent. II. cur. 22.

c) MISCELL. NAT. CUR. D. II. A. VII. Obſ. XLVI. p. 90.

d) Vide, quæ circa auditum poſt KERKRINGIUM VERNEYUM, VALSALVAM, RUYSCHIUM, WINSLOVIUM, CHESELDEN, TREW habet Jo. BAPT. MORGAGNUS Epiſt. Anat. V. p. 84, 87. ſequ.

e) ib. p. 86.

qui vagos puerilium oculorum motus contineat dirigatque *f*). Vt æqualiter agant muſculi, HIERON. CAPIVACCIUS optime infantes ab illo vitio præſervari putat, ſi lucerna e regione oculorum non ad latus ponitur *g*). M. A. ANDRIOLLUS, ſi ſint ſtrabones oculi dextri, lumen ex ſiniſtro latere poni jubet & contra *h*), ſi oculi in ſtatum naturalem redacti, CAPIVACCII conſilium ſequitur. DAN. SENNERTUS *i*) picta aulaea poni jubet, quo retorquendi ſunt oculi, vel hos putat larvæ faciei obductæ foraminibus dirigi poſſe.

§. VIII.

Omitto terriculamenta *puerorum*, *larvas monſtroſas & idola perſonatorum dæmonum*, quibus pueris, quaſi ſic intra obſequii limites continendis, pavorem imprudenter incutiunt *k*). Videri res illa poſſit ad paululum adultiores pertinere, nec tamen omnino teneriores hæc ſcena præterit, velut de infante ad Rupertiani phantasmatis larvam epileptico MART. SCHURIGIUS ad C. F. GAR-

f) Op. L. XXIII. c. 22. p. m. 679.
g) De aff. ocul. Cap. XLVII. p. 61.
h) De domeſt. aux. T. V. p. 320.
i) Op. T. III. P. II. C. XI.
k) Ita olim nutriculæ pavorem inſpirabant minis ſuis & narratiunculis de *Accone* macilenta ſtrige, de *Hecate* cruris aſinini & nocturnorum terrorum præſide, de *Lamia* ampli gutturis & infantes in cunis vorare ſolita, de *Gallone* puerperis & partibus inſidiante, de *Mormone* hiante ore pendentibus cincinnis, aliisque, quæ clauſis oſtiis & nocendi animo puerorum ingredi cubicula finguntur. Noſtrates hodie inter marmolycia ſua popelos mommelosque habent, albas Sybillas, choreas nympharum & inconditos quaſi Lemurum ſonos; quali nutrici intempeſtive teneros animos perterrefacienti tenellus, ſi loqui quidem poſſit, merito acclamet, ut DAVO MYSIS:

Dii te eradicent! ita me miſerum territas.

Vid. TERENT. ANDR. *Act.* IV. Scen. 5. v. 42. *Conf. Diſp. de terric. puerorum* Præſ. cel. J. M. GESNERO, Reſp. I. C. L. Brüggemann Gotting. 1745.

GAIRMANNUM *l*) ſcripſit. Malo tamen illa adhuc attingere, quæ ſub ſumma ſalubritatis ſpe in maximum tenellos vitæ diſcrimen conjiciunt. Infauſtum cardiacorum nomen eſt, quod debiles infantes per nocentiſſimos ſtimulos interimit. Aſtute & ſingulari artificio inventum hoc nomen eſſe ad captum ruricularum & demulcendas mulierculas, ſententia eſt GUALT. HARRISII *m*), quum dubia cæteroquin res ſit, morbis plures an cardiacis perierint? Aquæ illæ cardiacæ calidiores, ut cœleſtis, mirabilis, pæoniæ compoſita, ſalia lixivioſa, volatilia, ſpiritus bezoardici, theriacalia, & alia non poſſunt niſi venena eſſe tam teneræ ætati. GALENUS ipſe, qui theriacæ laudes in cœlum extulit, pueros tamen ejus uſu excluſit. Binæ vel tres guttulæ olei ſuccini, quas vetula infanti apud SENNERTUM præbuit, tantum corporis ardorem pepererunt, ut tota cuticula quaſi ad fervidam aquam abſcedente infans paullo poſt periret. Miror MICH. ETTMULLERUM *n*) in cura morborum infantilium ſalibus volatilibus primatum tribuere, Deorum manus hæc medicamenta vocare, pavorem aliorum ridere. Imo præter ſalia hæc volatilia acriora vel aromatica, etiam tincturas chemicas, ut tartari, ſcoriarum reguli antimonii, porro myrrham, caſtoreum & alia extollit. Sive experientiam conſideres, quæ hodie cœpit magis illas cardiacorum noxas formidare, ſive rationem, impoſſibile eſt, ut inter tam acres ſtimulos corpus tam tenellum, convulſioni tam obnoxium, non ſuccumbat. Dubitat GU. HARRISIUS *o*), annon ex centum, qui variolis pereunt, nonaginta quinque cardiacis calidis inſulſe propinatis, primis morbi diebus interficiantur, cum ſperet temperatiori regimine ex centum variolosis pueris plus quam nonaginta quinque ſervaturum ſe eſſe. Nec tamen his incendiis cardiacorum facile ab obfirmato errore mulieres in primis revocantur. Verum ut potiores hucusque in regimine vitæ errores coargui, ita adhuc morbos, quibuscum in cunis

l) MISCELL. NAT. CUR. D. III. A. IX. X. Obſ. LVI.
m) l. c. p. 62.
n) Noſocom. infantil. C. III. §. 5.
o) vid. Diſſ. med. & Chirurg. p. 57-59.

cunis hærentes communiter ætatis cauſſa *p*) confligunt, ſuccincte adhuc cum præſidiis ſuis commemorabo.

§. IX.

Uti primum eſt, quod in recens extincto infante reperitur, copia lenti & glutinoſi per primas vias diſperſi, & toto tempore graviditatis ex partibus craſſioribus aſſumtorum congeſti; ita exinde nauſeam vomitumque, & creſcente per moram acrimonia convulſiones in nuper natis excitari, res eſt confirmatæ experientiæ. Propterea, ſi hunc tenelli corporis ſtatum ex pallore & debilitate ejus, phlegmate oris & tumente abdomine colligis, prompta erit medelæ ratio, ſi *ieiunium octo vel decem horarum imperes, ut vis coctionis novis ingeſtis haud obruta hoc phlegma* ſubigat. Licebit ad eandem vim, quæ ſubigit, augendam, omni quadrihorio illius ieiunii pauxillum vini cum melle offerre. Mel gluten incidit, vinum roborat & ventriculi actionem iuvat, utrique remedio, ſi pauxillum ſyrupi cichorei cum rheo addis, promtius ad aluum ſemiſubactam ſaburram illam promovebis. Facere huc videtur ſuperius allatus Aſiaticarum mulierum mos, *infantes ſuos* aëri exponentium, quod ipſe auctior reſpirationis motus gravatum *ſtomachum* repurget. Nec alia deſunt externa, quæ tonicam illam & *expellentem virtutem leviter intendunt*, epithemata nimirum, quæ panis toſtus & decocto menthæ imbutus, vel aquæ tantum theriacali immerſus & epigaſtricæ regioni impoſitus præbet. His obeſt plerumque nutricum ſollicitudo, dum ubi ieiunio & *euacuantibus opus*, ad *primos eiulatus* ubera præbent, & ut lentum *illud* & glutinoſum creſcat, in debili ventriculo efficiunt.

§. X.

Sed & præcipuæ labis multum a *meconio natis* naſcitur. Illud novem menſibus inter uteri carceres collectum, nec egeſtum, hinc

p) Quos morbos tanquam infantum præcipuos H. BOERHAVIVS in aphorismis a §. 1340. ad 1378. pertractat.

hinc ab inteſtino cœco, ſæpe etiam ab ileo, ad anum usque accumulatum, tam viſcidum plerumque eſt, ut viræ viribus eiici nequeat. Magna infantum pars ex hac noxa retenti corruptique meconii inter convulſiones perit, niſi primis ſtatim diebus, aluo quater vel ſexies auſcultante, fuſca illa ſeu atra moles exterminetur. Aer per tubum inteſtinorum jam liberius admiſſus, quod in utero non accidit, celerem parit & funeſtam corruptionem, quoties nec largiter exundat meconium, nec, ut par erat, colorem opii & picis tenacitatem refert. Variis hic viis ingrediendum eſt, ut immunis ſis ab errore in medendo. Nunc enim vis expulſionis in debili infante languet, nunc contentorum peccat craſſities, nunc viarum abeſt lubricitas. Adverſus primam cauſſam pugnat rheum, non modo purgans ſed & roborans, hinc vix aliis quibuscunque remediis poſtponendum, in primis, ſi ex eodem rheo cum ſapone veneto globuli fiunt, qui in anum recondiți efficacius expellunt. Adde mitia cardiaca ex aquis ceraſorum, fœniculi vel aliis cum melle interius adhibita. Vinces duritiem expellendæ materiæ, quam contrectatis hypochondriis eiulantis infantis ſenties, ſi ſerum lactis cum melle recenti pro uſu potus & clysmatis deſtines. Denique viarum lubricitatem & tranſitum per inteſtina expedies, ſi vitato uſu intempeſtivo adſtringentium & purgantium, adeoque ipſius rhei, oleum olivarum vel ſimile mane ac veſperi ad drachmam unam propines iuncto ſimul clysmate ex ſero lactis, & illito ventre idoneis oleis. Ad quæ tria momenta attentus medicus clamores illos, pervigilia, convulſiones, & quæ alia infeſtant ſymptomata, ut plurimum ſopiet. Vulgaris autem uſus medicinæ nunc opiatis temere confligit, ut philonio romano, requie Nicolai, ſyrupo diacodii, quibus tremuli & ſemiſtulti evadunt, nunc acri ſtimulante teneros nervos plus ſollicitat, ut ſale volatili oleoſo, quo ipſa SYLVII proles occubuit. Ibi vero tutius ſymptomatum levamen radice exciſa expectamus. Quodſi a nonnullis eorum major inducta ſit partibus affectis mutatio, morbo hinc novo nato & cauſa ſublata adhuc perſiſtenti occurrendum eſt, uti in inflammatione inteſtinorum cum febre per remedia antiphlogiſtica abdomini maxime obvoluenda.

§. XI.

Frequens non minus a lacte morbus eſt, cujus pars caſeoſa facile ſecedit, ut in mortuorum infantum toto ventriculo congeſtus & quaſi vi quadam coagmentatus appareat caſeus, & tenelli non ab acido ſed hoc coagulo convulſi moriantur. Novimus lac recens mitiſſimum in venam canis immiſſum ſubito coagulo per venas protruſo, poſt ſuum in pulmones ingreſſum, funeſtam parere peripneumoniam; non ſecus in ventriculo infantis quippe calente & acoris cauſſas ſuſtentante ſecedit, cum ejus ſæpe exitio. Accedit coagulo huic acrimonia, qua nunquam caret paullo vetuſtior caſeus. Sedulo ſtatim ſciſcitanda eſt mater vel nutrix an pallidus frigidusque infans vomitu caſeoſi aliquid eiiciat? an ructus & feces acidum ſpirent? Quorum ſi alterum quoque contingit, non ſubſiſtit labes in primis viis, ſed ſenſim ſanguinis vias occupat. Pro victu ſint iuſcula carnium, ad acorem vero refrenandum & coagulum ſolvendum eiiciendumque præſtat ſaponem venetum cum vitello ovi & rheo permiſcere ac ſyrupo altheæ, & cum delectu pulviſculos terreſtres adiicere, omnia vero hæc aqua vel meliſſæ vel ſimili ad potiunculæ formam accommodare. Sic ſuavi vinculo variæ coaleſcunt vires pro ſcopo corrigendi evacuandique. Sæpe caſſia & rheum icterum puerilem ſuſtulit, natum per intervalla ex caſeoſo coagulo, fluxum bilis in inteſtina cohibente. Inter præcipua remedia efficaciſſime ipſa bilis caſeoſum ſolvit, ut in vitulo apparet ſolum lac potante, cujus duriſſima coagula ad quartum ventriculum deſcendunt ſed in loco adfluentis bilis ſolvuntur. Si igitur infanti vel parca vel inefficax bilis ſit, optime frigidorum piſcium bile, ut anguillarum, in micam panis vel pultem recondita conſules, nihil facile in atrophia infantum ab obſidente latera inteſtinorum coagulo exploratioris virtutis eſt.

§. XII.

Nec vermes infantibus parcunt, non, quod cum Nic. Andry vel aliis eos cum tenellis naſci, exiſtimemus, neque enim unquam

quam reperti ſunt in infantibus ſolo lacte materno vel alio cocto victitantibus, ſed quod ovula inſectorum illos conſpergant cibos, quos cito ſatis tenellis offerunt, uti maxime ſunt fructus horæi, carnes etiam paullo vetuſtiores & alia. In iis certe infantulis, quorum vis parva eſt ad deſtruenda talia, facile adſperſa ovula excludi judicamus, & latere ſub inerti pituita, ſatis tuta ab injuriis attritus. Adſcenſus famelicorum vermium per vias nervoſas & ſenſibiles inſtar plumæ vellicantis parit nauſeam, vomitum, pruritum narium & alia. Quum deinde ab iis conſumtio chyli fiat, neceſſe eſt eſurire infantes continuo, palleſcere, animo linqui & emaciari, ſolo tumente abdomine, quippe ubi abſumto tenui craſſa remanent pro nido vermium, in quo latent, creſcunt & multiplicantur. Denique ab iisdem perforari inteſtina effundique contenta inter funeſtas convulſiones mirum non eſt, quum extra corpus terram fodiant terebrentque. Si igitur infans debilioris poſt vel ante ablactationem corpuſculi victu tali, quem hic damnamus, utitur, & dicta ſymptomata, nauſea fames macies & alia ſequuntur, fas eſt de nido non ſolum vermium deſtruendo, ſed & ipſis necandis expellendisque cogitare. Pituitam, contubernium illud vermium, incidunt fortiter gummata, ut ammoniacum, bdellium, opopanax & aſa fœtida, vitello ovi & ſapone veneto ſubacta, vel ſalia alcalina, ut cardui benedicti cum aqua meliſſæ & ſyrupo radicum aperientium, vel mitia mercurialia, ut mercurius dulcis cum tantillo ſcammonii & ſyrupo rhei, vel æthiops mineralis cum trochiſcis alhandal & ſimilia. Quæ omnia non nimis leniter agunt, hinc oculum ad infantis vires attentum & providam moram in lentiori uſu poſtulant. Multi externis potius pugnant, unguento Agrippæ vel Arthanitæ, quæ abdomini impoſita vim ſæpe effrenem purgandi exſerunt, ut & hic opus ſit frenum injicere medicamento. Suavius vermes ipſi necantur per mellita ſaccharina & ſalina: in hæc enim ſoluta injecti citius quam in amariſſimis infuſis pereunt *q*). Laudant alii vitriolica

q) Hinc Franciscus Redi dolet tenellorum ſortem, quibus dulcia, quæ appetunt, negantur, amara & faſtidioſa offeruntur. in Obſ. circa animal. viv. p. m. 165.

lica & venerea, ut vitriolum martis, vel ſyrupum violarum, qui in cupreo vaſculo per noctem hæſit, ſed hæc quidem nonniſi adultioribus commendare audebis, quod etiam de duris, acutis & indigeſtibilibus, quæ a jejunis aſſumta vermes vulnerando necant, intelligo. Nec mercurialium, niſi caute uſurpentur, ſincerior fides & certior virtus eſt. Quodſi necare non ſolum, ſed & expellere velis, dictis convenit lenia purgantia addere externe inungere, & clysmata vel ſuppoſitoria ex ſale gemmæ & melle parare.

§. XIII.

Reſtat dentitio difficilis a ſeptimo maxime ad decimum menſem affligens, qua dentes in primis acutiores cum funeſta ſæpe nervorum punctura erumpere ex latibulis ſuis nituntur. Sola hic irritatio nervorum eſt, quæ fluxum ſalivæ & alvi convulſionesque ciet, & de qua ſedanda, cum tantæ ſtragis cauſſa ſit, ſerio cogitandum eſt. Primum illud agimus, ut gingivæ polito ebore vel ſimili attritæ exitum denti concilient, ipſius infantis ope, cui inſtinctum natura dedit duriuſcula gingivis cum frictu admovendi. Neque infelix opera eſt, quæ fotu tepido gingivas emollit, uti cremore ex floribus ſambuci & altheæ in lacte infuſis enatante. Probatæ etiam virtutis hic ſunt emulſa cydoniorum ſemina in aqua ſambuci, quibus ſuccum ſedi vel portulacæ cum ſyrupo violarum miſcere licebit. Creſcente inflammationis vi & in convulſionem erumpente venæ ſectionem tam ſevere SYDENHAMUS imperat, ut pro ſpecifico reliquis omnibus longe anteferendo declaret *r*). H. BOERHAVIUS *s*) cum aliis multis huic convulſioni minutam doſin ſpiritus cornu cervi opponit, cujus loco olim in Anglia Gœdartianæ guttulæ ex crudo ſerico deſtillatæ ad guttas quatuor circiter ex ſyrupo violarum cum inſigni ſucceſſu propinabantur. Verum & ipſa lanceola interdum opus eſt, quæ foramen ad latitudinem dentis incidit, & dictos deinde fotus requirit.

§. XIV.

r) C. III. p. 199. Ed. Leyd. 1741.
s) Aphor. 1378.

§. XIV.

Animus non eſt ad alia excurrendi, id tantum moneo, infantum curam, quæ ſi nimia ſit, RIDLINO noxia dicitur *t*), non poſſe ſub perito & vigilante medico nimiam merito adpellari. Perjucundum eſt cum GU. HARRISO obſervare, *facillime* in morbos dilabi infantes, ſed & facillime, niſi aut ſerius aut imperitius tractentur, in ſanitatem reſtitui *u*). Nempe quælibet impreſſio, ſive bona, ſive mala, in humido quam ſicco, in molli quam duro corpore, citius perficitur. Cum ſtupore infantes tenellos ſe vidiſſe ait THOM. SYDENHAM *x*) quartana ſex menſium affectos, nec oppreſſos, ſed de morbo illo Herculis pueri *inſtar in cunis triumphantes. Formidabilis eſt, inquit* LUD. DURETUS *y*), puerorum convulſio, at non raro defunguntur illo periculo. Simpliciores in ſimplici victu eorum morbi ſunt, hinc & ſimpliciori medicina in craſi tam mutabili promtius ſanantur. Vix vero illam auxiliorum farraginem, qua ſub maxima inconſtantia *judicio* MICH. ALBERTI *z*) obruuntur recens nati, ut plurimi ſollicitæ magis quam providæ *medicationi ſuccumbant. Quæ* non PLINIUS olim in tenellorum uſum ex antiquorum libris cumulavit? innumera paſſim commendans, ut in ulceribus plantaginem, in lippitudine ova, in pavoribus dentem lupi, in deſtillationibus folia helioſcopii, in vitiis ventris cuminum, teſtium eryſimum aliaque. Hodie pulviſculis bezoardicis, cordialibus, pannonio, marchionis aliisve ubundamus, ubi *omnino cum* RIDLINO agnoſcas, nimiam curam pro *infantibus noxiam eſſe. Verum in his adquieſcimus.*

t) lin. med. Ann. 11. Sept. Obſ. 25. II. p. 459.
u) l. c. p. 8.
x) l. c. p. 85.
y) v. ei. Comment. in Coac. HIPPOCR. pub. lin. 11.
z) Iurispr. Med. C. XVI. de autoch. med. §. 7.

DISSERTATIO
DE
CACHEXIA ICTERICA
PUBLICE PROPOSITA
GOTTINGÆ, D. 2 SEPT. 1745.
RESP.
JO. HENR. ZOPFF,
GREIZA-VARISCO.

§. I.

Cachexia *icteritia* est depravata corporis nutritio, cujus præcipua causſa & fomes in *hepate latet*. Neceſſe enim est, in cachexia nutritionem corporis, in ictero *functionem hepatis laborare*. Quandoquidem tamen & ſine cachexia icterus, & ſine ictero cachexia *eſſe* poſſit; in animum induxi, genium limitati mali in illo virium connubio *penitius* conſiderare. Non attinet dicere, quæ argumenti dignitas ſit, *cum nihil fortaſſis magis exercitati* etiam medici judicio tenebras offundat, & medendi conſilia in illa ſymptomatum colluvie turbet.

§. II.

Ipſo vitali motu perit corpus noſtrum, & ipſo opere ſuo conficitur. Sed & eodem opere ſuo novos ſibi colonos parat, novas, in miniſteria ſua, ſi vetera conſenuerunt, ſuppetias. Nihil in corpus ingeritur cibi potusque, quin ipſa miſcela inquilinorum humorum, trituque & actio-

actione ſolidorum ſubactum ſerviat inſtaurando nutriendoque corpori. Fieri autem poteſt, ut id, quod ingeritur, coquentis & ſubigentis vitæ vires aliquando vincat, nec peregrinas *illas* dotes, in quibus nulla eſt alendi facultas, exuat. Talia ſunt cibi viſcidi, pingues, acres, farinæ non fermentatæ, & alia mutantibus vitæ viribus rebellia, maxime in otioſis, quos vel ſolus liberalior victus cachecticos reddit. Bene HIPPOCRATES *a*) cibum, ſi vincitur a corpore, nutrire ait, ſi vincit, cachecticum reddere. Pronior in cachexiam via eſt, ſi ipſi interni humores a ſalubritate ſua naturali deſciſcunt, partim, quod per circulationis vitia ſtaſes varias & corruptiones in viſceribus ſubeant, partim, quod poſt magnas hæmorrhagias, vomitus, diarrhœas & alia diſpendia ſua, non amplius ex reliqua maſſa id ſegregent, quod ingeſtis, etiam coctu facilibus, uberi ſatis fluxu ſe miſceat, & miſcendo aſſimilet. Vnde ſenſim multiplex cacochymia oritur, qua degenerant humores noſtri in indolem naturæ varie inimicam. Neque vero cachexia in humorum prave alentium vitio ſubſiſtit, ſed ſolidorum, quorum virtus vitiis illis corrigendis jam impar eſt, labes accedit. Vis nempe vaſorum in contenta, per quam humores noſtri omni momento alium partium ſitum alias motuum leges ſubeunt, & nunc diſcerpendo ac ſeparando, nunc permiſcendo & compingendo, ad veram internæ ſalubritatis normam effinguntur, languere ſine ingenti damno utiliſſimarum in corpore mutationum nequit. Implemur crudis ac tumemus, non alimur, ſi illa vis ſolidorum in laxioribus torpet, marceſcimus & extenuamur, ſi in rigidioribus nimis renixus ille vaſorum obnititur & diſſipat, ſqualido denique tabo conſumimur, ſi ipſum ſolidarum partium nexum vis morbi dirimit. Fas eſt ubivis in cachexia non modo conſiderare vitia nutrimenti, ſed & locorum nutriendorum, & ipſius motus applicantis.

§. III.

a) De loc. in hom. L. III. P. I. p. 396. Ed. Lind.

§. III.

Cachecticos diſtinguere non adeo arduum eſt. Pravus ille corporis habitus, unde nomen cachexiæ fluxit, vel ipſum primo adſpectu oculum offendit. Lætus ille & floridus color cutis nunc luridus apparet, & genio corruptorum humorum tinctus, nunc lividus ab atrabilaria cachexia, nunc albus ab hydropica, nunc flavus a bilioſa, nunc maculis diſcolor a ſcorbutica. Solus humorum motus interdum ſufficit, inquit G. BAGLIVIUS *b*), ut in cognitionem morbi perveniamus. Cruda etiam per lotium & ſudores excreta non diſſimulant, quam a coctionis genio longe aliena ſit humorum maſſa. Regnat ubivis marcor, quamvis ſub improbo tumore alicubi fallat. Nimirum non minus cachexia eſt, ſub qua marcet & areſcit corpus, per elapſum corrupti humoris ad nutriendum inepti, quam ſub qua tumet ob moram & infarctum ejusdem, maxime circa extrema ſtagnantis, quo non pertingit vis languentis circulationis. Talibus videas palpebras inferiores bullis aquoſis inflari, artus albo tumore obſideri, ut & inter vaſa ipſa diſtendens liquidum accumulari, vel in ipſis cavis colligi. Mirum non eſt, hos ſemper queri de ſenſu majoris ponderis, cum in cachexia pars una tumens & infarcta præponderet alteri exinanitæ, & motum inæqualem reddat, qui ſine ſenſu gravitatis nunquam eſt. Queruntur etiam de corde ad levem motum palpitante, quia debile illud, ubi jam plus venoſi ſanguinis per motum auctum refluit, nequit niſi iteratis nixibus, id eſt, palpitando ſe liberare.

§. IV.

Patet difficilis medendi ratio, quod non niſi per bonum chylum illa fluidorum ſolidorumque vitia corrigi poſſint, nec vero, niſi his correctis, bonus chylus elaborari. Haud illam difficultatem multum levavit ſpes elapſo ſeculo iniecta, ſanguinem animalis ſani in corpus ægrotum transfundendi. Præterea enim, quod noceant

b) Op. Ed. Antwerp. 1719. p. 440.

ant transfusa per subitum vasorum tam debilium ingressum; certum quoque est ob varietatem structuræ in singulis animalibus eum denique sanguinem salubrem appellari posse, quem propria corporis fabrica, non aliena confecit. Neque tamen non fuit multis cachecticis etiam invereratis dextre satis omni ævo consultum, nec in alia parte divinior apparere potest artis succumbentem naturam erigentis potestas, quoties illa victum sine magno molimine nutrientem, gratum, & præsenti vitio, uti tenuitatis, spissitudinis, acrimoniæ oppositum, primum provide præscribit, & illa statim adminicula coctionis, quæ victum illum facilius subigunt, per condimenta, vina cardiaca, exercitia, aliaque pro morbi indigentia suggerit, & tunc demum, ubi primam coctionis officinam lento gradu expurgavit, saburram nunc digerendo, nunc eluendo, nunc tonum roborando, coctiones interne læsas, quas prius aggredi temerarium esset, sollicite emendat, lento ubiuis ac tuto progressu, nec nisi eradicato malo ad chalybeata confugiens, quorum sæpe præmaturior usus in scirrhum vitiosa figit. Nec vero cachexiæ deterior scena est, quam inter scirrhos viscerum & fomites purulentos Verum animus mihi est omissis reliquis, illam, quam icteritiam appellavi, jam perlustrare penitius.

§. V.

Icterus græce ἴκτερος vi vocis avem galbulum sive galgulum notat flavi coloris & croceos vapores attrahentem. Ea conspecta Plinius *c*) ictericum scribit sanari, & avem mori. Aliis cum Aretaeo *d*) ἴκτις mustela sylvestris, cujus auricolor est oculus, aliis gemma icterias, quæ lurido aliti similis prodesse ictericis creditur, *e*) nomen videtur morbo dedisse. Latine Lucretius *f*) morbum arquatum vocat, quod color & oculi vireant, quasi in arqui, quem

c) H. N. L. XXX. cap. XI.
d) Morb. Diuturn. L. I. c. XV. it. Plin. L. XXIX. c. 4.
e) Plin. H. N. L. XXXVII. c. X.
f) L. IV. vers. 333.

quem poëtæ irim appellant. Plerique regium morbum vocant ab auri colore, quanquam hic, ut cum ARETAEO *g*) loquar, hominem non deceat, quod in metallo pulchrum eſt, nec PARACELSI *h*) hic probata ſit induſtria, qui ſpiritu ex auro extrahere morbum promittit. Potius hunc titulum teſte SERENICO SAMMONICO morbus meruit, quod molliter in aulis regum curetur, iis nempe, quæ mentem exhilarant, cultiori conclavi, ludis, laſcivia, aliisque, ut ipſe CELSUS *i*) teſtatur. Re ipſa eſt icterus ſymptoma tertiæ claſſis ſive mutatarum qualitatum ſenſibilium, vitiati nempe coloris. Notat morbum heparis, a quo ſecreta bilis aditu in duodenum prohibita, & per venam cavam in ſanguinem redundans, externum corporis habitum, maxime partes pellucidiori liquido impletas, nunc dilutiori nunc obſcuriori flavedine tingit. Non ſunt obſcura mali hujus ſigna, ſi ad ſenſum tenſionis & anxietatis hypochondrii, tanquam ad ſedem & cauſam mali, ad pallidas feces alui, quas bilis dereliquit, ad flavedinem, qua in alienis locis nunc lotium tingit, nunc cutem externam, maxime pellucida albugineæ tunicæ oculorum vaſa, probe reſpicimus.

§. VI.

Ut hepar eo iuſtius arguas, *ſtabiliendum eſt*, *flavum illum* corruptumque humorem a nullo alio humore corporis quam bile per *hepar* diffuſa pendere poſſe. Vix autem eſt, quod aſſenſum hic remoretur, *ſi conſideres*, nullum in nobis liquidum reperiri, quod tam luculenta *flavedine tingat*, *nec ſerum eſſe* ad *flavedinem* vergens, nec lotium in acutis flammeum, de quo ſuſpicari poſſis, cum nulla unquam aurigine partes inficiat. Vir tamen clariſſimus G. HEINTKIUS *k*) ipſi bili dubiam reddit facultatem

g) l. c. ὁ γὰρ ἀνθρώπῳ ὑπρεπὲς, ὄγι ἐν λίθῳ καλὸν ἔη.
h) Op. T. VI. p. 91. & 92. Ed. germ. Francof. 1603.
i) de medic. L. III. c. 24.
k) Miſc. nat. cur. D. II. A. VI. o. 125. p. 260.

tatem tingendi in ſanis feces, in ictericis lotium & ſerum ſanguinis. Feces, inquit, an bilis tingat, cum ſint amaritudinis, quæ bili propria, experres, lambentibus avide canibus, qui æque amara quam homines faſtidiunt? imo, an feces infantiles acidum ſpirantes, & magis ſæpe quam adultorum coloratæ, id debent bili ab acido devictæ & fatiſcenti? & cur canum albidæ fœces? Sane jam HELMONTIUS ſtatuit bilem feces aluinas non tingere, nec has amaras eſſe, teſtimonio multorum σκατοφάγων. Sed hoc conceſſo, alterum non cadit. Amaror ille non hepaticæ ſolum, ſed & cyſticæ bilis adeo interdum levis eſt, ut fere nullam utrinque deprehenderit FRID RUYSCHIUS. *l*) Dum non a ſale, ſed oleo trito, digeſto, rancido, amareſcente pendet, mere ſæpe inſipida & aquea eſt in debiliorum corporum inertia. Verum hic illud in primis ſpectandum puto, bilem copioſo tot liquidorum, confluxu, maxime ſucci pancreatici, dilutiorem exuere eo facilius amarorem, ut nec in chylo nec fecibus appareat. Addo, bilem opere ſuo functam præcipuis ſuis dotibus in ſanguinem remeare, nec niſi fatua recrementa, quæ tamen coloris & ſtimuli ſatis feculentis pro exitu impertiuntur, relinquere. Nec minus verum eſt, confuſionem & miſcelam tot variorum ſuccorum in primæ coctionis officina ſapores omnes dotesque immutare, ut vacca etiam ex amaris herbis, & liberali bilis contactu, lac dulce pariat. Feces autem infantum acidum ſpirantes naturalem flauedinem, imo plus exaltatam habere, ſic limito, ut negem alterum, alterum pro bilis inertioris ſigno habeam, quæ ab acidis fit vitellina, viridis, æruginoſa, grumoſa, qualis omnino infantum eſt. In canum ſtercore, maxime lanionum, qui crudas corruptasque carnes vorant, non albidus niſi poſt copiam oſſium in calcem comminutorum, ſed fuſcus ſatis color & obſcurus, nec ſine fœtore eſt. Denique contra ſolem pugnat, qui manifeſte videns, albidas ictericorum feces eſſe excluſa bile, admiſſa iterum flaveſcere, ei tamen negat illam tingendi facultatem. Pergit de lotio HEINTKIUS, nec illud in flavedine ſua amarum eſſe, & experimenta citat,

l) Obſerv. chirurg. XXXI.

tat, quibus lotio inſtillata bilis amaritiem dedit, colorem non auxit, & alia, quibus bilem aquæ miſcuit, alcalinis additis, ubi colorem infringi vidit amaritie permanente. Ergo, inquit, alcalina colorem potius, quam ſaporem mutant, quod ſecus notatur in ictericis. Verum cogitet adverſarius, cum bile pura cyſtica ſe experimenta feciſſe, qualis illa non eſt, de qua loquimur, quippe mixta cum aliis fluidis & varie hebetata. Cogitet, vera alcalina ſe miſcuiſſe, qualia non exiſtunt in corpore, ubi potius bilis effœta ſæpius & glutine involuta peccat. Quæ de ſero ſanguinis adiicit, ſe amaritiem in ſero icterici nullam guſtu percepiſſe, cum pauxillum bilis in lacte digeſtum ſatis amaricans fuerit, id ſane cogit mentionem renovare illius erroris, quo puram & cyſticam bilem cum interna, per totum humorum laticem diſperſa & varie alterata, in ſuis effectibus comparat. Eodem redit, ſi unicam fellis guttulam dolorem oculis conciliare, totum vero bile ſuffuſum icterici oculum non dolere obiicit: in qua re illud etiam reſponderi poteſt, humores acres intra vaſa contentos & ſtagnantes non facile illum ſui ſenſum excitat pauxillum eorum externis nervoſis partibus applicatum. Ceterum, dum ſibi aliisque crucem figit, adverſarius nunquam inter hæc omnia eo pervenit, ut flavedinem ex alia æque manifeſta cauſa oriri ulla probabilitatis ſpecie evincere auſit, cum e contrario bilis non ſolum naturaliter ventriculum & inteſtina tingat, ſed & in ictericis ſingula membra tinxiſſe AUG. THONNERUS, *m*) oſſa ipſa in puero recens nato a matre icterica THEOD. KERKRINGIUS, *n*) viſcera abdominis & thoracis, ipſumque cerebrum cum oſſibus & cartilaginibus IO. DOLAEUS, *o*) ſanguinem denique, ut inſtar flavæ iumentorum urinæ eſſet, THEOD. ZWINGERUS *p*) teſtentur.

§. VII.

m) Obſ. medic. L. III. obſ. 1.

n) Spicileg. anat. obſ. LVII. p. 118.

o) Encyclopaed. L. III. c. 8.

p) Theatr. Prax. med. Part. poſter. p. 3. & 4.

§. VII.

Hepar igitur, ex quo illa icteri injuria exundat, ceu gravis incendii cauſam eo jam æquius in functione ſua, & integra & læſa, conſideramus, quod judice HERM. BOERHAAVIO *q*) ex centum morbis chronicis vix unus occurrat, cujus princeps ſedes non ſit in hepate. Amplum hoc & nobile viſcus ſanguificationi ſervire vetus Galenicorum ſchola cenſuit, gemino errore nixa, venarum nempe originem, & chyli intro meantis terminum in hepate eſſe. His fulcris ad cultiorem anatomen ruentibus patuit magis magisque, nec lentum hepatis motum operi illi convenire, nec peſſundari ſtatim ſanguificationem affecto hoc viſcere in chronicis. *Non ignobilius, certe verius, munus recentiorum doctrina* tribuit, ſecretæ nimirum bilis & cibos ſubigentis beneficio chylificationem fulciendi. Totum viſcus arte maceratum non niſi minimos in omni puncto ſenſibili acinos oſtendit, quos MARC. MALPIGHIUS pro glanduloſis folliculis, FRID. RUYSCHIUS *pro vaſorum agnovit faſciculis*, in quibus perpetuo nexu venæ portæ, venæ cavæ, arteriæ *hepaticæ & ductus hepatici minutiſſima* ſtamina mirabili viarum commercio conjunguntur. Rerum omnium momentis varie penſitatis ſententia eſt nata & confirmata, venam portarum, in quam maxime ſanguis meſaraicus acrior, lienaris dilutior, omenti pinguior, inter conjunctas ſecernendæ bilis dotes, ſimul ingreditur, lento per anguſtias progreſſu ultimis ſuis ramuſculis per totum hepar in illos *acinulos terminari*, ubi bilem minimis radiculis, quæ aliorum deinde concurſu ductum hepaticum *conſtituunt*, *infundit*, reſiduum vero ſanguinem ibidem in ſurculos ſibi continuos, qui ad venam cavam pertinent, exonerat. Ita ulterius patet, ductum hepaticum, qui jam bilem hepaticam vehit, & cyſticum, qui cyſticam continet, *conjungi*, & ad *communem ductum*, ſive *choledochum*, *qui mixtam utrinque bilem duodeno immittit*, *hinc latiorem coire*. Arteria hepatica

q) Vid. Præl. acad. T. III. p. 100. ad inſtit. medic. §. 351. Confer easdem de hepate agentes cum notis ill. A Halleri per hunc totum §.

tica nutriendo hepati, ut bronchialis pulmoni ſervit, caloremque & motum viſceris auget, neutiquam vero, quod JOANNI SWAMMERDAM placuit, bilem ex ſuo ſinu promit, impar quippe tantæ ſecretioni, & exilior, ſi cum mole viſceris compares. Ligata hac arteria haud ſiſtitur bilis ad inteſtinum fluxus, ligata autem vena portarum paucis horis opprimitur. Nec SYLVIUS hoc ſecernendæ bilis negotium ſoli veſiculæ felleæ recte tribuit, cujus pariter moles tanto impendio non congruit, & ex qua non minus ac in quam ob rugas ſpirasque, non niſi auctiori preſſione, bilis expellitur vel admittitur. Nec recte FRANC. GLISSONIUS ex hepatico ductu in cyſticum fluere bilem ſtatuit, ob anguli acutiſſimi impedimentum, & pendulam, quam plurimi ſtabiliunt, membranam, ubi confluunt ductus. At quanquam perexpeditum & liberum iter ſit ſecernendæ bilis ex vena portæ per ductum hepaticum verſus duodenum, ut injecta cera, flatus & alia docent, omnibusque conſtet, ſi in aperto animali vel digito prematur ductus hepaticus aut cyſticus, fluere bilem ad duodenum, ſique ligantur ductus illi, detumeſcere ſpatium inter vinculum & duodenum; hæc tamen non impediunt, quo minus ſecreta bilis, naturalium interdum aditu viarum excluſa, vim inferat fabricæ, & inverſo motu vias impediriores legat, quibus e. g. hepatica bilis in ductum cyſticum, cyſtica in ductum hepaticum, ſuperato flexilis anguli renixu, ingredi poteſt. Natam concipe in ductu choledocho reſiſtentiam, bilis retropulſa tum verſus hepar, tum verſus cyſtidem, facile ad venam cavam redundabit. Sic enim injectus per choledochum liquor ſine vi magna penetrat, & ad veſiculam fellis, & ad ductum hepaticum, & ad venam cavam. Perinde erit, ſi ligetur ille, vel quocunque laborans vitio affluentem bilem excludat, ita enim hæc pariter dictis viis regurgitabit. Poteſt in ipſo duodeno obſtaculum naſci, non quod ex eo ſubeat aliquid choledochum, cum flexilis villoſæ oſtiolum ob viæ obliquitatem non hiet facile non niſi ad vim urgentis a tergo bilis, ſed quod ſpasmi, flatus, lactis coagula & ſimilia ſtringant, premant & obturent choledochi aditum. Res eſt in infantibus ſæpe notata, quod ex coagulo lactis, choledochi ingreſſum obſtruente, icterici fiant, eo per rheum & ſaponem venetum ſoluto, & viis

bilis

bilis iterum expeditis, promte ſanentur. Intra choledochum ſi hærent calculi, totum cavum opplentes, accumulata ad hunc obicem bilis, inter dolores, anxietates vomitusque a ſubſequente muſculorum abdominis convulſione ortos, reprimitur, & ictero ſequente aliquamdiu pax eſt. Colicam aiunt eſſe ictero ſolutam, at ubi poſt breves inducias iterum bilis accumulatur, iterum calculoſus infarctus reſiſtit, redeunt prima mala, redit icterus, & alternis periodis torquentur ac levantur ægri, in cadaveribus autem non calculi ſolum apparent in ductu choledocho, ſed & incredibiliter expanſi ductus bilis. Tale vero obſtaculum, quod bilem per venam cavam in ſanguinem repellit, non modo in inteſtino & ductu choledocho, ſed & propius in ſubſtantia hepatis & ipſis ejus acinis naſci poteſt. Atque hanc cauſam proximam vocamus, quo ſecreta bilis & inteſtinis deſtinata, reperit in via, quod motum ejus ſiſtit, & quod ad ipſa loca, unde venit, repercutiens verſus venæ cavæ ramos determinat.

§. VIII.

Videndum jam propius eſt, quid illam in hepate calamitatem, illas turbatæ ſecretionis noxas & bilis corruptelas pariat. Præ ceteris ipſa hepatitis occurrit in finibus arteriæ hepaticæ & venæ portæ concipienda, fortaſſis tamen non ita frequens, partim ob laxitatem & amplitudinem vaſorum hepaticorum, partim ob lentiorem ſanguinis impetum, quippe hic bis venoſi & fere extra vim cordis poſiti. Varia tamen ſunt, quæ ſtaſin tam lentam quam inflammatoriam parere hic poſſunt, ut plethora ad ſtaſin ſemper proclivior, pinguedo obſtruere ubivis ſolita, hepar etiam naturæ conſilio ingrediens, tenacior denique ſanguis, quem atrabilarium *r*) dicunt, lente permeans vaſa, ſenſim decumbens ad hypochondria, & vaſa laxiora maxime hepatica inter contumaciores infarctus implens. Exinde ſtaſes periculi plenas metuendas eſſe, & difficultates ſecretionis in hepate, & ſecretorum corruptiones nemo

r) Vid. Ill. Præſidis diſſ. de morbo hypochondr. p. 12.

nemo non videt. Quæ enim adhuc ſecernitur bilis, ſolito ſpiſſior & lentiori motu concreſcens facile hepaticorum ductuum propagines cruſta lapidea obducit. Naturalem hanc bilis concreſcendi proclivitatem auget, quidquid liquidiora diſſipat & coagulat. Itinera æſtiva per regiones calidas hominum ſitim tolerantium ſiccant ſanguinem corporis, ægre ubivis, ſed ægerrime in hepate meabilem, adeoque admodum favent ſecretæ ſpiſſioris bilis concrementis. Sic & crebrior ſpirituoſorum potus funeſta liquidorum coagula inducit. Hæc a fluidorum pendent vitiis, in ſolidis maxime natas vaſorum anguſtias notamus. Sic ductum choledochum, quo loco inteſtino inſeritur, penitus coaluiſſe ſcribit, GERH. BLASIUS *s*), eundem capillaris tantum magnitudinis vidit BARTH. CABROLLIUS *t*), omnimodam ejus exſiccationem deſcribit JO. ARGENTERIUS *u*), lapideam duritiem ductuum biliferorum & felleam veſiculam cum ſuis meatibus plane oſſeam obſervavit JO. RHODIUS *x*), veſiculæ denique fellis interiorem membranam lapidefactam reperit FRID. RUYSCHIUS *y*). Et quas non anguſtias pariunt nata in hepate atheromata *z*), ſteatomata *a*), ſcirrhi *b*), concrementa caſeoſa & alia, quæ in peſſimi generis ictero defunctis paſſim obſervata legimus? Sæpiſſime præ aliis acria conſtringunt, ut ſequatur icterus. In ſectione icterici crebris ſpiritus vini potationibus aſſueti inteſtina admodum corrugata, ductum hepaticum concretum, corpus exſuccum FRID. HOFFMANNUS *c*) depinxit. Adde inter acria ipſam bilem vitioſam vel metaſtaſin corruptorum humorum, qualis fit ab externis ulceribus, a ſuppreſſis menſibus vel hæmorrhoidibus, a febri-

s) Obſ. med. p. 2. obſ. 4.
t) Obſ. X.
u) in Lib. IV. aphoriſmor. Hipp.
x) Centur. II. obſ. 96.
y) Obſ. chirurg. XXXI.
z) Ex obſ. Jo. LECHELII in miſc. cur. D. II. A. 2. O. 76. p. 186.
a) C. H. WELSCH Epiſagm. obſ. LIV.
b) Vid. BONETI Sepulchr. anat. L. III. obſ. XI.
c) Syſtem. medic. T. II. p. 157.

febribus per adſtringentia ſufflaminatis aliisve. Venena etiam vi ſtringente crebrum icterum generaſſe, res eſt iteratæ obſervationis *d*). Nec frigus inter adſtringentia eſt omittendum, quod metallorum poros ſtringens tanto facilius frigidis ingeſtis vicinum ventriculo hepar & vaſa bilis conſtringit. Aeſtuantibus motu victuque id magis metuendum eſt, qui frigidæ immerſi ſæpius icterici evaſerunt. SYLV. SAM. ANHORN infantem recens natum, aquæ gelidæ immerſum, ſtatim ictero correptum periiſſe refert *e*).

§. IX.

Inter has cauſſas maxime obnoxii ſunt ictero, quorum iners & otioſa vita eſt. Litteratos huc refero, a paſtu ad amata ſtudia redeuntes, & menſæ affixos curvato plerumque corpore, quo motus per vaſa abdominis jam ſatis languens magis ſufflaminatur. Quiete vero & poſt pluvios autumnos oves hepar referunt vermibus eroſum, ut vacuus fere ſaccus ſit, quod e lanionibus diſcimus. Ipſa quies hiemalis boum efficit, ut ſi mactentur, ſyſtema vaſorum bilioſorum cruſta plerumque calculoſa obductum appareat, quæ verno calore ſolvitur, dum ad motum & paſcua revertuntur. Eo autem plus a vita nimis quieta damni eſt, ſi victui ſimul crudiori ac tenaciori indulgemus, ut piſis, fabis, caſeo, auſteris vinis ac cereviſiis, quæve ejusmodi plura ſunt. Denique illos, qui pathemate animi nimis laborant, *in eundem numerum conjicio.* Terror mœrorque actionem *nervorum ſiſtit*, & motum *humorum figit*, *unde multi audito fortunarum ſuarum naufragio pondus ſtatim ſenſerunt hypochondrii*, & mox in icterum inciderunt. In ira creſcit vis circulationis, augentur ſecretiones, & *fortior liquidi nervei influxus ad ſpasmos partium ciendos facile invaleſcit.*

§. X.

d) Quo morſus etiam animalium pertinent in icterum deſinentes. Conf. RICH. MEAD. de venenis.

e) Miſc. nat. cur. D. III. A. I. O. 86. p. 134.

§. X.

Verum hæ cauſſæ omnes in primis viribus mitiores, licet multa & ſecretioni bilis & naturali ejus progreſſui impedimenta objiciant, nondum protinus, viis adhuc integris, quamquam varie arctatis & immeabili ac vitioſa mole obſeſſis, ipſam cachexiam ictericam pariunt. At ſi eædem viæ ſenſim deſtruuntur atque eroduntur, ſi puris undique tubercula ſurgunt, ſi gangræno-ſus tabus corrumpit omnia; non poteſt ſane non, quod ex fomite tam tetro perpetim ſtillat, maſſam ſenſim humorum ſic inquinare, ut in hac labe omni nutriendi facultate deſtituatur, adeoque pravum corporis habitum inducat. Verum hic convenit, per gradus intueri *orientem labem, creſcentem & perimentem.* Neceſſe primum eſt, vaſa hepatica cujuscunque generis ſtaſi laborantia tumere, vicina premere, ipſo preſſu deſcendentis diaphragmatis & repletioris ventriculi dolere. Incipit ſanguis circa hypochondria ſiſti, quod hepar fece abdominali oppletum jam difficulter plus humorum admittat. Qui vero admittitur ſanguis, tenax, lentus & jam preſſius inter illa interna obſtacula means, comprimit ſenſim aditum minorem in vas bilioſum, dilatatque & ſubit majorem in venam cavam. Creſcit infarctu pondus hepatis, ut duplo vel triplo *naturali majus* nunc trahat annexum diaphragma cum dolore ad jugulum usque *aſcendente, nunc abdo*men velut ab aſcite tendat. Periclitatur jam, bile vel non, vel parcius ſecreta, ipſa chylificatio, & per negatas boni chyli ſuppetias primam cachexiæ portam aperit. Princeps enim inſtrumentum coctionis ciborum *eſt bilis, tanquam ſapo elaboratiſſimus,* arteriarum venarumque actionem bis paſſus, qui ſucci pancreatici miſcela ſolutior penetrat, ſubigit ingeſta, ſolvit tenacia, pinguia, reſinoſa, glutinoſa, lymphæ miſcibilia reddit, famem excitat, motum periſtalticum acuit, parietes inteſtinorum detergit, oſtia lacteorum liberat, & totum *corpus ſubactioris* chyli commeatu ſuſtentat. Hæc igitur magni momenti commoda jam deficiunt, cadunt præſidia virium mutantium, ſuam ingeſta indolem, ſuam corruptionem ſequuntur, jamque ſine bile, quam clyſterem naturalem LAZ. RIVERIUS appellat *f*), gluten ac mucus perpe-

tuus

tuus eſt in inteſtinis cum alvi inertia. At tragicorum malorum feracior eſt interior ſcena, dum vel ſanguis impedita ſecretione acer & bilioſus, vel ipſa ſecreta bilis ab obſtaculo repulſa per venam cavam vitales fontes inquinat, & humores nutritios corrumpit. Vt cito alcaleſcit ipſa bilis, ſic in foco internorum viſcerum magis agitata ſanguinem & omnia liquida ſuo contactu ad putredinem diſponit, unde ſitis, febris & alia. Nec omitendum eſt, quod vi ſua ſaponacea ſanguinem in lympham fundat, ut illa ex majoribus vaſis elapſa hæreat in minoribus, accumuletur, tumeat & varias hydropum ſpecies, ictericis in progreſſu tam familiares, pariat. Ita ſine dubio non porta una, ſed plures cachexiæ aperiuntur. Verum ſævius nusquam eſt mali incendium, quam in proprio hepatis ſinu. Omnia hic ſanie & ichore plena, etiam ſi repurgare primas vias ipſumque ſanguinem liceret, huc tamen & illuc novam continuo ſpurcitiem, nulla cohibendam arte, effunderent. Non eſt viſcus putredini magis expoſitum quam hepar in ſtaſi illa humorum corruptibilium, ut ſanguinis meſaraici, & utriusque bilis. Neque pus hic natum docente BALLONIO aliud eſt, quam putris amurca. Denique totum abdomen in reliquis ſuis viſceribus perpetuas ſuſtinet injurias, non modo a tumente ex omni ambitu hepate & functiones eorum ſuffocante, ſed inde inprimis, quod ſanguis abdominalis ab infarcto jam hepate excluſus, reſtagnet intra viſcera ſua, quæ exonerare ſe viis conſuetis nequeunt, & ſtagnando neceſſariam corruptionem ſubeunt.

§. XI.

Differentia icterorum varia eſt pro ipſo bilis ingenio & colore. Diſtinguere inprimis vappidam, viſcidam, lentam cum languore conjunctam; & acrem, tenuem, igneam cum ſiti & febre ſociatam a G. BAGLIVIO commonemur. Altera terreſtribus fixior & obſcurior colore infarctum in vaſis majoribus auget, altera ſolutior in minima penetrat, pruritum per corpus diffundit, ungues,

f) Prax. L. XI. C. 4.

ungues, pinguedinem tingit, ſalivam ſic aliquando inficit, ut ſapor amarus ſit rerum non amararum, nunc etiam oculorum vaſa non albugineæ ſolum, ſed & ſubtiliora corneæ ſubit, ut flava appareant omnia, quæ viſui ſe offerunt. Quam rem neganti contra GALENUM & SEXTUM EMPIRICUM HIER. MERCURIALI binas obſervationes, quæ eam confirment, oppoſuit FRID. HOFFMANNUS *g*). Mira interdum eſt colorum in uno corpore varietas. JOS. LANZONUS *h*) in viro generoſis potionibus addicto icterum notavit, qui totum caput ad guttur viridi, dextrum corporis latus atro, ſiniſtrum flavo colore infecit, atque hi colores, antequam evaneſcerent, in flavum tanquam benigniorem tranſierunt. F. LOSSIUS *i*) colorem icterici jacentis dilutiorem, *ſurgentis ſaturatiorem obſervavit. Et* mirabilior forte res eſt, quod pars interdum aliqua, non totum corpus ictero contaminetur, qualem icterum in ſeptuagenario ira commoto & dextri lateris hæmiplegia tacto CONR. BARTHOLD. BEHRENS *k*) deſcripſit. Fuit nempe icterici illius dextrum latus flavi, ſiniſtrum naturalis coloris, idque tam definito limite, ut etiam dextra tantum naſi pars flaveſceret. Icterum peculiarem mammarum CH. FRID. PAULLINI *l*), unguium WILH. ANDR. KELLNERUS *m*) tradunt. Ceterum diſtingui maxime icterum in *ſymptomaticum* & idiopathicum video. Quamvis enim ſedes in hepate perpetua ſit, occaſiones tamen cauſarum, ut ſpasmi, aliunde oriri, & in hepate illas mutationes, quas icterus ſequitur, gignere poſſunt. Alii icterici chronicorum morborum ſunt, alii acutorum, quidam critici ſunt, quidam periodici, quorum jam ratio partim expoſita, partim adhuc exponenda eſt.

§. XII.

g) Med. rat. ſyſtem. T. IV. p. 4. c. 12. §. 4.
h) Eph. N. C. Cent. V. obſ. 41. p. 61.
i) Obſ. L. III. c. 37.
k) E. N. C. Cent. 3. & 4. obſ. 65. p. 145.
l) D. I. obſ. med. phyſ. c. 9
m) E. N. C. Vol. IV. p. 449.

§. XII.

Ut præſagio de exitu morbi eo conſtantior fides ſit, ſcrutandum in ictero eſt, an hepar jam ante graviter affectum fuerit? an ſanguis jam ante corruptior per vaſa fluxerit? Si neutrum, icterus *ille* ſine cachexia eſt, qualis poſt vim purgantium & emeticorum, poſt levia obſtacula ad os choledochi in inteſtinis, poſt ſpaſmos ſenſibilium corporum ut hyſtericarum, ortus, cito, imo ſæpius ultro remittit, cum raro cauſſarum illarum durabilior actio ſit. Truculentior ſpasmus & perennior venenis debetur, quorum vim eluere & enervare tam promtum non eſt. Ad ſtaſin inflammatoriam acutam & lentam chronicam, ſi moderatior utraque ſit, *vaſis hepaticis nondum deſtructis, imminet* quidem cachexiæ periculum, at nondum natum eſt. *Si ſtaſis illa in finibus* venæ portarum hæret, vis mali propagatur lentius, in finibus arteriæ hepaticæ celerius, ibi ſcirrhum, hic gangrænam magis metuimus, ibi venam ſecare raro prodeſt, cum revulſioni locus haud ſit, hic *omnino ſuaderi* poteſt. Criticus in febribus icterus eſt circa ſeptimum *diem poſt ſigna coctionis*, *pernicioſus circa quartum* poſt ſigna cruditatis. In febre ardente, ſi cum rigore accedit icterus & ſingultus, quinto die mortem inſtare HIPPOCRATES *n*) docuit. Bona ictericorum criſis eſt nunc per fluxnm alvi *o*), qui liquatis ſæpe ſordibus & calculis aditum in inteſtina, poſt prægreſſas querelas de dolore & tenſione hypochondriorum, reſtituit, nunc per fœtidam & ſtrangurioſam *urinam* ante quartum diem, nunc per ſudores craſſos, *flavos*, fœtidos, levantes. *Adde hæmorrhagiam narium*, inprimis naris dextræ. Ita I. F. BAVER *p*) icterum refert ex ira natum & cum febre coniunctum die quinto per narium hæmorrhagiam critice ſolutum eſſe. Mites in liene, hebetioris antea ſenſus, dolores bonam pariter criſin teſtantur. Nam lien a ſanguine ſuo ab *hepatis* tumentis

n) De jud. n. 8.

o) a calculis in veſica fellea per alvum excretis ſanatos legas, apud Sal. Alberti Or. II it. in miſc. nat. cur. D. II. A. IV. & V. c. 99. p. 431. it. D. III. A. IX. & c. 246. p. 431.

p) Act. Nat. Cur. V. III. p. 209. O. 63.

tis portis repulso repletior stupescere & emori incipit, nunc redeunte sensu palam est, liberata vasa hepatica aditum rursus sanguini lienoso concedere. Si icterus est a suppurato hepate, sive pus exedat sensim ipsum viscus, sive rupta externa membrana hepatica in abdomen exstillet, sive violentas vias per intestina aut venam cavam sibi aperiat, nulla spes est, nec nisi levissima, si extrorsum ad peritoneum se evacuat. Hic cachexiæ ictericiæ extremus furor est, qui nunc in hecticas consumtiones & hæmorrhagias, nunc in hydropem vel hydrope crudeliorem tympanitidem convulsionesque exit. Nec icterus ex scirrho, licet quiescentibus plus indulgeat serenioris intervalli, medelæ facile capax est, sed lente suppresso chylificationis opere emaciat & interimit. Certe *nunquam spernendi sunt icteri judice* DODONAEO, quod sæpe sub iis magni, periculosi, repentini morbi abscondantur. Qui a calculo est obstruente ob bilem inde retro actam per vias oppositas, dolore, anxietate, vomitu per crebras periodos affligit, nec tamen peritiorum medicorum operam prorsus eludit.

§. XIII.

Medendi ratio varia est, *nunc enim chylificationis læsæ damna sarcit*, nunc ipsum hepar infarctu suo & vitio liberat, nunc bilem ex venis, in quas infusa est, eluit, nunc symptomatum cohibet *sævitiem*. Non errat, qui laboranti primarum viarum coctioni protinus *succurrit*, & *aliquid bili affine pro juvanda chylificatione* substituit. Familiare sibi esse absinthium ponticum iusculo coctum, vel etiam marubium, centaurium minus, carduum benedictum & similia, quæ præ mille pomposis remediis pharmaceuticis sufficiant, scribit G. BAGLIVIUS. *q*) Similiter marubium PETR. FORESTUS, absinthium omni mane REIN. SOLENAN-

q) Prax. med. L. I. p. m. 83.
r) Conf. 15. S. 5.

LENANDER *r*) commendat. Ipſum legimus HIPPOCRATEM *s*) abſinthium & aniſum laudare. Huc animam hepatis rheum refero, quod cum ſale tartari aquæ infuſum leniter purgantis & tonicæ virtutis eſt. Miſce huic animæ rhabarbari terram foliatam tartari, ut plus ſolvat, detergat, roboret, & aditum ad interiora novis viribus muniat. Aliis gentiana & trifolium fibrinum placet, imo ipſa animalium bilis, ut anguillarum, vel ſapo venetus eximiæ virtutis, a quibus omnibus vires coctionis reſurgunt, lentum gluten reſoluitur, alvus ad officium redit, chylus melioris notæ internis humoribus affunditur, & viæ patent liberius, quæ medicamenta nullis primarum viarum ſordibus inquinata vel heberata introrſum vehunt. Atque hæc maxime in lento & chronico ictero conveniunt, jamque licebit in corpore ſic præparato pro ipſa ſanguinis maſſa & hepatis vitiis eluendis decoctum Lindani euporiſton *t*) vel infuſum antimonii crudi, quo ſanati inter triduum icteri G. H. WELSCHIUS meminit, *u*) propinare. Largiora decocta graminis, taraxaci, apii, caryophyllatæ, vel quorum forte major uſus eſt, recens expreſſos fumariæ & beccabungæ ſuccos cum nitroſis ac mellitis in calidioribus laudamus. Atque hæc non modo per os & clyſmata, ſed & fomenta hypochondriis applicata, communem nauabunt operam. Plurimis acetoſa placet, Italis cichorium, nobis herbæ arrident lac amarum ſtillantes, ut ſonchi & lactucæ. Nam lac illud tenaci materiæ permiſtum delinit ut bilis, ſalina parte ad nitrum accedit. Nec parum fructibus horæis blandioribus tribuimus. Inter potulenta nihil tam eximium eſt, quam ſerum lactis, cujus liquidior pars reſorpta recto itinere ad hepar fertur. Et quid non ab aquis mineralibus e. c. acidulis Spadanis & Egrenſibus, thermis Carolinis aliisque expectare fas eſt? quibus lentas ſtaſes hepatis diluendi & ſolvendi non diſſimulanda vis ineſt. Sine his certe negat

FRID.

s) III. morb. n. 12.

t) v. Miſc. Nat. Cur. D. III. A. II. O. 87. p. 138. it. O. 88. p. 139.

u) ib. D. I. A. IV. & V. app. p. 38. G. H. Welſchii miſtomn. 55.

Frid. Hoffmannus *x*) contumaciorem icterum, & crebris recidivis affligentem, tolli poſſe. Non eſt multo inferior virtus ſalium neutrorum, ut tartari vitriolati, arcani duplicati, ſalis polychreſti & aliorum, quæ aperiunt, ſolvunt, detergunt, putredini reſiſtunt, modo in fine tonica haud negligas, ut corticem caſcarillæ, tincturam martis & ſimilia. Gloriatur Hor. Augenius *y*), ſe electuario ſuo chalybeato omnes fere ſanaſſe ictericos, ubi ſcirrhus hepatis non adfuit, etiam inveteratos: quod in mucoſo corporis infarctu & atonia facile probamus, in calidiori & ſtrictiori corporis habitu damnamus.

§. XIV.

Euacuantium ratio non æque expedita eſt. Venam ſecare in hepatitide graviori, calidis & plethoricis, in primis poſt ſuppreſſos menſes & hæmorrhoides, non poteſt non opportunum eſſe, at in lento hepatis infarctu ac virium inopia id tentare ſine metu creſcentis morbi non poſſumus, nec revulſionis, in hoc morbo ſpes facile locum habet. Purgari ægrum *prohibet* Hippocrates, *z*) plus enim, inquit, periculo eum expones, *nec iuvabis.* Nempe facile & emetica & purgantia ſpasmos excitant, *humores exagitant*, vires deiiciunt. Maxime mercurialia in corpore ſalino & *bilioſo metuuntur. Diuretica* & ſudorifera, quæ per renale & cutaneum cribrum noxia tranſmittunt, pariter a multis ob ſtimulos rejiciuntur. Sed vagus ille metus eſt, qui uno vel altero infelici ſucceſſu nititur, varias morbi conditiones negligens. *Sudore per largum vini* generoſioris potum orto convaluit ictericus apud Ios. Lanzonum *a*). Icterum ſcorbutici ſub frigus tertianæ invaſiſſe, ſudoribus diffluenti-

bus

x) Med. Syſtemat. T. IV. P. IV. p. 363.

y) L. VII. Epiſt. 3. & 4.

z) de loc. in hom.

a) Ephem. Nat. Cur. D. III. A. 2. O. 33. p. 41.

bus evanuiſſe a Fr, Lossio *b*) memoriæ proditum eſt. Ita qui purgantia formidant, auripigmentum per errorem pro purgante aſſumtum ſuſtuliſſe icterum, a Marc. Gerbizio *c*) relatum reperient. Vitus Riedlinus *d*) diagrydio & martiatis icterum profligavit. Nempe horum omnium ambigua virtus eſt, niſi ante omnia ad genium morbi, & naturæ veſtigia ſibi ipſi hic conſulentis, quippe quæ unice terenda ſunt, reſpicias. Sæpe in ictero ex hepatitide ſalutarem alui fluxum natura excitat, ubi artis præceptis convenit, laxare vias illas, potu tamarindorum, ſero lactis, in quo acetoſa cocta, & clyſmate emolliente ex decocto maluæ cum melle. Sæpe natura per fœtidum lotium repurgat corpus, ubi renibus, perinaeo, hypogaſtrio fomenta ac balnea conveniunt, cibus præterea diureticus ex fructibus horæis vel decocto milii in lacte ebutyrato. Si ſudores natura ciet, balnea in primis vaporis cum fructu proſunt. Poto vino generoſo ſumto ſudare, lavari, laborare Hippocrates in ictero jubet. *e*) Nigrum icterum ſudore & balneo ſanavit brevi V. Riedlinus *f*). Nunc fieri ſolet, ut narium hæmorrhagia ſolvat, ubi nares ſpongia tepida fovemus. Guttæ aliquot ſucci cucumeris aſinini mixtæ cum pauco lacte mulieris, ac per nares tractæ, fere incredibiliter icterum per nares expurgare dicit G. Baglivius. *g*) Hæ veræ artis ſuppetiæ ſunt, ad omnia naturæ vel reſoluentis, vel coquentis, vel eliminantis molimina attentæ, quæ non facile, niſi nimis invaluerit morbus, ſuo ſucceſſu deſtituuntur.

§. XV.

b) Obſ. L. III. O. 35.

c) Eph. Nat. Cur. D. III. A. 5. & obſ. 137.

d) Cent. VIII. obſ. 26. p. 292.

e) De loc. in hom.

f) cur. med. p. 296. o. 397.

g) Prax. med. L. I. p. m. 83.

§. XV.

Verum non ſimili ſucceſſus ſpe nituntur conſilia in ictericis, qui purulento vel ſcirrhoſo iecinore laborant. Non niſi hiſtrionis eſt, qui ſigna affecti corporis interpretari neſcit, magnam in tanto cachexiæ gradu opem iactare. Cito abſceſſus internas hepatis ſedes depaſcitur, unde naſcitur icterus cum ingenti ſiti, ſumma debilitate, anxietate & macie. Hordeata mellita, ſerum lactis cum tamarindis coctum, acidulæ cum lacte, oxymel, nitrum & ſal ammoniacum multa aqua dilutum, dare aliquid levamimis poſſunt & celeriorem mali progreſſum inhibere, at ſiſtere nunquam & certa fide eradicare. Si ulcus rupto hepate abdomen *h*) implet, veſica, ventriculus, inteſtina, & quidquid in abdomine viſcerum eſt, ita comprimuntur, ut transmittere nihil vel recipere queant, & abolita omni eorum functione decedat æger. Tumidum abdomen, ſi lanceola perforatur, ſubſidit, ſed altero die iterum tumet, renata in putri loco materia elaſtica. Ars hic negat præſidia ſua, novit que inania eſſe. Si ſtillat pus hepaticum in inteſtina *i*) cum nauſea, ſiti, vomitu, & dyſenteria, perit exhauſtus æger, nec niſi diæta acida tenui vim orientis putredinis aliquamdiu ſiſtit. At ferociores turbæ ſunt, ſi illa ſanies in ſanguinem per venam cavam effuſa *k*) febres continuas accendit, & fuſco imo æthiopico colore cutem fœdat: nam ad caput advecta funeſtis deliriis, ad pectus terribili dyſpnoea, ad extrema tetris ulceribus, & per meſaraica imprimis colliquativo alui profluvio interimit. Levis hic eſt levaminis umbra ex remediis paulo ante laudatis. Nec ſi abſceſſus verſus peritonæum penetrat, certa emergentis ægri ſpes eſt, niſi aperto abſceſſu *l*) illo pus bonum, album, æquale, nec ſpecillum inficiens, exeat.

h) v. Icterum hujus loci apud *HEVRNIUM* obſ. 22.
i) v. tales ictericos in *BONTII* obſ. 9.
k) Icterum huius capitis TH. *BARTHOLINUS* notat. v. Hiſt. anat. Cent. IV. Hiſt. 18.
l) *FR. RVYSCH* obſ. anat. chir. L.

eat. Raro id fit ob genium puris in his *locis*, tum vero diæta tenuis antiſeptica & detergens, donec cicatrix *loco* affecto inducta ſit, commode adhibetur. In ſcirrhoſo hepate cavendum eſt, ne vaſa viva per ambitum ſcirrhoſæ partis repentia, inflammentur & cancreſcant. Id vitabit æger, ſi edat bibatque parum, nunquam ſe ſubito moveat, nec affectibus animi indulgeat. At flebile artis beneficium eſt, quod dubias inducias, pacem nunquam, ab hoſte impetrat.

§. XVI.

Nec ſordidas & ſuperſtitioſas ſanationes multum hic moror. *Lotium pueri potandum laudat* FEL. PLATERUS, *m)* ſaccharo quidem & melle miſcendum, nec in frigido & lento infarctu prorſus contemnendum, ſed nihil cauſæ eſt inter digniora præſidia, ut ad id, quod ſordium nomine natura ejicit, confugiamus. Nec multo plus ille ægrorum palato *blanditur, dum pediculos devorare ſuadet.* Anſerum ſtercora, quæ nitro ſulphureo turgida *plurimum attenuare Ios.* QUERCETANUS cenſet, in uſum tracta GER. ARN. VINQUEDES, *n)* extollit, & ne in re una illepida acquieſcat, piſces diſſectos ſcrobiculo cordis ad ſummum fœtorem imponit. Quis morbo putri ac fœtido putribus illis ac fœtidis conſulat? Sunt, qui in tranſplantando ictero operam ſuam perdunt, acri cenſura digniſſimi. Anomalis ingeniis, ut ROBERTI. A *FLUCTIBUS o)* convenit hæc ſpes. THEOD. CHR. KRUG *p)* ictericam nullo medicamine *levatam* ſic ſanavit, ut ex urina ægræ & farina triticea confectas placentulas ſiccatasque cani maſculo eſurienti obiiceret. Ita, inquit, remiſerunt ſymptomata, & paulo poſt ægra convaluit. Similis narratiuncula apud FR. IOEL. *q)* occurrit.

m) Op. T. III. p. m. 101.
n) miſc. nat. cur. Cent. 3. & 4. obſ. 148. p. 342.
o) philoſ. moſaic. S. 2. L. III. n. 1. c. 4. & 7.
p) miſc. nat. cur. D. III. A. V. & VI. o. 160. p. 366.
q) Op. T. V. S. 2.

currit. Alios mingere oportet in formicarum acervum, quam tranſplantandi methodum attigit SIM SCHULTZIUS. *r*) Inter alia, quæ hic ſuis cenſuris perſequitur TH. BARTHOLINUS *s*) ſanguinis meminit ex mediana ægroti extracti, teſtæ ovi per artem incluſi, gallinæ per XIV. dies ſuppoſiti & famelicæ dati, unde ægra euaſerit. Verum ad fabulas ſilere quam reſpondere ſatius eſt.

r) Miſc. nat. cur. D. I. A. III. o. 89. p. 146.

s) Hiſt. anat. Cent. III. H. 66.

DISSERTATIO

DE

MEDICINA PLAGOSA

PUBLICE PROPOSITA

GOTTINGÆ, D. 17 AUG. 1746.

RESP.

G. ALB. DE SELPERT,

RATISBONENSI.

CONSPECTUS DISPUTATIONIS.

§. I. *Medicinæ plagoſæ ambiguitas & duplex ſenſus.* §. II. *Status medicinæ plagoſæ ex parte medici ſtrictim attingitur.* §. III. *ex parte ægri, ut ſcopus argumenti, ſtabilitur. Damnatur mollities ægrorum & noxia lenitas medicorum.* §. IV. *Salutares plagæ in morbis animi ſimulatis.* §. V. *in morbis animi veris, ut melancholia & furore.* §. VI. *his affines morbi in ſecta flagellantium & ad uſum verberum ultro ruentium conſiderantur. Spes hic ſucceſſus dubia ob varios impuri fomitis ſtimulos.* §. VII. *Uſus in apoplexia & epilepſia.* §. VIII *in paralyſi & in primis paralyticis excretionum organis, tabe & macie, arthritide & podagra.* §. IX. *Uſus in multis aliis morbis chronicis, ut dyſenteria, odontalgia, ſingultu, luxatione maxillæ, deliquio animi in balneis, ſterilitate, impotentia ad venerem &c.* §. X. *Quæſtio, in quo poſitum ſit ſalubritatis tam variæ momentum? a vi nempe ſtimulante & revellente in primis. Negatur aliorum ſtimulantium & revellentium parem*

virtutem esse. §. XI. *Responsio ad illos, qui pudendam, contumeliosam & plenam doloris medicinam vocant.*

§. I.

Ferunt, quos in limine fortassis nomen plagosæ medicinæ offendit. Cujus cum dubius sensus esse possit, quod vel plagas in remedium morbi ars præscribat, vel ipsa in præmium operæ auferat, neutrum videtur sine probro fieri, nec concinnum publicæ disquisitionis argumentum præbere. Verum enim vero uti probrosum nihil est, quod salutem ægri vindicat, & hi interdum ipsi læto ore, nec de sævitia remedii querulo, exclamant:

Scorpius & fabæ nostra fuere salus a);

ita ex altera parte medicina, quæ multis aliquando censurarum vibicibus plagosa adparet, hoc in opprobium suum minime interpretatur, bene merendo male audire, vel, ut *Cicero* ait, aliorum sermone vapulare.

§. II.

Neque tamen est, cur alteram plagosæ medicinæ speciem multis attingam. Nam quibusvis verecundioribus integrum esse debet, sua & artis vulnera, etsi modeste ferunt, reticere vel dissimulare. Propterea haud eorum væcordiam excuso, qui fruges fastidiunt & spinas colligunt, nunc de medicina incerta, cum Leonhardo Capuano *b*), nunc de contemta cum Gerhardo

a) Scorpii s. scorpiones sunt flagella taxillis, uncinulis, aculeis ferreis, ossibus pecuinis innexa, hinc aculeata, hamata, taxillata dicta. Fabæ sunt scuticarum in summitate nodi instar fabarum. *Isthæc in me cudetur faba*, inquit *Parmenio in Terent. Eunuch. A. 2. S. 3. Confer. C. F. Paullini Obs. Med. Phys. D. 1. O. 2.*

b) *v. ei cogitat. in VIII. D. prolat. in quibus origo & progressus medicinæ distincte enarratur, incertitudo simul ejusdem perspicue detegitur. Edit. 2. Neapol.* 1689. 4. In hoc libello contentiones medicorum non

DO GORIS *c*), nunc de eadem per exſpectationem id eſt, per dolos & mendacia curante cum GEDEONE HARVEO *d*), alia cum aliis differunt, aſperius ſæpe ipſis adverſariis, & decus artis, cujus ultores eſſe debebant, laſcivo pede conculcant. Hac via, quaſi per proditores ſtrata, incedere alios, & nunc cum ARISTOPHANE *e*) medicos σκατοφάγους adpellare, nunc ſervitia apud Romanos & exilia objicere, nunc alia in dedecus artis ſcommata jactare, quid mirum eſt in illa plerorumque ingeniorum petulantia? Verum hoc plagarum genus ad quos non pertinet? Nulla profecto diſciplina eſt, in qua non maculas vel arguta ingenia perſpexerint, vel finxerint maligna. Fortaſſis proprio magis ſenſu plagoſos vocabis medicos, in quorum interdum faciem phreniticos involare, capillos turbare, veſtes lacerare non ignorant, qui tragicis morborum ſcenis ſæpius interfuerunt. Durius eſt, quod GLAUCO *f*) accidit, cum *Hephæſtionem*, & GABRIELI

tam medicis adſcribit, quam ipſis medicinæ fulcris titubantibus, rationi & experientiæ dubiæ.

c) *De medicina contemta Ao.* 1700. *Leydæ*, ubi Thraſonibus medicis ipſe ſummus Thraſo ſuccenſet. Confer de aliis ejus ſcriptis judicium *I. Aſtruc. de lue Vener. T. II. L. 9. S. 7. p. m.* 1048.

d) Exagitat medicos etiam in optimis artis adminiculis: ita ferreos vocat, qui chalybem, aſinarios, qui lac, inprimis aſininum, aquarios, qui fontes medicatos, lanios, qui V. S. ſtercorarios, qui purgantia ubivis inculcant. Confer. G. E. *Stahlii* artem ſanandi cum exſpectatione, oppoſitam ſatyræ huic Harveanæ.

e) Nempe apud *Ariſtophanem in Plut. Act. III. Scen. 2. Edit. Friſchlin. pag. 56.* ſervus *Cario* de rebus in delubro *Aeſculapii* geſtis Dominam inſtruens, ſibi ventrem, pulte farctum, ait crepitaſſe ad acceſſum Dei, grabata ægrotorum circumeuntis. At, inquit, ὁ λιβανωτὸν γὰρ βδέω. Igitur *Aeſculapium* σκατοφάγον vocat, quia id penſi non habuit, licet inter filias, patris comites, *Jaſo* erubeſceret, & *Panacæa* naribus compreſſis ſe averteret. Sumitur hic σκατοφάγος ſenſu improprio, uti φθειροφάγος, apud Strabonem pro ſordido, & ἀγκυροφάγος apud Heſychium pro avaro.

f) *vid. Arrian. Exped. Alexandr. Lib. VII. p.* 232. *Edit. Gronov. fol.* In Curtii *Suppl. Freinsh. Lib. X. C. IV. n.* 12. *Alexander* dicitur medicum, tanquam in curando negligentiorem, ſuſpendi juſſiſſe.

IRIELI de ZERBIS *g*), cum ſatrapam Turcam ſanare non poſſent, quorum ille in crucem actus, hic per ſatellitum acinaces conciſus periit: ne de iis dicam, qui ſuo occubuerunt flagitio, ut VECTIUS VALENS *h*) valetudinem *Meſſalinæ*, & APPOLLONIDES COUS *i*) uterinum *Amytis* morbum ſpurca libidine contaminantes. Verum id fatum ſive infelicium, ſive ſceleſtorum medicorum, iis forte minus imminet, qui artis ſucceſſu & probitate conſilii gaudent. Nec tamen a plagarum injuria longe abeſt diverſa illa facies, quæ medico tribuitur, altera boni genii, dum ſanat, altera mali, dum ſanavit. Nec poſſum, quin rei hujus mentione injecta, de veris etiam medicorum, quibus proſpere res ſucceſſit, plagis, lepidam interpretis cujusdam conjecturam attingam. *Erat captis Hieroſolymis R.* ZADOCK, *qui ſuſpiriis ſuis, lacrymis, jejuniis & deprecationibus imminentem urbis cladem per quadraginta annos avertere conatus in ſceleti ſpeciem emarcuerat.* Virum tam probum & crimina gentis ſuæ inter illos corporis ſui ſquallores deflentem adduci ad ſe juſſit *Titus Veſpaſianus*, & quum vidiſſet hominis extrema macie confecti umbram, medicos ſuos obtulit, qui ſanitati ejus conſulerent. Ab his *longa opera* recreatus, & a filio, ne ſine præmio eos dimitteret, admonitus, *ſolvere juſſit*, quidquid mercedis deberetur, ſecundum digitorum *computationem k*). *Hanc bonus ille interpres* pro alapis explicat, quas ſenex ille *medicis ſuis, quippe paganis* hominibus, apud quos nullum ſit, etiam in ſucceſſu operis, meritum, *infligendas* in abitu eſſe cenſuerit. Facile juſtior interpretatio reſpicit abacos veterum per digitos manusque *numerandi*, qualem veterum Latinorum ex BEDA cum *picturis* & imaginibus deſum-

g) *v. B. Seidel. L. I. de morb. incurabil.* Poteſt huc referri *Auſtrigildis* dyſenteria maligna periens, quæ rogavit maritum *Guntchrammum*, Galliarum Tetrarchum, ut ſibi liceret ante obitum oculos paſcere cæde medici, quo uſa incaſſum eſſet. *Aimon. Lib. III. de reb. geſt. Franc.*

h) *vid. Tacit. annal. lib. XI.* 35.

i) *v. Phot. Biblioth. C.* 71. ex *Ctes. lib. XVII. de reb. Perſic.*

k) להושבנא ראצחעות vid. איכה רבתי ſ. Gloſſa major in threnos Jerem.

desumtam apud Io. AVENTINUM *l*) propius licet intueri. Rectius quidquid tam inficeti præmii est, empiricis & circulatoribus, mortem pro salute offerentibus debetur, quibus fustigationis vel relegationis pœnam pro arbitrio judicis lex civilis *m*) imposuit.

§. III.

Talia, ut præmonui, animus non est fusius prosequi. Medicina hic nobis altero tantum sensu plagosa erit, quæ per plagas & verbera ægros sanat, cum mitiori vel efficaciori remedio non possit. Corrumpunt medicinam, qui placere eam, quam prodesse malunt. *Nunquam blandior nocentiores nævos eluit*, sævitia interdum requiritur, ipsis morbi injuriis non multum inferior. Ita vero contra desideria sua sentiri, ita ieiunii, se fatigari, ita in gaudia salutis se excruciari, ipse postulat Imperator in formula archiatrorum *Cassiodori*. Recte SENECA *n*) nulla inquit, dura videtur curatio, cujus salutaris effectus est, & PLATO in *Gorgia* excusat medicum, qui secando urendoque consulit, amarissimos potus exhibet, sitim famemque imperat. Aeger, si recte ejus indolem perspexit TERTULLIANUS *o*) mercede cumulabit medicos, artifices optimos prædicabit, sævos fuisse negabit. Crudelis mansuetudo est, tumentes vulnerum sinus leni manu attingere, & brevis offensionis metu furorem morbi alere. Laudari ait SIMPLICIUS *p*) medicinam exercentem, uren-

l) Accessit ejus *annal. Boior. Edit. nouiss. Gundling. Lipsi. Ao.* 1710.

m) *v. Carpzov. prax. Crim. p. I. quæst.* 13. §. 24. *Zach. L. VI. Tom. I.*

n) *Lib. I. d. Ira. Cap.* 5.

o) *adu. gnostic.*

p) *Comment. in Epictet. Enchirid. c.* 12. laudari ait ἰατρικὴν γυμνάζεσαν, κάιουσαν, μύρια ἀποκόπτουσαν, καὶ τὰ αὐτὰ τοῖς ἀφειδῶς κολάζουσιν ἀνθρώποις ποιοῦσαν. Ita *Basilius M. in ascet:* ratio dictat ferri deberi τομὰς, κάυσεις, τὰ διὰ δρυμέων καὶ ἐπιπόνων φαρμάκων ἀλγήματα, ἀσιτίας διαίτας, ἀκριβῆ μέτρα &c.

urentem, membra resecantem & sævos carnifices imitantem. Hæc sine dubio possit major injuria videri, quam plagarum & verberum a manu amante & honesta. Errant profecto, qui medicinam semper in sinu habere jactitant, quæ cum iucunditate prosint, & optionem penes ægrum esse, quo genere auxiliorum plus oblectetur, servili indulgentia persuadent. Hoc ASCLEPIADIS *q*) studium fuit, ut veterum medicorum severiora præcepta, ad pedes hominum sui ævi abiiceret, & nullum in arte esse, etiam ab improbissimorum desideriis, dissensum, temere dictaret.

§. IV.

Primum animi morbis, quos ratio non corrigit, medicinam nostram salutarem esse remur. Haud illos penitus excludimus, quibus ficta corporis labes occasio lucri est. Sæpe, inquit THOMAS BARTHOLINUS *r*), epilepsiam mentientes aspero hoc remedio sanati sunt, antequam ægrotarunt, profuitque etiam ad prophylaxin, ne postea hominibus simulato morbo imponerent. Novi, idem ait, pigros servos, nescio quem morbum comminiscentes, flagris ad officium rediisse *s*). Verum hoc disciplinæ genus a dominis potius aut magistratu dirigitur, haud proprie cum sanis medico res est; nisi ut de eorum impostoris, ex artis re-

q) Illi debetur regula, cito tuto & iucunde sanandum esse. Sustulit violenta omnia, & facilia ac grata substituit. *v. Cleric. hist. med. P. II. L. 3. C. 4. sq.*

r) *vid. epist. eiusd. ad Henr. Meibom. de flagrorum usu medico p.* 7.

s) *Ibid. p.* 8. Poterat hæc medendi ratio mulieri Argentinensi, ventris tumorem per 39. annos mentienti, convenire, cujus historiam cum apologia medicorum Argentinensium exhibuit *Io. Bæclerus.* Illa nimirum, ut in iuventute prægnantis ventris suspicionem effugeret, progressu deinde tot annorum illum tumorem, quem medicos inspicere pudicitiæ specie passa non est, arte affinxit. Cum moreretur *Ao.* 1728, venter sine vitio, & saccus XIX. librarum pannis & linteaminibus farctus, quem ventri aptare scivit, repertus est. *Vid. Act. Med. & Phys. N. C. V. II. O.* 94. *p.* 207.

regulis penitius cognoſcendis, rogatus illos inſtruat, apud quos cognitio cauſſæ eſt & pœnæ arbitrium. Poteſt nimirum callide expreſſa morbi cujusdam facies multos fallere, minime peritum medicum, qui perſpicaciori oculo, quid phænomenorum in illa ficti morbi ſcena omiſſum ſit, quid contra morbi leges expreſſum, levi attentionis opera cognoſcit. Neque enim talis fallendi artifex perfectam tenet morbi ideam, neque ſi teneret, totam exprimere in ejus poteſtate eſſet. Particula medicinæ non contemnenda eſt, quæ improborum hominum in imitando morbo aſtutiam, ex ipſis illis mutilæ imitationis veſtigiis deprehenſam, protrahit in lucem, publica legum ſeveritate coercendam.

§. V.

Crebrior eſt medicinæ noſtræ locus in vera animorum impotentia, melancholia aut furore. Honeſtum virum ſe noſſe, ſcribit TH. BARTHOLINUS *t*), non raro furentem, at quoties alterius fortioris minis & verberibus cogatur, agno pacatiorem. Nobis cognita eſt in celebri urbe, medici manu fortis, animo intrepidi, ſolertia in ſanandis melancholicis & furioſis felix. Cum ſoleant plerique errantem melancholicorum ideam adplauſu quodam excipere, lenique obſequio demulcere, is eandem verberibus potius excuſſit. Quoties non deflecterent verba a rationis præceptis, laudavit ægros, & multis officiis demeruit, ſi deflecterent ad vitioſam illam ideam, correpto ſtatim baculo naſcentem errorem exſtinxit. Si diceret æger: *tantæ mollitiei corpus meum eſt, ut ſine dubio ad leuiſſimum motum, imo attactum alterius diffluat*; ille ſic delirantem ſtatim in rhedam iniecit, & per aſperas vias vectum, fortiterque concuſſum convicit erroris, vide, inquiens, quantum abſit, ut ad violentum etiam motum diffluas! Ita errorem vicit fortiter repugnando, & quoties ille *novo germine pullularet*, reſecando ſtatim, objurgando & manu armata obluctando. Nihil in ſanatis hac methodo ægris, niſi

t) *l. c. p. 13.*

niſi major quædam meticuloſitas in quibusdam remanſit. Subjicimus ſimilem furoris medelam ab ipſo furioſo exambitam. Fuit in vico Wagriæ ante XX. circiter annos, qui uxore ducta, quam mox conſpexit corpore laceram & cicatricibus deformem, indignabundus rem ad judicem detulit. Narravit mulier, ſe viri, illius loci juſtitiæ præfecti, furoribus ſanandis, qui per intervalla ingruebant, mercede conductam ſerviiſſe, ita ut, quoties vis morbi immineret, utrinque ſecretiorem petierint locum, & nudata corpora dilaniaverint mutuo virgis, ubi demum ille ad ſanguinem cæſus & cædens, hoc conſpecto compos ſui factus eſt, & liberato quaſi cerebro ad tempus reſipuit, iterata tamen medela aliquoties per annum indiguit. In ædibus defuncti ad indicium mulieris reperti ſunt multarum virgarum faſces, ut ſtatim nimirum redeunti furori ad manum eſſet medicina. Speciatim ex amore melancholicos & inſanientes fortiter & aliquoties vapulare jubet RHASES *u*). VALESCUS DE TARANTA *x*), ſi juvenis eſt æger, flagellari culum jubet, ſi nondum reſipiſcit, in carcere incluſum aqua & pane ſuſtentari. Vidit Jo. BODINUS *y*) Londini furorem epidemicum, quo correptos acerrimis verberibus caſtigari oportuit, quarta decima luna, qua major vis eſt furoris, tumente cerebro. Cujus rei cum eum commiſeratio cepiſſet, intellexit ex iis, ad quos cura morbi ſpectabat, ſalutarem hanc furoris medicinam eſſe. CAELIUS quidem AURELIANUS, dum furoris meminit a *Tito* *z*). ASCLEPIADIS diſcipulo verberibus ſanati, haud plane conſentit, partim quod affectus in furioſo locus, caput videlicet plagas non ferat, partim quod longus dolor ex plagis ſuperſit. Verum ut in doloribus illis parum ſævitiæ eſt, ſi mentem inde ſibi reſtitutam ſpectas, ita in remotioribus locis excitati ſua revulſione proſunt, nec æſtum & alia, quoniam furor ſine febre eſt, excitant. Haud penitus ab iis, qui mentis compotes

u) *v. L. I. Contin. c. 4.*
x) *Philon. L. I. c. 17. p. m. 53.*
y) *L. V. de Republ. c. 1. p. m. 790.*
z) *L. I. tard. paſſ. c. 5.*

potes non ſunt, ſomnambulos excludo, quos noctu ſurgentes verberibus mulctandos eſſe, multi auctores ſuadent: id quod feliciter ſucceſſiſſe exemplo hominis ſibi cogniti HENR. MEIBOMIUS *a*) teſtatur, malo per verbera feliciter depulſo, nec unquam redeunte.

§. VI.

Non poſſum hic mirum illud hominum genus præterire, quod ſacro quodam furore, vel vero, vel ſimulato, in corpora ſua ſævit. Ad ſectam illam flagellantium *b*) reſpicio, quæ ferventioris pietatis ſpecie ad expiandam vitæ anteactæ conſcientiam dorſum vulneribus ſecat, adeoque medicinam noſtram ipſa inconſulto præripit, ejusque virtutem nimio uſu obtundit. Neque in veteri neque nova eccleſia diſciplinæ hujus ante ſæculum XI. veſtigia exſtant, at lapſa meliori parte ſæculi hujus cœperunt religioſi viri, ſtimulis atræ bilis forte magis quam pietatis impulſi, pœnas priſtinorum criminum a ſe ipſis repoſcere, & virgis, loris, flagrisque corium ſibi lacerare. Potuit error ille, quamdiu inter privatæ diſciplinæ limites ſe continuit, ut innocentior tolerari: potuit miſeratio ſubire, pias animas atris morbi melancholici inquinamentis laborare *c*). At ſæculo XIII. in lucem

a) *v. Ep. ejusd. ad Barthol. p.* 103. *annexa patris ſui diſſertationi de uſu flagrorum in re medica & venerea.*

b) Poſt A. 1047. vel 1056. quo tempore *Petrus Damiani de honeſtis* vixit, quem *Baronius Annal. Eccl. T. XI. A.* 1056. *n. VIII.* vel autorem vel propagatorem vocat diſciplinæ hujus, qua pœnitentes ſe flagellant. Ipſe *Damiani*, qui obiit Ao. 1072. id in epiſtolis ſuis teſtatur de *Dominico Loricato* eremita, de *ſancto Rudolpho* monacho a iisque. Ampliorem catalogum habet *Gretſerus* Jeſuita in virgindem. *Volc. c. 5. p.* 116.

c) Cœpit furor ille, qui pietatis larva impoſuit Ao. 1260. in Italia, ſuppreſſus novis ſurrexit viribus Ao. 1340. Spiræ præſertim in Germania, & denuo caput extulit principum indultu in Gallia A. 1574. Obſtiterunt quidem ab initio ſtatim Alexander IV. pontifex, & deinde Clemens VI. & inter Italos principes Rex Siciliæ *Manfredus*, præterea in Germania *Carolus IV.* alii magiſtratus in aliis locis; at vix potuit torrenti huic ob-

cem publicam ſe proripuit mali morbi genius, & *Peruſinos* primum, deinde omnes fere Italiæ populos ita corripuit, ut ſpretis valetudinis, pudoris & legum vinculis, ſenes & juvenes, nobiles & ignobiles, docti & indocti, non die ſolum, ſed & nocte accenſis cereis, aſpera etiam hieme, per plateas nudi ruerent, cœtu interdum decem millium collecto, præcedentibus ſacerdotibus cum vexillis & crucibus, inter lugubres cantus, flebiles modulationes, & flagrorum, aſpera manu ſibimet ipſis inflictorum, ſtrepitus. Quis non hic furorem imo furoris quoddam contagium agnoſcat? in quo nihil æque mireris, quam multorum in una ſcena inſtruenda conſenſum. Venuſte THUANUS *d)* hanc laſciviam religionis vocat per voluntarios cultus luxuriantis, eique mortem *Caroli Cardinalis Lotaringi* tribuit, quandoquidem ipſe rex Galliæ HENRICUS III. cum proceribus aulæ ſuæ flagellantium turbæ ſe miſceret. Non male fortaſſis turbam illam in triplicem claſſem diſpeſcimus, ut una ſit furioſorum, altera improborum & fraudulentorum, tertia eorum, qui hebetis & flexilis ingenii colore pietatis ad omne facinus, præeuntis gregis exemplo, tanquam habenis quibusdam trahuntur. Mixtus igitur animi & corporis morbus variis in uno cœtu nervis dirigitur, & ſub pœnitentiæ *fuco* probis illudit, totus ex pagana ſuperſtitione ortus *e)*. Quamvis cum *pontificiis* BOILEAU *f)* nihil reprehendat

ſiſti. Neque ſolum *Sebaſt. Franckius* & *Rud. Hoſpinianus* plurimos errores inſano gregi tribuunt, ſed & alii, primis ſtatim temporibus, quibus rabies illa erupit, proximi, ut *Hermannus de Schilde*, *Jo. de Indagine*, & *Jo Gerſon*. Miror virorum horum operam, quod eorum, qui vere inſanirent, errores in doctrina numerarent.

d) hiſt. P. III. L. 59. *p. m.* 61. *&* 62.

e) Videtur totus ille mos voluntariæ flagellationis a paganis fluxiſſe. Solemnis *Lacedæmonum* διαμαστίγωσις, *Aegyptiorum* mutuæ flagellationes in feſto *Iſidis*, teſte *Herodoto*, *Scytharum*, in honorem *Dianæ*, notante *Philoſtrato*, *Arcadum*, tempore *regis Evandri* in gloriam Dei *Pan*, & alia id generis, hoc ſatis confirmant. Apud *Apulejum L. 8. metamorph.* ſacerdotes Syriaci ancipiti ferro brachia ſibi ſecabant, & quaſi erroribus vitæ ſuæ ſuccenſentes, contortis tæniis lanioſi velleris atrociter & ſine gemitu ſe verberabant. Ad quæ *Phil. Beroaldus* bene notat,

dat in hoc inſtituto, niſi diſciplinam voluntariam, quam ſuperiorum leges definire debebant, deinde eandem nimis ſeveram, nec verecundam ſatis, nudatis publice corporibus; imo GRETSERUS *g*), rem omnem defendat, de una hac quæſtione ſollicitus, dorſo an lumbis clunibusque congruentior ſit diſciplina, & a valetudinis noxa alienior? plus tamen omnino impoſturæ & impuri fomitis latet. Creſcit hominum, illis pietatis experimentis, uti adparet, inſignium reverentia, & in alios, tam ſanctis animabus in nulla re obluctari audentes, imperium. Illud præterea attendimus, in re etiam injucunda, ſi uſus invaluit, illecebrarum aliquid reperiri, nec a dolore pruritum, qui voluptatis cauſa eſt, facile ſeparari. Hi ſunt, qui inter flagella rident, ut ait SENECA *h*), cum alii gemant ſub colapho. Magna tunc in multorum pectoribus ardet libidinum fax, & pari paſſu ad voluptatem doloremque contenditur. Notavit CAELIUS RHODIGINUS *i*), quendam ſalaciſſimorum, qui æſtuantem pruritum verberibus incendit, convitiis inceſſens converberatorem, ſi lentius ageret. Fruſtra unicum mortalium credit Cælius, qui eodem impetu in ſupplicium

has fuiſſe ſub ſpecie ſanctitatis inſidias ſuperſtitioſorum loculis ſtructas. *v. ei. Comment. in Apul.* Hinc contra tales idololatras divinum prohibitum monuit Judæos *Deuteron.* 14, 1. לא תתגרדו *ne laceretis vos ipſos.*

f) *vid. Hiſt.* ejus *flagellant. Ed. Gall. p.* 254. Idem plurima habet ad hoc argumentum pertinentia, maxime *c. IX.*

g) *L. II. de Diſcipl. c.* 9. Ex medico conſulto, ait, ſe audiviſſe, a flagris in dorſo nunquam ſanguinis & caloris nativi multum profundi poſſe, unde mala oculorum, fluxionum & alia, quæ hanc diſciplinam ſuſpectam reddiderunt, oriri queant. Imo quum ſæpe ſcarificatio proſit in vitiis oculorum & fluxionum, poſſe etiam verbera prodeſſe, quorum actio non multum diſcrepet. Verum *Boileau* exiſtimat, noxas illas experientia nimis confirmatas eſſe, quibus impulſos Capucinos & monialium multas, nunc potius in lumbos clunesque expedire virgas, ſpinis & funiculis intermixtis. aſperiores *v. Boileau l. c. p.* 306. ubi tamen non fruſtra ſuſpicatur, calentibus inter verbera vicinis partibus generationi dicatis impuram libidinem etiam plus exæſtuare.

h) *Ep.* 13.

i) *lect. antiq. L. XI. c.* 15.

cium feratur ac delicias. Simile de cive Lubecenſi Jo. Henr. Meibomius *k*) habet, qui non niſi flagris cæſus par operi fuit. Omitto, quam in eodem libello longam ſeriem ſimilium obſervationum habet, & venuſtis conjecturis illuſtrat. Verum heteroclitos illos homines, ſive in iis hypochondritis quædam enthuſiaſtica, ſive pravitas animi, voluptati aut ambitioni litans, peccet, excludere ex ægrotorum noſtrorum claſſibus fere oporter, quippe medela noſtra majores, & hac ipſa, ad omnia mala ſuſtinenda, duratos. Quosdam tamen etiam inter hos arbitror per medicinam noſtram alia manu exhibitam ad ſaniorem mentem reduci poſſe.

§. VII.

Quemadmodum ad morbos, in quibus anima actionum ſuarum conſcientiam amittit, & omni ſimul in corpus poteſtate exuitur, apoplexia præcipuo loco pertinet; ita hujus imminentis periculum vicit aliquando flagelli uſus. Fuit, qui torpidus, cephalicus, vertiginoſus venam ſecare a medico juſſus eſt ad apoplexiam præcavendam. Negavit ille, at urgente medico, aliisve in conſilium accitis, *non* quidem vicit ſecandæ venæ horrorem, vitæ tamen amore impulſus, & qua arte, quibus locis ſanguis eliceretur, perinde eſſe exiſtimans ad *medicinam noſtram ultro confugit*, in domeſticam ſolitudinem ſe abdidit, cattabos bubulos duriter ſibi *inflixit*, ut ſanguis tergo erumperet, & commoto ſemel vitali latice, *ingens quoque* narium hæmorrhagia ſequeretur. Gaviſus efficaciſſimi *remedii virtute, non dubitavit, quoties* opus eſſet, ad ejusdem uſum reverti. Mirantibus aliis, egone, inquit, ob tantum lucrum, quod ſanitas eſt, mortuum bovem formidem *l*)? Fortaſſis idem tentare in epilepſia plus habet diſcriminis, quod nervos in convulſionem jam pronos novo laceſſere ver-

k) *de flagellorum uſu in lue venerea ad Chriſt. Caſſium*, additis variis ejus argumenti. Francof. 1670. Ibi inprimis lege p. 44. ſq.

l) *Eph. N. C. D. II. A.* 7. *Append. p.* 128. *Conf. Paullini flagell. ſalutis p.* 20.

verberum ſtimulo vix opportunum videri poſſit. Tenellos in primis, quorum tam ampluin, tam molle, tam tenerum eſt nervorum ſyſtema, ut ex eorum numero vix inter centenos unum alius morbus quam convulſio interimat, vindicandos eſſe ab illis auſterioris medicinæ experimentis credideris. Conſtat omnino, eos ex leviſſimis cauſſis, ut vermibus, vel torminibus ventris ab acido, imo in prima ætate ad majorem paulo fragorem vel fulgidam lucem convelli. Attamen Marcus Gerbezius *m*) puellæ meminit, vehementer & per exigua intervalla epilepticæ, quæ ſuaſu amici a matre familias ſub novum morbi ingruentis impetum virgis acriter cæſa, ab omnibus poſtea redeuntis mali injuriis immunis vixit, Negari nimirum nequit, ſpasmorum medelam, quæ influentes ſpiritus ad alia loca ab adfectis divertit, rationi egregie convenire. Dum puerum ſingultientem ſubito increpas, per excitatam ejus attentionem & formidinem, mutato ſpirituum motu conquieſcit ſingultus. In contumacioribus ſpasmis hyſtericarum aliisque ad ſpiritus e loco in ſpasmum proclivi revocandos, plus ſtimuli circa alios nervos excitare moris eſt, in quo præcipua conſiſtit antihyſtericorum virtus. In adultioribus epilepticis cur idem aliquando moliaris, nihil repugnare video. Thomas Bartholinus *n*) flagris aliquos vidit a religioſis caſtigatos, iudicio eius mere epilepticos, ſed eorum ſententia a dæmone obſeſſos. Et certe nervis liberandis & in torpore ſuo excitandis, plus quam dæmoniis pellendis, efficax hoc eſſe remedium arbitror.

§. VIII.

In illis morbis, qui animum turbant, quid in verberibus ſpei ſit, recenſuimus. At & in paralyſi, læſi motus voluntarii inſtrumentis, turbatur anima, vel, dum illud inter cerebrum & nervos muſculorum commercium labefactatur, nihil in omni voluntatis ſuæ niſu virium motricium ut olim eſſe ſentit, niſi commercio

m) *ib. D. III. A.* 7. *&* 8. *O.* 187. *p.* 306.
n) *l. c. p.* 9.

mercio illo reſtituto. Iam CORN. CELSUS *o*) paralytica membra urticis cædi voluit. THEMISONI per ferulas membra reſoluta ad vitam motumque revocare ſuadenti CAEL. AURELIANUS *p*) uſum ſalſæ aquæ ut congruentiorem ſubſtituit, de quo jam, ultra ratio potior ſit? non diſputamus. Ex recentioribus ipſe HERM. BOERHAAVE *q*) inter remedia ad ſanandam paralyſin adhibenda fuſtigationes & urticas diſerte refert, Non eſt, cur in partem, quæ ſine motu, ſæpe etiam ſine ſenſu eſt, plagas ingerere multum dubites, ut ad officii ſui ſenſum redeat. Sic aliis, ut aluum, aliis, ut lotium exonerarent, verberum ſtimulo opus fuit ad nervos excitandos. Apud C. F. PAULLINUM *r*) puella non niſi a moroſo vitrico virgis probe cæſa lotium miſit. Citat idem DAHLBORNII *s*) teſtimonium de mercatore, cui non niſi ſua vel uxoris manu ſimilem in modum percuſſo unda illa expeditius ſaliit. Verum etiam major eſt nervorum imbecillitas, ſi lotium effluit iniuſſum, hinc pueris in primis, qui continere illud neſciunt, virgis conſulit vulgaris experientia. Præterea cum emaciari partes & gracileſcere ſoleant, in quas nihil vitalis motus & nutrimenti per adfectos nervos deſcendit, non immerito HIER. MERCURIALIS *t*) veterum conſuetudinem laudat, partes graciles, donec caro elevetur & alimentum ad eam adtrahatur, virgis diverberandi. GALENUS *u*) ipſe ferulas paruas, leves, modice illitas, gracilibus partibus in hanc ſpem incutiendas eſſe docet, donec adtolli & tumere incipiant, eaque arte mangonem ſcribit pueri fame conſumtas nates mediocri percuſſu, ſingulis vel alternis diebus iterato, tumidulas reddidiſſe. Quæ de impotentia motuum diximus, ad arthriticos & podagricos

o) *Medicin. L. III. c. 26.*
p) *L. I. tard. paſſ. c. 1.*
q) *aphorism. 1069.*
r) *Obſ. Phyſ. Med. 26.*
s) *v. ei. flagell. ſalut. P. III. c. VI. p. 88.*
t) *de arte gymnaſt. L. IV. c. 9.*
u) *in meth. med. L. XIV. c. 16.*

cos commode extenduntur. Sæva tunc admittuntur atrocium dolorum remedia, ut linum HIPPOCRATIS accenſum in cute, moxa *Indorum*, telæ aranearum contortæ, quas TEMPLE *Britannus* extollit. Forte verberum mitior hic medicina eſt, certe adeo illa non timuit pater C. F. PAULLINI *x*) ut pedes dolentes ſæpe obtulerit filio, graviſſimis virgarum ictibus reſtituendos.

§. IX.

Verum etiam vigente animo & in ſenſus motuumque functiones ſufficiente, verberum uſus multis aliis corporis ægritudinibus fortuitam ab initio, & mox iteratis experimentis confirmatam medelam attulit. *Bini ruſtici robuſti*, pater & filius, a dyſenteria, qua epidemica laborarunt, ipſo fere momento verberum inflictorum liberati ſunt, notante W. A. KELLNERO *y*). Flagris diſcuſſæ quartanæ ipſe SENECA *z*) meminit, quod metus animi in alias curas ſecedens, ſuſpectas horas fefellerit. Negat tamen, *iis quidquam deberi, quorum inimica conſilia fortuna flexit in melius, cum beneficium ab iniuria non eventus diſtinguat*, ſed animus. Nihil illæ argutiæ impediunt, quin ſalutem vere iis, a quibus accepimus, debeamus: ſatis eſt, profuiſſe illos, licet inſcios & invitos, imo multis profuiſſe, quod interdum fortuita communem ſalubritatis normam ſtabiliant. Alapa (at quantillum in tanto lucro injuriæ!) tempeſtive, licet non ſemper a favente manu inflicta, *odontalgiam*, teſte C. F. PAULLINO, *a*) ſingultum, obſervante IOS. LANZONO *b*) varias febres notante ROS. LENTILIO compeſcuit, *c*) ſæpe luxa-

x) *vid. ejusd. flagell. ſalut. P. IV. c. 12. p. 103.* ubi plura huius generis.

y) *v. Act. Phyſ. Med. N. C. V. IV. obſ. 113. p. 450.*

z) *L. VI. de benefic. c. 8.*

a) *v. Eph. N. C. D. 2. A. 9. obſ. 192.*

b) *ibid. D. 3. A. 1. obſ. 44. p. 61.*

c) *in addend. ad E. N. C. D. II. A. III. obſ. 93.* Ubi varias ait in Curlandia febres ſe vidiſſe per fortia verbera ſanatas. Sic tertiana ancillæ ceſſit ad alapam dominæ, *v. Paullini erbaul. Luſt. P. III. 48. p. 330.*

luxatam maxillam *d*) experimento in vulgus cognito, & ipſi MOEBIO probato reſtituit. Viliores etiam in balneo, ſi animo linquuntur, alapis refici & excitari poſſe AETIUS *e*) cenſuit. Id vero non legi, quod Vienenſis medicus DRAHN *f*) alibi notatum reperit, impactum uxori colaphum poſt συνουσίαν id efficere, ut ſemine retento certius imprægnetur. Grauidam tamen illam reſpexiſſe potuit, quam legi apud C. R. CAMERARIUM *g*) id data opera egiſſe, ut colaphum marito extorqueret. Romanæ olim mulieres ſpe fœcunditatis dextram vel terga flagellanda Lupercis *h*) offerebant. Nec dubitat MENGHUS BLANCHELLUS FAVENTINUS *i*) remedium ſterilitatis virides urticas appellare, certius apud PETRONIUM ſalacitatis fomentum. An in legitimo toro juſtum aliquando ſit ſpem prolis hoc remedio ſuſtentare, ſi plures forte ſint, illi Bavaro, cujus OTTO BRUNFELS meminit, *k*) ſimiles, cui non niſi ruditer flagellato res eſſe cum uxore potuit, nolim hic diſpicere, nec exiſtimo multos fore, qui noſtrum hic conſilium requirant. Poterat certe, qui urticæ olim laudes condidit PHANIAS, multa hujus generis addere, imo & alia, minus ſuſpectæ virtutis, veluti illud ELIDAEI PADUANI, *l*) qui, ut facilius variolæ erumpant, tenellorum corpora urticis cædere iuſſit.

§. X.

d) Facilem hanc medelam vocat *G. Moebius Epit. inſt. p.* 242. nec minus vulgare eſt, pugnis tergum percutere. ſi bolus vel officulum gulæ inhæret.

e) *tetrabibl.* 3. *S.* 1. *c.* 8.

f) Scripſit illud *G. Franco de Franckenau. vide huius Satyras med. p.* 514. Tuta tamen non eſt illa alaparum ſpecies, quæ *Sannioni* in *Terent. adelph. A.* 2. *S.* 2. *v.* 36. omnes labefecit dentes, ut totum caput tuber eſſet, qualis occaſionem præbuit *G. Franco de Franckenau* funeſtarum alaparum largam meſſem in ſuis ſatyris medicis colligendi.

g) *v. ſyllog. rer. memorab. Cent. II.* §. 32. An ideo inter verbera ſe amari credunt vel crediderant olim mulieres Ruſſorum?

h) *v. Ovid. faſtor. II. v.* 427. *&* 445. *Prudentius in Rom. Mart.* ait pulſaſſe puellas verbere ludicro.

i) *Prax. P. II. cap. de paſſion. part. genital.*

k) *in onomaſt. ſub nomine coitus.* Haud ſimilia damnatæ veneris incitamenta, de quibus fuſe egit *I. H. Meibomius* libello ſuperius indicato, attingo.

l) *Conſil. med.* 282.

§. X.

Opus non eſt per uberes illos obſervationum campos vagari ulterius, præſtat adhuc ſtrictim diſpicere, in quo ſitum ſit præcipuum hujus ſalubritatis momentum, & ita ſitum, ut quum verbera per ſe nomen inviſum ſint, viribus vincant, quidquid ſit medicinæ mitioris, ægroque vel medico dignioris. Id vero primum nemo non intelligit, ſtimulantium maxime vices implere verbera, igitur torpentis circulationis & pendentium inde coctionum, ſecretionum & excretionum vigorem inſtaurare, & ſic in multis morbis chronicis hominum frigidorum, lentorum, pituitoſorum, liberali virium menſura prodeſſe *m*). Qui novit, ex ſtimulantium fonte, *cardiaca*, *aphrodiſiaca*, *diaphoretica*, *diuretica*, aliaque non infimi ordinis medicamenta peti, perſpicit plenius, quam larga verberibus bene merendi occaſio ſit, uti præſertim in torpore nervorum, paralyſi, impotentia ad venerem & naturalium excretionum remoris eluxit. In eo etiam plus latet arcani ſubſidii, quod illa externi ſtimuli vis, nunc virtutem aliquam, nunc noxam ex interna viſcerum ſede alliciat. Prius declarant partes macie & tabe conſumtæ, ad quas fovendas vim interni motus, caloris & alimoniæ ope noſtræ medicinæ uberius derivari, ſupra docuimus, poſterius illuſtrant exempla dyſentericorum per verbera ſanatorum. Sæpe ſtaſes & vomicæ, quarum obſcurior cognitio eſt, ſic ad externa exundant, uti PHEREO JASONI *n*) contigit, cui illatum ab inimica manu vulnus *vomicam rupit*, medicis inſanabilem. Vocabant hæc olim *attrahentia*, quod *attrahant ad cutem, ſive impetum cordis humorumque*, adflictis interne

m) Id obiter ex dictis attendant ſcholaſticæ diſciplinæ magiſtri, acuta & excitata ingenia, ratione, quam promtius capiunt, regenda, vel, ſi illam negligant, carceribus *aliisque agilitatis ſuæ capiſtris* coërcenda eſſe, lentis vero & torpidis, quæ *ratione* ducuntur minus, ut in officio contineantur, ſic verbera convenire, ut aliquid ſæpe ad ſanitatem conferant. Tractandi ut hi pueri ſunt, & ipſo magiſtratus iuſſu tractantur, fatui, melancholici, furioſi &c.

n) *v. Val. Max. L. I. c. 8. N. 6.*

interne partibus ſæpe metuendum, ad vaſa cutanea, quæ inde rubent, tument, calent dolentque, tanquam ad loca minus reſiſtentia, & ſtimulo illo laxante & ſolvente debilitata, pro ſcopo artis convertant. Ita frictus, (quid vero verbera niſi frictus paulo vehementior?) a mediis partibus & ſummis materiam evocare CELSUS *o*), cucurbitas incantamenti inſtar dolores internos ſedare GALENUS *p*), ſetacea contumaciſſimas cephalalgias ſolvere RUYSCHIUS *q*) teſtatur. Et quæ non hic vis eſt phœnigmorum, ſinapismorum, veſicantium & cauſticorum, quibus verberum actio proxime reſpondet. His vero ipſis & forte multis aliis, inquies, ſi illa vis ſit ſtimulandi, attrahendi, revellendi, interiora liberandi, quid opus verberibus? Fateor, opus non eſſe, ſi iſta quidem fidem impleverint. *At ut in mitioribus illis lenta vis* eſt, & raro in contumaciori malo ſufficiens; ita in fortioribus non tutus ſatis uſus, cum ab iis ſæpius noxa introrſum rapiatur, cujus deinde progreſſum ſolutis jam habenis ſiſtere non licet. Sub certiori moderamine ſunt verbera, nec ita moram trahunt, nec poſtulant impenſas. Hæc vero omnia curatius inter ſe ſi conferre vellem, nimis ad particularia delabendum eſſet.

§. XI.

Igitur iis adhuc in fine occurremus, *qui rem nimis ignominioſam* verbera eſſe objiciunt, & ulmeas virgas in ſervulorum tergo, ut PLAUTUS ait, luſitantes, aliasque flagitioſorum hominum pœnas, *nec ſuaderi a medico, nec admitti ab ægrotantibus ſub forma remedii debere cenſent. Ignominia in crimine latet*, cujus, ſi comes non ſit pœna, hæc mutat nomen, & aliquando in beneficii locum tranſit. Non eſt carnificis manus, quæ lædit, non forum, in quo plebis oculis puniendi ſubjiciuntur, ſed conſentiente ægro & poſtulante, vel ſi ille compos ſui non eſt, agnatis efflagitantibus, manus amica & honeſta ſe reluctanter accingit, idque

o) *de Medicina L. II. c. 14.*
p) *v. Meth. med. L. XII. c. 8.*
q) *Obſ. Anat. Chir. cent. O. 40. p. 39.*

idque clanculum, ut inter millena exempla vix unum effluat in notitiam & cenſuram vulgi. Occultare reticenda medicus, antequam ad exercendam artem admittitur, jurisjurandi fide adſtringitur, ægro integrum eſt, ſalute ſua ſine indicio remedii frui. Verum alte iſta opinio hominum animis inſidet, ut iis, qui nobilioris ſunt dignitatis, nolit medicus indicare, nedum ſuadere auxilium, quod prævidet cum faſtidio & indignatione rejici. Diſputent alii, gravius peccet medicus? ſi deprehenſis reliquis remediis ut inertioribus, ultima illa, dum ad triarios res rediit, artis præſidia diſſimulat? an æger? ſi hæc in contumeliam ſuam interpretatur. Noſtro judicio ſatius eſt, repugnare ægrum, quam medicum ſilere. *Id vero certiſſimum deprehendimus, minorem ideo eſſe artis poteſtatem in profligandis magnorum hominum morbis,* quod in iis exhauriantur mitiſſimorum remediorum claſſes, & hinc fixis altius radicibus invaleſcens malum mox omnem medelæ ſpem eludat. Sit ſua cuique libertas, ſi ſævitiam morbi prementis, quam remedii ſanantis experiri malit, etiamſi prior ſævitia ſit plerumque *multis modis atrocior. Fuit ſacerdos quispiam,* qui cum FRID. KRAFFTIO *r*) adſeveraſſet, compertiſſimæ virtutis in podagra remedium ſibi fuiſſe, poſtquam reliqua incaſſum tentaſſet, ſi pedes virgis betulinis ad ſanguinem usque ſibi cæderentur, id etiam adjecit, ob tormenta podagrica ſe vix ſenſiſſe novos illos a virgis inflictos dolores. Permittet interdum morbus, ut ſua manu, a qua certe aberit ignominiæ ſuſpicio & pudoris cauſſa, ſe cædat æger. Neque erit, cur *ambigat* multum, *quibus inſtrumentis utatur, flagellis, ſcuticis,* virgis, urticis, vel quibuscunque *aliis*? de quibus ad puniendos ſceleſtos adhibitis diſceptatum olim eſt, in quo ignominiæ plus vel minus ſit *s*). Simulac ratio infamiæ nulla ſubeſt, quæſtioni tantum locus erit, quænam ex iis inſtrumentis pars adfecta cum majori ſalubritate ferat. Nec prorſus *deſunt exempla illuſtrium virorum,* quibus, hæc

r) Ex cujus ore, *C. F. Paullini in der Erbaul. Luſt. P. III. c. 67. p.* 1055.

s) Flagris olim cædi ſervorum, fuſtibus & virgis liberorum fuit. *vid. Briſſon. L. III. antiqu. Iur. civ. c.* 9.

hæc ratio medendi, aliorum administrata manibus, dividiæ non fuit. Singulare est, quod de principe Venusino CAMPANELLA *t*) refert, alvum haud potuisse eum exonerare, nisi a servo ad id conducto verberatum. In hoc tamen consentimus facile, adnitendum esse medico, ut in nobilioribus, quorum morbis verbera mederi poterant, eligat quæcunque alia, viribus paria, aut non multum inferiora, in vilioribus autem & in primis junioribus medelam per verbera consideret aliquando ut temporis & sumtuum compendium. Optime cum iis agitur, quibus sufficit in sanationem, instrumentorum illorum sævitiæ meminisse, ut auctores aliqui persuadere conantur. Non secus suffecit quibusdam ad alvum movendam olfeciſſe catharticum. Oeconomum SAL. ALBRECHT *u*) sodæ *dolores scribit constanti experimento* compescuisse, si flagri sui axungia inuncti & domi suspensi etiam absens meminit. Idem in simili morbo P. ROMMELIUS *x*) cum JO. AGRICOLA tradit de homine, restem vel laqueum inunctum & in angulo domus pendentem cogitante. Efficax profecto remedium, ad cujus nomen morbi trepidant & aufugiunt! Ceterum obstitit & obstabit inposterum offensionis metus, ut inter classes medicamentorum alia forma quam subreptitia adpareant verbera, semper, quasi certæ aliquid maculæ adhæresçat, numeros suos implere non nisi *clanculum oportebit. Ipsa* medentum memoria horum experimentorum cognitione *instructior libros hujus* generis observationibus locupletare metuit.

t) *Medicinal. L. 3. c. 5.*
u) *Act. phys. Med. N. C. V. 4. O. 54. p. 167.*
x) *Eph. N. C. D. II. A. 8. O. 179. p. 459.*

DISSER-

DISSERTATIO
DE
INSOLATIONE,
SEU
POTESTATE SOLIS IN CORPUS HUMANUM

PUBLICE PROPOSITA
GOTTINGAE, D. 29 APR. 1747.

RESP.
G. ALB. DE SELPERT,
RATISBONENSI.

§. I.

Fulgidiſſimum illud Solis ſidus, quod calorem lucemque undique diffundit, fruges excoquit, ſemina evoluit, tempora diſtribuit, & in tanta ab orbe noſtro diſtantia rerum ambientium & ſalutari vi proxime influentium miniſteria multum ſuperat, adeoque inexhauſti beneficii fontem præbet, non tamen omnes querelarum & reprehenſionum cauſſas amoliri abs ſe poteſt, in primis ubi igneas habenas propius immittit. Hinc hominum ingenia, quæ raro vel nunquam juſto limite rerum uſum diſcernunt, nunc ad majorem, ac par eſt, cultum, nunc contrariis paſſibus ad ipſa convitia Solis deflexerunt. Fuerunt, qui eum ab antiquiſſimis temporibus pro unico vel præcipuo Deo habuerunt, quem, ut placabilem ſibi redderent, omni ſanctimonia & religioſis ceremoniis

enixi coloſſos, obeliscos, antra, templa, aras, ludosve conſecrarunt *a*). Fuerunt e contrario, qui ſaxum aliquod aut fortuitum ignium globum, & quidvis potius quam Deum adpellarunt *b*). Quin & fuerunt, qui non agnita, aut ſpreta tam benefici ſideris ſalubritate, nunc velut *Cimmerii c*), quorum regio perpetuis nebulis

a) Jam illud *Hermeti Trismegiſto* tributum eſt, Solem Deorum cœleſtium maximum eſſe, cui reliqui Dei cedunt ut Regi & Domino. *Macrobius*, quicquid olim Deorum Numinumque cultum eſt, ad Solem referri debere multis perſuadere conatur, *Saturn L. 1. c. 17. ad 23. in Somn. Scip. L. 1. c. 20.* Vocat Solem cor cœli, mentem mundi, oculum Jovis, ſatorem rerum, vitæ & fœcunditatis auctorem ducemque reliquorum luminum. Tam manifeſte ad laudis pompam, quam fugere ſe fingit, laſcivit oratio. Non ſecus *Julianus* Deorum univerſa nomina uni Soli tribuit, τὰ πάντα ἡλίῳ προσήκοντα adpellat, *v. Op. Edit. Spanh. p. 148.* Sic Solem μόνιμον τῆς ζωῆς αἰτίαν, imo τὴν ἀγέννητον αἰτίαν γινομένων nuncupat, p. 142. & ab eodem, cujus ſe famulum jactitabat, immenſa poſtulat, βίον ἀγαθὸν καὶ τελειοτέραν φρόνησιν καὶ θεῖον νοῦν, ἀπαλλαγήν τε τῆς εἱμαρμένης ἐκ τοῦ βίου πραοτάτην ἐν καιρῷ τῷ προσήκοντι. *v. finem Orat. IV.* Paulo limitatius *Porphyrius* non puſillam Deorum manum unius Solis ſimulacrum eſſe dixit. *v. Euſeb. præp. Evang. L. III. C. XI. p. m. 112.* Atque in horum naturali caligine ſplendorem Solis diviniorem juſto viſum eſſe, minus forte miramur, at nequit ferri in presbytero illo Hieroſolymitano, quem multi ut idolum arcanæ ſapientiæ venerantur, Petro *Arlenſi de Scudalupis*, qui *in ſympath. VII. metall. & VII. ſel. lap. ad planet. Edit. Pariſ. p. 398.* Solem vocat exactiſſimum Dei ſimulacrum, cujus eſſentia pater, ſplendor filius, calor ſpiritus ſanctus ſit. Non dubitat addere: *tanta conſonantia Deo reſpondet, ut merito conſpicuus Dei filius nuncupetur.* An analogi aliquid erroris ad Peruvianos defluxit? quos Soli tres ſtatuas poſuiſſe, primam Soli patri, alteram Soli filio, tertiam Soli fratri, legimus apud *Acoſt. L. V. Indic. c. 4. Lerii navig. in Braſil. c. 16.*

b) *Senec. de benef. L. 7. C. 31. p. m. 868.* Notat ibi *Anaxagoram*, qui πέτρον vel μύδρον διάπυρον, hic *Xenophanem*, qui νέφος πεπυρωμένον, vel *Empedoclem*, qui πυρὸς ἄθρυσμα, μέγα, dixerunt Solem. Adde doctrinam Epicuri.

c) *v. Plutarch. de ſuperſt. op. T. II. p. 169. F.* Poſſis, quos velis, *Cimmerios* intelligere, vel *Italos*, qui ad Lacum Averni in ſubterraneis domiciliis toto die delituerunt, nocte tantum ad latrocinia egreſſi, vel *Aſiaticos* circa Bosphorum, quorum cœlum perpetuis nebulis involutum

bulis involuta eſt, negarunt Solem eſſe, nunc velut *Atlantes d*), qui cœli ſui intemperie carbunculantur, Solem orientem occidentemque, quaſi ſibi agrisque ſuis exitialem, dira imprecatione ſunt proſequuti. Hæc hebetis & ignavi ingenii laſcivia eſt, dum cœleſtium corporum miniſterio fruitur, quæ tamen inter errores illos nequitia, ut SENECA *e*) ait, ignorantibus etiam munera ſua conſervant & perſeverant ingratis.

§. II.

Solaris virtutis aut noxæ medica conſideratio campum hic nobis patentiorem aperit. Placet inſolationem *f*) in illis, quas in corpus humanum exſerit, viribus ſcrutari, oculo licet ad tantum fulgur hebeſcente, & animo ad vires tam abditas hæſitante. Erit, cur in his viribus commodi multum, ſed & aliquando noxæ non parum deprehenſuri ſimus. Non quod Soli, qui tot in nos munera ſoluto quaſi ſinu effundit, poteſtatem aliquam nobis inimicam tribuamus: eſt enim, ut jam PLINIUS *g*) cenſuit, remediorum

fuit *Strabone teſte L. I. & III.* unde Cimmeriæ tenebræ in proverbium abierunt. Priores Cimmerii judice *J. Jac. Hoffmanno* ſunt, qui *Homero* dicuntur ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι *Odyſſ. L. XI. v.* 14. Utrique certe inter circumfuſas tenebras (niſi fabuloſum eſſe mavis cum *Strab. L. V. p.* 240.) negare excuſatius Solem poterant, quam in media eius luce philoſophi quidam Academici, inter quos *Favorinus* toto libro demonſtrare adgreſſus eſt, ne id quidem comprehendi poſſe, Solem eſſe. *v. Galen. Op. Edit. Juntin. Libr. Iſagog. p. m.* 31. *B.*

d) *v. Plin. Hiſt. nat. L. V.* 8. *Solinus* ſcribit, *diris Solis ortus excipere, diris occaſus proſequi, & torrentis plagæ ſidere uſtos odiſſe Deum lucis.* At jam *Herodotus*: L. IV. ἡλίῳ ὑπερβάλλοντι καταρῶνται, καὶ πάντα τὰ ἀίχρὰ λοιδορέονται. v. *Edit. Gronov. p.* 180. *n.* 284.

e) *De Benefic. L. VII. c.* 31.

f) Inſolatio vox *Plinii* eſt, dum candorem ceræ laudat poſt inſolationem iterum recoctæ *H. N. L. XXI.* 14. *p. m.* 453. *Columella* humum diesque inſolatas, uvas inſolatas dolia inſolata paſſim commemorat, *de reruſtic. L. XII. c.* 18. *L. IV. c.* 17. & 24. *L. XI. c.* 3. Hæc vero œconomorum artificumque præſidia inſolationis, non minus quam Chemicorum, qui illa in

diorum omnium maximum, genuitque fabuloſo *Apollinis* nomine *Aeſculapium h*) τὸν σωτῆρα τῶν ὅλων, ut JULIANI voce utar *i*); ſed quod nunc in aëre transmittente, nunc corpore recipiente, nunc aliis cauſis occurrant multa, quæ virtutem illam Solis, merito ſuo ſemper admirabilem, nunc retundunt, nunc augent ultra conſuetæ ſalubritatis terminum, nunc etiam inquinant & per miſcelas noxiarum virium corrumpunt. Idcircó *Apollinem*, qui Eliis ἀλέξιος Arcadibus ἐπικούριος Mileſiis ἕλιος dictus cultusque eſt, Lydii aliique λοίμιον inter ſacrificia ſua nominabant, quod peſtem morbosque immitteret, quibus laborantes ἀπολλωνοβλήτους vocare moris erat. Hinc alii adclamabant voce ſolemni; ſana! alii: feri! ἰὴ Παιὰν, ἰὲ Παιὰν *k*). Hæc Solis adumbrant indolem, qui nunc temperato calore ſuſtentat mortalium vitam, nunc intenſiori radiorum jactu per loca corruptioni obnoxia peſtiferum virus quaſi in pœnam immittit.

§. III.

Duplex inſolatio noſtro ſe examini offert, altera moderata, ſuavis & valetudini noſtræ faventior, quam terſiori voce apricationem

ſuis operibus certatim commendant, hic præterimus, ubi quæ ad hominem ſpectant, ubertim ſe offerunt.

g) *H. N. L. XXVIII.* 14. *p. m.* 453.

h) *Homerus in hymno* κακῶν θελκτῆρ ὀδυνάων, *Hippocrates in Ep. ad Philopoem.* Θεὸν θεραπεύοντα, *Pindarus in Pyth. od. III.* παντοδαπῶν ἀλεκτῆρα νόσων, *Plutarchus ſymp. L. 8. Qu.* 14. ἡγεμόνα ἰατρῶν vocant.

i) *l. c. p.* 153. Paulo ante *p.* 144. *Aeſculapium* vocat vim illam Solis, quæ concinnum vitæ ordinem complet, ὅλην τὴν τῆς ἐυταξίας ξωὴν συμπλοιρῶι.

k) ἰὴ ab ἰᾶσθαι ſanare, ἰὲ ab ἵεναι immittere v. *Macrob. Saturn. L. I. c.* 17. *p. m.* 274. Sic, inquit, *Apollinem, id eſt, Solem modo ſoſpitatem modo peſtem ſignificantibus cognominibus adoramus.*

tionem in ſole, Græci ἡλίωσιν *l*) adpellant, altera vehemens & infeſta græce ἡλιοκαΐα, quæ nimis exſiccat aduritque corpus, & ſenſim ſtipato morborum agmine infeſtat. Utramque & gradu & duratio ne diſcernit GALENUS *m*), dum a principio Solem ait tepefacere corpus, humores fundere, cutem laxare, carnes mollire, at ſi æſtiuis diebus in corpus, in primis nudum, longiori mora incumbit, ſquallidam duramque cutem reddere, carnes ſiccas, quales nautarum & meſſorum ſunt, aliaque mox ſæviora parere. Sane poteſtas Solis in illo limite, quem nunquam egreditur *n*), in illa diſtantia, qua orbis incolas haud temere lædit, *o*) in illo ſitu, quo omni momento ejus ad nos directio mutatur, per certos paulatim gradus vertici noſtro nunc propior nunc remotior, mirabili temperamento mox egelidi teporem veris, mox æſtatis creſcentem æſtum, mox autumnalis auræ mollitiem, mox ſua obliquitate & breviori per diem mora hiemem diſpenſat, ad nutum conditoris uſibus noſtris & indigentiæ per omnia proſpiciens. Has vices alternas, quibus unius ſucceſſio alterius exceſſum opportune & adſiduo temperat, poſtulat hominum nunc ad æſtatem nunc hiemem melius ſe habentium ſtatus, confirmatque iudicium

HIP-

l) ἡλίωσις ab ἡλόω inſolo, unde ἡλιωμένος. Scribunt alii ἡλίασιν vel ἡλίπσιν ab ἡλίαζεσθαι apricari. Et iſta quidem mitiorem gradum raro infeſtum notant. At verba ἐξηλιάζω & διηλόω unde διηλιωθεὶς apud *Theophraſtum*, uti aliis ἡλιοκαὴς Solis vehementius urentis iniurias exprimunt.

m) De *conſuetud. L. 3. Edit. Iuntin. L. II. p. m. 61. D.*

n) Fuit illud *Heracliti*: ἥλιος οὐχ ὑπερβήσεται μέτρα. *Plut. de plac. philoſ. L. 2. c. 20.* non enim Sol eſt, ut pulchre ait *Philo Iudæus de Monarch. 1.* ἀυτεξέσιος ἀλλ' ἑνὸς τῶ πάντων πατέρος ὕπαρχος.

o) Ille Solis ſitus & diſtantia a tellure eſt, inquit *R. Mead. in diſſ. de Imp. Solis & Lunæ in corp. hum. p. m. 195.* prout rerum univerſitati lucis calorisque diffuſione maxime conducit. Si inferiori loco eſſet, ubi nunc luna, *Galenus* ait, arderent univerſa, ſi ſuperius in Phæthontis regione, nulla pars terræ habitabilis eſſet ob vim frigoris. *de uſu part. corp. hum. L. 3. c. 10. Ed. Iuntin. Cl. 1. p. 133. F.*

HIPPOCRATIS: *p*) æſtivos morbos hieme, hiemales æſtate ſolvi. In qua re tamen nimis familiari errore *q*) aliarum cauſſarum vires miſcemus, unde crebra emergit adverſus Solem iniquorum hominum querela. Nimirum inſignior illa temporum varietas, ſæviori æſtu vel gelu offendens, minus in Sole quam ipſa hac tellure vel etiam corporum in aëre natantium natura ac motu quærenda erat *r*). Summæ lenitatis & fere uniformis videtur actio Solis pro ratione ſpatii extra atmoſphæram tellutis, intra hanc vero obuolitantia tam variæ indolis & opacitatis corpuſcula æquabilem radiorum traiectum turbant, & refringendo, reflectendo, colligendo, diſpergendo miras in ſubiectis locis mutationes & morborum ſæpe feraciſſimas pariunt: maxime prope terram, ubi accumulantur halitus & plus attritu caleſcunt, quippe nondum per laxiora ſpatia diffuſi, & ubi radii Solis ab ædibus, montibus, arenis ſimilibusque corporibus fortius reflectuntur, partim reſiliendo in ſe recurrunt, ut adeo Solem plus illa loca ſentiant *s*). Certe ad ſummam altitudinem, ad quam eniti licet, placidus & reficiens aër eſt, ubi nihil reſiſtit, atterit, reflectit, quamvis fonti caloris propior. Hinc vertex montium in media æſtate nivibus oppletur, aves ſub infimæ regionis ſquallore auram iucundiorem ſuperne captant. Miluum VL. ALDROVANDUS *t*) deſcribit ſub meridie loca frigidiuſcula quærentem ſublimi volatu

p) *Epid. Com. III. t.* 88. 3. 101. Ad quæ *Galenus:* ſtatum tempus eſt iudicii longorum morborum *v. de dieb. decret. L. III. c.* 7 *Cl. IV. p.* 157. B.

q) *Conf. H. Bærh. Chym. T. I. p. m.* 150. §. 8. 9. 10.

r) Conf. diſſert. de Sole, quod cauſſa caloris vulgo tributi non ſit, quam frater Præſidis *G. F. Richter* edidit *Lipſ.* 1715. *recenſ. in Act. Erud. Ao.* 1715. *p.* 229. Ita inſula Ormus, licet ultra tropicum verſus ſeptentrionem declinet, albiſſimis montibus ab Oriente ad Occidentem exporrectis reflexo lumine ſic aerem accendit, ut aquis immerſos incolas dormire oporteat, capite ſolo per ſuſtentaculum inter dormiendum elevato. *Boerh. Chym. I. c. p.* 221. *Coroll.* 3.

s) *v. Seneca. Nat. Qu. L. IV. c. VIII.* ubi de rationibus caloris circa terram nervoſe diſſerit, haud recentiorum præceptis inferior.

t) *Ornithol. L. V. C.* 15. *p. m.* 204. *b.*

latu in altum contendere, & expanſis alis ſe ſupra nubes librare. Quodſi exceſſus illi æſtus frigorisque a Sole eſſent, incolas regionum polis vel æquatori viciniorum fas eſſet æquali aëris temperie frui. Nemo autem neſcit, loca ad eundem Solis adſpectum non una lege calere, multa a ſe ipſis differre certo diei vel anni tempore, inter ſubitas ſæpe frigoris & caloris viciſſitudines. Quibusdam ideo plagis matutini, aliis veſpertini Soles calidiores ſunt. HERODOTUS *u*) in India matutinum Solem ardentiſſimum eſſe ait, non ut plerisque meridiem, & alio loco fontem deſcribit, qui fons Solis adpellatus *x*) mane tepet, meridie friget, veſperi tepeſcit iterum, media nocte fervet. Neque vero inter hæc ipſa, quæ aliunde accedunt, etiam in Zona torrida ſic unquam creſcit vis æſtus ſolaris, ut ad gradum vitalis caloris accedat, vel ut accendat pulverem pyrium. Potius in ſinu illarum regionum continetur, quod iſtam vim ſalubriter moderetur & retundat. Verum eſt, ardorem Solis in Aethiopiæ planis & depreſſis locis intolerabilem ſentiri. Saxa, ut cum SENECA *y*) loquar, ibi velut ab igne feruent, non tantum medio, ſed & inclinato die, pulvis ardens eſt, nec humani veſtigii patiens. Attamen inhabitabilis regio non eſt, imo vero cives robuſti, laborioſi, longævi, fœcundi fertile ſolum, æſtates amœnas, duplicem meſſem habent, cujus ubertati confiſi nihil recondunt in horrea. Non in depreſſis habitant ſed editis locis: montes enim ibi ſunt ultra nubes adeoque ultra æſtum, *z*) per quos montes amœnæ ſcaturigines manant, ventique crebri & jucundi adflant, ut mitior æſtus ſit, quam in multis Europæ provinciis, quin & regiones montoſæ ſint, ubi plus frigus quam calor metuitur. *a*) Verum hæc

u) *L. III. p. m.* 200. *n.* 104.

x) Κρύνη ἡλίου apud Ammonios. *Herod. L. IV. p. m.* 279. 280. *n.* 281.

y) *Natur. Qu. L. IV. c.* 2. *p. m.* 751.

z) Tellez montes Pyrenaeos & Alpes cum iſtis Aethiopum comparatos humiles colles eſſe ait. *v. Ioh. Ludolphi Hiſt. Aethiop. L. I. c. VI.*

a) *ib. C. V. & IX.* Veteres Aethiopes, quos *Herodotus* μακροβίους, καλλίστους, μεγίστους vocat, in Africa ad auſtrale mare habitantes, ut fertilitatem terræ ſuæ Soli tribuerunt, ita pratum in ſuburbio aſſa carne

hæc physicorum scrutinio relinquenda eo tantum animo hic tumultuaria opera attigi, ut insolationis nunc lætæ nunc tristis genius, ratione salubritatis suæ vel noxæ, nunquam a Sole tantum sed & multis caussis sociis, in indole sua & virium miscela ægre determinandis, & prior quidem a Sole magis, posterior a caussis potius alienis pendere, generatim intelligatur.

§. IV.

Primum igitur moderatæ insolationis commoda recensebimus in locis apricis id est Soli patentibus exspectanda. Tempore calido & sereno in porrecta quaqua versum planitie aër temperatus & reficiens cum magno valetudinis commodo hauritur, æstuosus, dum in valles secedituɾ. Observatum est dudum, in apricis locis cito convalescere ægros, in clausis & humidis etiam sanos corripi. Vocamus autem aprica loca *b*), non quæ Soli patent immodicis caloribus torrenti, sed leni, tepido, temperato. Hinc aprici colles vocabantur orienti Soli obversi, quippe mitiori, & placebat hibernus repor in locis apricis, multisque familiare erat, quotidie per hiemem in Sole apricari *c*). Verum quicunque sit ille

omnium quadrupedum magistratus cura per noctem refertum, quo ubi diluxit, cuilibet epulatum accedere licuit, mensam Solis, quasi ab hoc ipso instructam, vocarunt. *Herod.* L. III. *p. m.* 166. 18.

b) Loca ἡλιαζόμενα, melius ἔυειλα vel πρόειλα: nam εἰλη vel εἴλησις est Solis calor modicus & tepidior, *Hesychius* θερμασίαν & αὐγὴν τῦ ἡλίυ vertit, unde eidem εἰληθερεῖν est τὸ ἐν τῷ ἡλίῳ θερμαινέσθαι apricari. Εἰληδερὲς aut εἰλιθερὲς notat in Sole calefactum apud *Hippocratem* L. II. *de morb.* XXX. 7. & *Galen.* L. VIII. *Meth. med.* c. 2. Ἐν εὐηλίῳ in aprico versari apud *Aristophanem* est, unde & τόπος εὐήλιος laudatur, δυσήλιος vel ἀνήλιος, Solem non vel ægre admittens, damnatur.

c) Instinctum non absimilem Naturæ animalia sentiunt. Cancros hieme littora aprica, hirundines apricos montium recessus, id est cavernas ad Solem apertas & a frigore tutiores sectari *Plinius* scribit. *H. N.* L. IX 50. *p. m.* 518. & L. X. 35. *p. m.* 558.

ille adſpectus Solis ſive ἀνίσχοντος ſive ὑπὲρ κεφαλῆς ἱσταμένου ſive εἰς τὰ κάτω ῥέποντος *d*), modico illo & ſuavi tepore, quem pro anni ratione aëri conciliat, laus omnis ſalubritatis limitanda eſt. *Diogenes e*) *Cynicus* καταχέιμενος ἐν ἡλίῳ *Alexandro* ſalutanti, & qua re opus haberet? ſciſcitanti, allevatus paululum hoc unum reſpondit: μικρὸν ἀπό τῦ ἡλίυ μετάςηθι, ſpernens incerta fortunæ munera, ut certis illis naturæ frueretur. Vnam tecum, CICERO *f*) ad *Atticum* ſcribit, apricationem in illo Lucretiano tuo Sole malim quam regnum. Senes in primis, deficiente nativo calore, apricabantur. Hinc HORATIUS *g*) præmaturam ſibi ſenectam tribuens (at non niſi quater undenos annos impleverat) lepide ſe vocat

Corporis exigui, præcanum, Solibus aptum.

Perſius h) ſenes ideo apricos adpellat, & quod res ipſa ſenſim in voluptatem verſa eſſet, tangit eorum mollitiem, quorum eſt

Adſiduo curata cuticula Sole.

Nec infrequens occurrit mentio apricitatis totarum regionum. Locum in Judæa palmeto & opobalſamo inſignem ab ubertate non magis, quam apricitate commendans JUSTINUS *i*) pulchre moderatum exprimit ſalutaris inſolationis gradum. Cum toto, inquit, orbe regionis ejus ſit ardentiſſimus Sol, ibi tepidi aëris naturalis quædam & perpetua apricitas ineſt. Plus etiam juſto Hyperbo-

d) v. *Jul. Polluc. Onomaſt. L. IV. p. m.* 443. Nec tamen facile probamus ſtatum κλίνοντος εἰς τὰ μεσεμβρινὰ καὶ περιβλέγοντος ἡλίυ, vel ut alio loco *Pollux* ait, ὑπὸ μεσέσαν τὴν ἡμέραν περιῤῥέοντος.

e) *v. Plutarch. Op. T. I. p. m.* 671. *D.* Offecerat enim *Alexander* apricitati ut *Cicero* ait *Tuſc. Qu. L. V. c.* 34. Singularia de hoc faſtu Cynico judicia v. *in P. Baylii Dict.* ſub voce *Diogenis p. m.* 229.

f) *Ep. XI. ad Attic. L. VII.* regnum vero reſpicit inter civiles turbas ab ambitioſis tunc quæſitum.

g) *L. I. Ep.* 20. *v.* 24.

h) prius *Sat. IV.* poſterius *S. V.* 179.

i) *H. N. L. XXXVI. c.* 3. *p. m.* 433.

perboreos PLINIUS extollit, quod regio eorum aprica felici temperie omni adflatu noxio careat, ubi discordia & ægritudo ignota sit, & mors non nisi ex saturitate vitæ *k*). Ut vero apricas regiones, montes, flatus, ita eodem scopo subdialia pavimenta & ambulationes subdiales seu ἐν ὑπαίθρῳ amabant. VITRUVIUS *l*) pro exhalatione corporis vegetius sustentanda ampliſſimas censet & ornatiſſimas in civitatibus sub dio hypætrisque ambulationes collocari oportere. Athenis forum judicii in aprico erat, sive sub Sole, dictum ideo ἡλιαία *m*), quod & vigori mentis & salubritati corporis & ipsi honori judicii, lucem non tenebras postulantis, plus locus ille favere videretur. Nec vero privatorum segnior in his cura erat, qui nunc delicias ruris, villas suas, qualis illa Laurentina PLINII *n*), nunc in ipsarum ædium suprema parte solaria *o*) sua adornabant. In Græcia enim Asiaque & toto pæne

k) Ob quam epulati delibutique ex quadam rupe in mare saliunt. v. *Plin. H. N. L. IV. 26. p. m.* 218.

l) *V. IX.*

m) Hinc ἡλιάζειν judicare in foro, ἡλιαστὴς judex, φιληλιαστὴς amicus litium forensium, ἀπηλιαστὴς earum osor.

n) *Laurentinum* suum *Plinius L. II. Ep.* 17. venuste describit, & inter alia hybernaculum puriſſimi Solis, cubiculum, quod Solis ambitum fenestris omnibus sequitur, sphæristerium, quod calidiſſimo Soli die jam inclinato occurrit, cryptoporticum, quæ teporem infusi Solis repercussu auget, non nisi tunc carens Sole, si ardentiſſimus culmini insistit, ac plura sic tradit, ut elegans adornandæ villæ exemplum esse possit.

o) Vocabant ea ἡλιαστήρια, ἡλιατικὰ, ἡλιοκαμίνους, ἐξώστας. *v. Salmas. not. in script. Hist. Aug. p. m.* 155. Talia tecta transversis trabibus sustentata erant quoque in Palæstina & Aegypto teste *Hieronymo*. At tecta utrinque inclinata ad deducenda stillicidia Romani vocabant pectinata vel fastigiata, sacris ædibus fere in Oriente propria. Adpellabant eadem πτερύγια ob alarum formam, vel ἀετώματα. Et sic quidem fuerunt solaria ædium loca luculentiſſima, unde *Augustus* de emtæ purpuræ obscuritate questus venditori, ut erigeret altius & suspiceret, monenti concinne respondit: *ut bene cultum me populus Romanus dicat, in solario ambulaturus sum? Macrob. L. II. Saturn. c.* 4. Dubites tamen, an solaria pro locis ædium sumta eo ubivis sensu apud auctores accipiantur, *Claudium* legimus rumore cæsi *Caligulæ* territum in pro-

pæne Oriente privatarum ædium tecta plana erant, hinc, quod ibi apricari ſolerent, ſolaria dicta, vel deambulatoria, vel etiam ob eminentias in circuitu, ne præceps lapſus eſſet, mœniana.

§. V.

Nondum hoc eximiæ apricationis argumentum dimitto, quod veteribus tantopere commendatum noſtro pæne uſu excidit. Haud ſine vitali commeatu eſt *p*), quod defluit ex Sole, & velut infuſo per occulta nutrimento omnia renovat, ſic hominem quoque paſcit, & plura omnino præſtat, quæ *Senecæ* verba ſunt, quam intelligi ab eo poſſit, qui inter utilia numerat. Non inepte BERNH. RAMAZZINI *q*) ex inexhauſto illo luminis & caloris fonte ſpiritus viresque hauriri credidit, febrium quarundam genio confirmatus, cum quibus ægri per totam noctem quaſi cum morte colluctati mane ad ortum Solis ſub porticibus velut redivivi deambularunt, imo campos inter ſubita virium, quæ penitus dejectæ videbantur, incrementa peragrarunt. Indos moderato Solis calore ſic durari ſcribit PLINIUS *r*), ut nec capitis nec dentium nec oculorum nec aliarum partium doloribus vexentur. Ad phaleras pertinere videtur, quod radius Solis, qui nos ferit, τῷ φωτὸς

ximum ſolarium prorepſiſſe. *v. Suet. vit. Claud.* c. 10. Scribit vero *Joſephus Antiqu. Jud.* L. XIX. C. 3. *p.* 111. *Ed. Havere. T. I. p.* 937. *Claudium* tunc in crypta ἐν τινι ςενωπῷ latuiſſe de ſua ſalute anxium, ubi vix potuerit *Gratus* faciem eius διὰ τὸν ςότον adgnoſcere, & *Dio Caſſius L. LX. p.* 664. *E.* repertum eſſe notat in obſcuro angulo, ἐν γωνίᾳ πῃ ςοτενῇ καταικρυμμένον. An hic potius locum ſolitudinis notat?

p) Pulchre *Plutarch. Op. T. II. p.* 928. *B.* ἥλιος καρδίας ἔχων δύναμιν ὥσπερ αἷμα καὶ πνεῦμα διαπέμπει ἐξ ἑαυτῦ θερμότητα καὶ φῶς.

q) *Op. Ed. Lond. p.* 71. *Conſtit. Epid. rural.* 1690. §. 10. *it.* 39. *p.* 81. ubi in Solis receſſu vel acceſſu ponit nocturnam virium dejectionem & renovationem matutinam, liquato, ut conjicit, pituitæ gelu blando Solis calore.

r) *H. N. L. VII.* 2. *p. m.* 372.

τὸς ἀκρότης καὶ ὥσπερ ἄνθος JULIANO *s*) audiat, certe calefacit corpus, excitat nervos, motuum robur inſtaurat, plus luculenti vigoris actionibus noſtris inſpirat, & ut cœli triſtitiam diſcutit, ſic animi nubila ſerenat. Quam ſalutaris ſit illa vis & ipſum in cerebro motuum principium ſubeat ac roboret, illuſtrare inter alia poteſt GALENI *t*) obſervatio de ſternutatione a directo in Solem adſpectu lethargicis & comatoſis ſalutari. Nolim tamen ad ingenioſa EDM. DICKINSONI *u*) commenta divagari, qui lucideam igneamque hominis naturam Soli cognatam per phoſphorum probat, vel ad difficiles nugas P. ARLENSIS DE SCUDALAPIS *x*) deflectere, qui vires Solis renovandi, nutriendi, conſervandi, diſcernendi obſcura ac tumente dictione involuit magis quam enucleat. Non tamen inter plurimas dotes Solis, ex parte latentiores, illam prætermittere fas eſt, in ſalutari aëris ventilatione poſitam. Fluxus & refluxus ut aquarum Oceani ſic aëris iisdem legibus & temporibus contingunt, a conjunctis attractionum viribus Solis & Lunæ inſigniores, quibus ut magno animalium commodo a ſtagnatione & corruptela defenduntur aquæ, ſic aëris, noſtrum corpus propius adluentis, ingens & vitalis ſalubritas vindicatur, quod ex principiis Newtonianis ſubtili calculo illuſtrat R. MEAD *y*). Præſtat jam ipſum ſalutaris inſolationis modum inſpicere, qui apud

s) *l. c. p.* 34. *A.* Idem ingenioſe *p.* 140. D. deſcribit, quod ita ad nos permeat, a contagio & ſordibus alienum ἄχραντον καὶ ἀμόλυντον καὶ ἀπαθές.

t) *de inſtrum. odorat. c. 6. in Cl. I. p.* 112. *E.*

u) *in phyſ. vet. & ver. C. XI.* §. 48. *p. m.* 288. Tanta, inquit, libidinis efferveſcentia, ſi utriusque liber congreſſus datur, in mutuos amplexus ruunt, ut aërem prorſus inflamment, id eſt, per artem ex corpore humano tinctura paratur inſtar Solis fulgida, qua repletum vitrum ſi Solis radios attingit, coëunt & commiſcentur utriusque radii tanto ardore, ut brevi, ni ſeparentur, incendium faciant.

x) *l. c. p.* 397. Talia ſunt: vim illam Solis influentem in ſemina rerum, attrahere, quæ illi ſimilia, & elementa contraria in propriis formis conciliare &c.

y) *l. c. Cap. I. p. m.* 182. 188. 189. Tota hæc disquiſitio, quæ adnexa eſt libello de venenis, meretur attentius evolvi.

apud veteres erat, corpore vel tecto leviter vel nudo ſedere, jacere, ſtare, ambulare, currere in Sole: ubi juſta quæſtio incidit, utrum horum confirmandæ vel reparandæ valetudini magis conveniat. Credunt multi, corpori a Sole calenti tutum non eſſe, moveri etiam & agitari, quaſi geminum inde metuendum ſit humorum incendium. At jam olim ARISTOTELES *z*) ſtantem ſedentemque gravius a Sole mulctari, ut rem experientia compertiſſimam tradidit, ſubjecta ratione, quod aëre immoto Sol urat vehementius, hujus autem fervor agitato illo miteſcat. Similem in modum AVICENNA *a*) deterius vocat, morari in Sole & pedem figere, quam ambulare in eodem, & clarius ante eum AETIUS *b*) ſtantes ſedentesque non ſolum ambulantibus ſed & currentibus in Sole plus lædi exiſtimavit. Ipſe HIPPOCRATES *c*), qui alioquin imperat æſtate luctari parum, currere minime, ambulare multum & ἡσιχῇ καὶ κατὰ ψύχος, excipit itinera in Sole, tanquam feſtinantius proſequenda. Cui ſententiæ *Galenus d*) hanc rationem ſubnectit, ut ocyus ſiccitate illa & calore liberemur, ſub Sole cunctandum non eſſe. Ante omnes ii, qui non tam ſedent jacentque, quam ſtant in Sole, ac calcibus nituntur, laboris plus & laſſitudinis ſuſtinent, quod ſitum illum tueri ſine magno nixu & virium impendio nequeant. Ceterum in eo plerique conveniunt, corpore purgato nec cibis oppleto Solem ſubeundum eſſe, ad vitandam capitis noxam. Igitur haud ſatis concoquere

z) *V. Sect. probl.* 36. *Ed. du Vall. T. IV. p.* 86. κινεμένων πνεῦμα καταψύχει ἡμᾶς. Prior ratio ὰ πᾶσα κίνησις θερμαίνει, ἀλλ' ἐνία ψύχει vix ſimilis momenti eſt.

a) *L.* 1. *Fen.* 2. D. 2. *c.* 20. *Edit. Valgris. P. I. p.* 111. ubi agit de iis, quæ ex uſu Solis proveniunt.

b) *de re med. L. III. c.* 9. ubi de inſolatione ex *Antylo* agit, *p. m.* 111. occurrunt ibidem reliqua in textu ſub nomine ejus adlegata.

c) *De ſalubr. diæt. III. & XI. Edit. Lind. V. I. p.* 628. *&* 630.

d) *Comment. in illum locum Hipp. Cl. II. p. m.* 40. *A.*

coquere poteſt HIER. MERCURIALIS *e*), *Plinium Maiorem* æſtate poſt cibum in Sole manſiſſe, aqua deinde frigida lavatum *f*). Verum veterum more facilis interdiu & parcior cibus vix ſanorum, quos hæc vincula ſtringunt lenius, caput *lædere* temere potuit. Læſit autem multum imbecilliora capita, maxime ideo, quod ea tegere non niſi pauciſſimi ad exemplum *Auguſti* petaſati *g*), conſueviſſent, adeoque catarrhis aliisque morbis obnoxia redderent. Nec proinde fruſtra CAELIVS AURELIANUS *h*) monuit ſub mora longiori in Sole tegenda ſedulo capita eſſe. At cur GALENUS *i*) plus ait capite laborare induros? Nempe hos nudatis eo ſenſu opponit, quod corpus quidem non vero caput tegant. Comitari etiam inſolationem unctio vel præcedere ſæpe ſolebat. Sic ipſe CICERO *k*) *pro aſſo Sole in pratulo ſuo Solem nitidum & unctum ab Attico* repetit. In Sole ungi ac currere priſcos, jam mentio fit apud *Ariſtophanem*, velut quoque apud VEGETIUM *l*) unctio coſtarum poſt inſolationem præſcribitur. Quæ tamen unctio cutem ſenſim denigrans & perſpirationem inhibens, haud æque omnibus adriſit. Præſtat inſolatio ſimplex capiti ex cauſſa frigida humidaque laboranti, roboratque, ſi alvum prius duxeris, ut ex veterum præceptis AETIUS inculcat,

e) *de arte gymnaſt. L. VI. c. 1. p. m.* 343.

f) *Plinius junior Ep. V.* L. III. avunculum deſcribit æſtate poſt cibum, ſi quid otii, jacentem in Sole, & dum libri legebantur, adnotantem, excerpentemque, poſt Solem frigida lavatum, mox guſtantem dormientemque paululum *Ep. XVI. L. VI.* ſimiliter utentem Sole, jacentem, guſtantem frigida, ſtudentem ſiſtit, *ipſo illo die*, quo craſſior Veſuvii caligo ſpiritum ejus intercluſit.

g) Solis ne hiberni quidem patiens domi non niſi petaſatus (i. e. pileo lati marginis tectus) ſub divo ſpatiabatur. *Sueton. in Aug. c.* 82.

h) *de morb. chronic. L. I. c. IV. p. m.* 312. in epilepſia *it. L. I. C. V. p. m.* 334. in mahia. *Corpus*, inquit, *Sole torrendum eſt prætecto capite.*

i) *de cauſſ. morb. c. 2. Cl. III. p.* 97.

k) *Ep. ad Attic. VI. L. XII.*

l) *L. III. c.* 22. nam Cel *Gesnerus* monet inſolationem non inflationem legendam eſſe v. *ſcript. ei. rei. ruſt. p.* 1124. *c.* 22. 3. cui congruit unctio corporum in Sole deſcripta *ib. p.* 1128. *C.* 18. 3.

cat, a multis etiam methodicis teſte CAELIO *m*) adverſus epilepſiam laudatur, ſed moderata. Difflat noxia, ſudores elicit, pinguedinem abſumit, œdemata præcipue & aquam inter cutem exſiccat. In obeſitate *Aetio*, in ictero *Archigeni* placuit, in phthiriaſi *Cælio n*). Sane ampliſſimus hic uſus eſt, ubi debilitas virium, humor lentus, & morbi chronici occurrunt, ex læſa perſpiratione nati: unde multos nervorum morbos, quartanas, gravedines, ſuperveniens calor & ſiccitas æſtiva compeſcit. Ad diſſipandos in Sole pedum tumores PLINIUS *o*) ſimul cretam, acetum, nitrum & aphronitrum imponi jubet. Hydropici, uti nunc arenæ calidæ, nunc clibano piſtorio, nunc ſimo, nunc arcæ ligneæ (quadrangulam compaginem CAELIUS *p*) vocat) ſe immerſerunt; ita Solem ex auctoritate CAELII *q*) & plerorumque medicorum etiam tempeſtivius ſuſtinuerunt. HERACLITUS *r*) aqua intercute laborans adverſo Soli ſe objecit, puerosque ut boum ſtercore ipſum oblinerent, inſtruxit. Corium, cui ex duriori veterum lege hydropici plerumque incumbebant, magnum oleoque perunctum erat & ſtratum in arena tenui & cribro excuſſa. In quo ſitu diu perſiſtebant in Sole, poſtea in contrarium latus devoluti, mox in priſtinum reverſi, miniſtris arenam ſubinde calidam in corpora ſpargentibus. Hæc etiam in renum veſicæ & calculi vitiis, in elephantiaſi, morbo coeliaco, profluviis mulierum

m) *Morb. chron.* L. I. C. *IV.*

n) ib. *L. IV. C. III. p.* 498. utitur hic voce ſolicationis pro inſolatione.

o) *L. XXXV.* 57. *p. m.* 718.

p) *Morb. Chron. L. III. C.* 8. *p. m.* 476. in eam loris præligatam & pelle includi ægrum jubet.

q) *ibid. p.* 473. docet, ex arena littoris Sole ignita torrenda corpora.

r) *Hermippus* id refert apud *Laertium L. IX. Edit. Menag. p.* 238. Ibidem ab aliis dicitur, præpoſito medicis ænigmate, an ſiccitatem ex imbre, ἐξ ἐπομβρίας ἀυχμὸν facere ſcirent, nec intellecto, εἰς βόσπιν κατορύξας ſtercoris tepore exhaurire aquam voluiſſe. Cui convenit illud *Marci Antonii de rebus ſuis L. III.* §. 3. ὕδατος τὰ ἐντὸς πλεηρωθεὶς βολβίτῳ καταχρισμένος ἀπέθανεν. Hippobotus & Ariſto referente Sotione dicunt hydrope curata ſuperſtitem fuiſſe.

rum ipsisque febribus multis commendabantur. Palam vero est, hunc insolationis molestioris gradum non nisi in contumacioribus morbis locum habere, pro exsiccando humorum in imis recessibus stagnantium latice, nec infirmiores illam vim tuto sustinere. Hinc illud vetus: Sol & exercitatio roborant valida corpora, prosternunt imbecilla *s*). Metuendam tamen a calore putredinem ipsa hæc arcet major exsiccandi virtus, ut *Moschio* medicus apud PLUTARCHUM *t*) docuit, cum quæstio incidisset, cur carnes sub luna putrescerent, non sub Sole? Id *Oritæ u*) illustrant, qui nullum alium cibum, quam pisces norunt, quos unguibus sectos torrent Solibus, & in panes sine corruptionis metu præparant. Nec tamen diffiteor, rudiorem illam & anxiam antiquorum curam ægros ad *ignem torrendi & adsiduo Soles quærendi* haud omni culpa vacare, ideoque ut PLINIUS testatur, *Asclepiadi* jucundiores salutis leges stabilienti adsensum ac famam peperisse *x*).

§. VI.

Non possum inter salutaris insolationis argumenta illud penitus intactum relinquere, quod ex statu opposito laborantis aliquando vel *deficientis Solis* evincit, quantum ab ejus adspectu nunc intercepto pendeat. *Nimis fortassis* trepidant hic superstitiosi, ut olim rex *Archelaus*, qui *eo die, quo Sol defecit*, regiam clausit, & filium, ut moris in magno luctu erat, totondit *y*). Dum vero Sol, quem objectu sui luna abscondit, prohibetur radios suos viresque effundere, periclitari illos, quorum imbecillior valetudo est, nec ratione vacat, nec rara observationum fide nititur.

s) *Gal. de simpl. med. fac. L. III. c.* 14. *Cl. V. p.* 28. *A.*

t) *Sympos. L. III. Qu. X. Op. T. II. p. m.* 658. *A.*

u) *H. N. L. VII.* 2. *p. m.* 374. *A* pluribus gentibus id fieri probat *Furner. L. IV. hydrag. c.* 25.

x) *Ibid. L. XXVI.* 8. *p. m.* 392.

y) *Senec. de benef. L. V. c.* 6. Versutius *Agathocles* elusit & in hostium capita detorsit sinistrum deficientis Solis omen, cujus religione navigantes secum milites terreri viderat. *Justin. L. XXII. C.* 6. *p. m.* 325.

nititur. Merito GUIL. BALLONIUS z) in corporibus morbo exhauſtis ad magnos ſiderum mutationes attendi debere ex præceptis Hippocraticis commonuit. Feminæ ægrotantis mentionem facit, in qua ante ecclipſin Solis nihil adverſi præſagivit ſollicita medicorum attentio, ſub ipſum vero ejus incidentis momentum viſa eſt ægra animam agere, nec niſi poſtquam Sol iterum refulſit, vires reſumſit. Incredibiles ait morborum converſiones tunc adparere, convulſiones, deliria aliaque, idque ſubito & citra rationem, quin & ſanos repente interdum elangueſcere & velut agente dæmone infeſtari. BERNH. RAMAZZINI *a*) ipſo ſolaris deliquii tempore aëris gravitatem fere in momento auctam notavit in barometro, cujus ad lineas aliquot aſcenderat hydrargyrum. Igitur licet ex *Monardi* conſilio, ſi urget vis morbi, lotium potius quam aſtra contemplanda ſunt, prudentiores tamen nihil negligunt, quod inter cauſſas ingraveſcentis morbi, etiam e longinquo minaces, pertinet. SAM. STEURLIN *b*) in magna Solis obſcuratione malignitatem aëris notavit in febres catarrhales malignas proniorem. Mirabilius videtur lucis deliquium, quod anno nono Imperatoris *Iuſtiniani* teſte ABULPHARAGIO *c*) paſſus

z) *L.* 1. *Epid. Conſtit. IV. p. m.* 48. *ib. p.* 37.

a) Notavit illam Solis defectionem 1694. *d.* 27. *Jul. in Diſſ. de Conſtit. Epid. Mutinens. A.* 1692. 93. 94. §. 16. *Op. Lond. p. m.* 110. Ruri etiam procul Edimburgo *Pitcarnius* 1687. cœlo ſereno & rubente Sole in ipſo lunæ coitu ſubitum ſanguinis ex naribus profluvium habuit prægreſſo ſenſu gravitatis & imbecillitatis. Reverſus in urbem reperit ea ipſa hora altius quam unquam ſubſediſſe hydrargyrum, & circa idem tempus *Cockburnium* Prof. Philoſ. hæmoptœ extinctum, quinque etiam vel ſex ex cognitis ægris variis ſanguinis profuſionibus tentatos fuiſſe. *v. R. Mead. l. c. p. m.* 206. Couſ, ſi placet de ecclipſium portentis *Peucerum de divinat. p* 661.

b) *Obſ. de Ecclipſi Solis morbos cauſſante* v. *Cent. I. & II. Ephem. N. C. O. 83. p.* 156. *Luc. Schræck de conſtit. Auguſt.* 1699. & 1700. negat quidem poſt magnam Solis ecclipſin ſe multum morborum obſervaſſe, non negat tamen frequentem tunc lymphæ colluviem & ſtaſin in odontalgicis & catarrhoſis. *D. III. Ephem. N. C.* 4. 7. & 8. *App. p.* 90.

c) *hiſt. dynaſt. Ed. Pocock. p.* 94. Addit ex judicio hominum tunc accidiſſe aliquid Soli, quod nunquam ab eo receſſurum videretur. Mirum deliquium ſub anno 17 Heraclii recenſet ib. p. 99.

ſus eſt Sol intra proprii ſinus orbitam, durans ultra annum, nõn niſi exigua luce ſuperſtite. Tunc vero locuſtas ſcribit totam fere tellurem vaſtaſſe, & inclementiam hiemis cum ingenti hominum ſtrage ſæviiſſe, anno etiam altero Solis calorem adeo remiſiſſe, ut fruges nullæ maturuerint. PLINIUS *d*) peſtilentiæ ex obſcuratione Solis contractæ meminit, cui ſuffitum ignis mederi ex *Empedocle* & *Hippocrate* probare inſtituit. Neque hoc loco prætereunda ſunt extrema mundi *e*), quæ a Solis, etiam naturali lege influentis, via remotiora ſunt, & una frigoris perpetuitate torpeſcunt. Quodſi ipſum plerorumque morborum ſtatum noctu invaleſcentium die remittentium conſideramus, dictis exinde non parum novi roboris accedit. Agnovit jam olim rei momentum vel ipſe puerorum luſus, *Soli ſub nube latenti adclamantium:* ἔξελχ' ὦ φιλ' ἥλιε, *exorere Sol dilecte f*)! Diſcant ex his litterati ἡμέραν παυήλιον plus ſibi commendatam habere quam λύχνον πάννυχον.

§. VII.

Ad eos tranſeo, qui ex fervore Solis & directa luci actione laborant. *Nulla vis* eſt homini tam amica, quin extra limitem juſtæ actionis lædat, & *quantumvis caverit Natura*, ne Soli excederet illam ſalutaris actionis *limitem, attamen pro indole regionum*, ut ſupra dixi, & temperie hominum, æſtus ſæpe exiguos haud *impune* ferentium, vis illa exaſperatur, certe quibusdam noxia imo funeſta evadit. Eundem Solem, quem humidiores, frigidiores, laxiores, *debiliores commode ferunt*, ut moleſtum accuſant ſicci, validi, bilioſi, quibus omnia vitalis motus ſui incrementa merito ſuſpecta ſunt *g*). Quodſi præterea Sol ille ex vertice

d) *H. N. L. XXXVI. 69. p. m. 759.*
e) *Macrob. in Somn. Scip. L. I. c. 10. p. m. 100.*
f) *Iul. Polluc. onomaſt. L. IX. p. m. 1107. 1109.*
g) Hos etiam levi inſolationis uſu lædi ob mordaces calores, aucta bilis vitia, aſthmata aliaque monet *Galenus 6. Epid. C. I. aph. 10. & 2. de tuend. valetud. C. 12.*

vertice eorum imminet, & accitis aliunde viribus æſtuantior incumbit, eos ratio & ipſe in illa temperie ſenſus docet, non eſſe temere capita foco ſolari objicienda. Maxime vero ii periclitantur, qui crudis humoribus ſcatentes poſt ipſas exercitationes Soli æſtivo ſe exponunt. In his enim rapi introrſum impuriora illa, & ex locis, in quibus tutius latebant, redundare in viſcera, fallax præſagium non eſt *h*). Areſcunt in tali caloris gradu corpora, gracileſcunt & contrahuntur fibræ, membranæ, vaſa, ſanguis tenuiori diſſipato figitur, & mole immeabili opplet meatus: in quo ſtatu a cauſſa morboſa virtutem vitalem irritante febres auctiores promtius accenduntur. Nam partes jam ſiccæ & denſæ validius quam humidæ & laxæ agitantur, veluti chorda ſicca & denſa, ſi pulſatur, validius oſcillat. Inde eſt, quod durum pulſum ex fervore Solis notet GALENUS *i*), qualem in morbis inflammatoriis tantopere metuimus. Nemo eſt eodem judice *k*), qui ipſa doctus experientia non agnoſcat, ab ardoribus Solis multos febre corripi, & præſertim eos, quibus noxia humorum colluvies eſt, angi, concuti & febrili lege tremiſcere: unde etiam vitam laboribus, curis, & incendio Solis obnoxiam inter crebras tertianarum cauſſas refert *l*). TH. MORGAN *m*), dum ab actione Solis caleſcere fluida, & ab his rarefactis impleri vaſa ac plus diſtendi, motus momentum creſcere, ſerumque cum craſſamento intimius miſceri docet, læſa exinde ſecretionum vitia & plethoræ, in majoribus vaſis diſtendentis ac varias ſanguinis profuſiones parientis, damna derivat. Satis quidem commode fit, ſi illæ profuſiones ſequuntur, quarum inſigne exemplum vidit in robuſto amico JOH. FERD. HERDOT *n*), quem improviſa & magna

h) *Gal. de ſympt. cauſſ. L. I. C. 3.*
i) *de differ. febr. L. I. c. 7.*
k) *Ib. L. I. c. 2.* Conf. *de ſympt. cauſſis L. I. c. 5.* ubi de iis loquitur, qui ex Solis incendio febricitant.
l) *Ib. L. II. c. 1.*
m) *P. 1. Philoſophical. princip.* of Medicine Lond. 1725. Conf. Act. Erud. Lipſ. 1728. p. 56.
n) *Ephem. N. C. D. 1. A. 1. O. 24. p. 89.*

magna hæmorrhagia narium ex longiori mora in Sole adfectum vix aliis remediis quam ſufflato in nares crudo alumine & lacca ſervare licuit. Verum ubi exitus non ita patet in corpore ſuppreſſis ſecretionibus plethorico, ſuffocationem circulationis & crebras inflammationes ex craſſioris ſanguinis in dilatata minora vaſa ingreſſu & ſtaſi inter ſymptomata acutiſſime febrilia imminere, crebris obſervationibus confirmatur.

§. VIII.

Nulla vero pars eſt, quæ a flagrantiori Sole gravius mulctatur, quam caput, quippe iniuriis ejus propius expoſitum. Rubent oculi, cum ſiccitate calent, venæ oculorum, frontis, temporum tument, areſcit cutis ægre mobilis, caput ſub aucto humorum decubitu in vaſis ſuis diſtenditur, dolet, febresque, phrenitides, apoplexiæ & ipſa mors ſequuntur. Dubitanti Sophiſtæ, vellem, inquit GALENUS *o*) ut æſtate media, oriente canicula, in regione aliqua humili, nullis perflata ventis, nudo capite ſtares, nec id per dies plures aut unum, ſed tribus ſolummodo horis meridianis, urereris non modo & febre laborares, ſed & delirares cum vitæ periculo. In itinere per loca plana Soli expoſitisſima integrorum exercituum ſtrages orta eſt. GER. SWIETENIUS *p*) binos meſſores ſanos & rubuſtos in fœni acervo ad Solem meridianum dormientes intra bihorium periiſſe refert. Expergefacti a ſodalibus titubantes & incondita quædam muſſitantes ſubito exſpirarunt. In ſacro codice legimus *Iudithæ q*) maritum *Manaſſem* diebus meſſis hordeaceæ, cum meſſoribus manipulos ligantibus adſtaret, æſtu caput occupante peremtum eſſe, phreniticum quidem vel apoplecticum a ſanguine confertim in cerebrum

o) *de cauſſ. procat. c. 1. Cl. 3. p. 96. ib. D. 2.* de quodam loquitur, qui ſanus in theatrum ſe contulit, at ubi caput ejus Soli ardenti expoſitum paulatim incaleſcere & dolere cœpit, paulo poſt febris eum adorta eſt.

p) *Comment. in Aphor. Boerh.* T. II. *p.* 548.

q) *Iudith. c. 8. v. 2. & 3.* ὁ καύσων ἦλθε ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῦ.

brum evocato, ut Fr. Vallesio r) placet. Cujus periculi fidem confirmat Sunamitidis filius s), qui ad meſſores ſub æſtivo Sole egreſſus clamare mox cœpit: *vah caput, vah caput meum!* & delatus ad matrem circa meridiem in ſinu ejus occubuit, apoplecticus ex cephalico, uti I. Iac. Scheuchzerus t) iudicat, cerebro ab expanſis arteriis, forte etiam ruptis, compreſſo. Poſſis uſitata Græcis voce ſiriaſin vocare, quæ *Aetio & Aeginetæ* eſt febris infantum ab exuſtione ſolari nata, cum inflammatione cerebri & membranarum, ſyncipitisque & oculorum collapſu ob molliorem adhuc contextum u). Plinius ardorem Solis vocat, nunc etiam deſtillationem nunc aduſtionem infantum x). Convenire hoc malum videtur cum illo, quod ſolſtitialis morbi nomine Plautus y) deſignat. Apud hunc Stasimus ſervus agrum heri, quem in dotem ſororis incaute promiſerat, ſervaturus vitia agri lepidis verbis proſequitur, oves in eo ſcabras eſſe, ſues angina ſuffocari, boves in quinto ſulco, quo terra proſcinditur, mori, & maximam meſſem triplo minorem ſemente eſſe, præterea hoc addit:

> *tum autem Syrorum genus, quod patientiſſimum*
> *hominum, nemo extat, qui ibi ſex menſes vixerit,*
> *ita cuncti ſolſtitiali morbo pereunt.*

Mul-

r) De *Sacr. Philoſ.* c. 43. *p. m.* 211.
s) 2. Reg. 4. *v.* 18. 19. 20.
t) *Phyſ. Sacr. p.* 244. *Tab.* 483. Arguit *Valleſium*, quaſi non mortuum eſſe puerum, ſed ſyncope laboraſſe dixerit. At hic *l. c. C.* 25. *p. m.* 195. hoc adſtruit, in miraculo medelæ habitum eſſe honorem naturæ, & Eliſam aliquoties incubuiſſe ſuper puerum tanquam ſyncopticum, poſito ore ad os, oculis ad oculos, volis ad volas, ut hinc caleſceret corpus, & puer ſepties ſternutaret, oculosque aperiret. Verum fatetur ſimul, puerum vere mortuum eſſe & ab Eliſa per miraculum ſuſcitatum.
u) conf. *Sennerti de curat. infant. P. I. C.* 7. *Op. Lugd. T. III. p. m.* 212. Placet ei vocis origo σιρὸς fovea ob collapſum ſyncipitis. Præſtat σείριος canicula, tunc enim gliſcunt omnia ſub feruentiori cœlo, ſi, ut *Statius* ait, *L. I. ſylu. Carm. III. v.* 5. *calido latravit Sirius aſtro.*
x) ibi *H. N. L. XXII.* 29. *p. m.* 275. hic *L. XXX.* 77. *p. m.* 542.
y) *Trinum. Act. II. Sc. IV. v.* 141.

Multi velut herbam ſolſtitialem tanquam fugacem & æſtivo halitu areſcentem, ſic morbum hujus nominis tanquam breuiſſimæ durationis ſibi concipiunt. Hinc alii ephemeram, unius diei morbum, alii comitialem, morbum, qui ſubito prehendit, intelligunt. Verum funeſtioris morbi genius requiritur, quem proinde TURNEBUS ardentem circa ſolſtitia febrem eſſe doctius ſuſpicatur. TAUBMANNO ſufficit, morbum pravum & mortiferum eſſe, quis præciſe ſit in tanto numero, divinando adſequi non audet. G. W. WEDELIUS phthiſin ſtatuit, cui congruant notæ hic traditæ morbi calidi, lenti, conſumentis 2). At has notas omnes in Plauti verbis non reperio. An enim hæc verba, ne minem ibi ſex menſes vivere, idem eſt ac morbum iſtum per ſex menſes durare? *Si peſtem dixeris incolas urbis alicujus per ſex* menſes abſumpſiſſe, nemo inde lentorem morbi colligit, ſed alios citius alios ſerius correptos eſſe, omnes tamen intra id tempus celeri fato defunctos iudicabit. Coniectura de hoc morbo labores in agrum collocandos tempore ſolſtitii confert, vti ſolſtitialem herbam fas eſt vocare, quæ falci circa ſolſtitia imminenti proxima eſt. Siriaſin igitur a ſolari exuſtione tunc fortiori natam cum C. L. RHODIGINO *a*) vocare malim, cui jam *Rob. Conſtantinus* adſenſit *Vel ſi eviluit hodie uſus vocis, aut non niſi ad infantum morbos reſtringendus videtur, quod de meſſoribus illis* Plautinis non valet, ſatis eſt ardentem *febrem ex occupato capite* phreniticam agnoſcere. TH. BONETUS *b*) mercatoris meminit, *qui variis locis* ardente Syrio peragratis cephalalgia correptus, quamvis plurima tentarentur, die quarto occubuit. Ablato cranio vaſa meningum & cerebri adparuerunt *ſanguine turgida* & ex tenſione vehementer livida cum ſeroſo abſceſſu circa frontem. Simili fere fato agricola periit de dolore capitis ex inſolatione contracto queſtus, qui mox in febrem ardentem & die quarto in phrenitidem incidit, & licet pus fœtidum per os narem & aurem dextri lateris

2) *Exercit. Med. philol. Dec. VI. Ex. III. p.* 9.
a) *Antiqu. lect. L.* 29. *C.* 4. *p. m.* 1110.
b) *v. Sepulchr. Anat. L.* 1 *S.* 1. *O.* 2. *p. m.* 4.

lateris effluereret, mortem oppetiit. Aperto capite non modo dura & pia mater, ſed & fœtida ſubſtrati cerebri labes, licet haud magnum ſpatium occupans, chirurgi oculis ſe exhibuit *c*). Qui proni ſunt ad cephalalgiam, ipſo etiam blandiori Solis commercio lædi videntur. Mirabile eſt, quod Loel Langelott *d*) de virgine ut & viro quodam commemorat, quibus cum ipſo oriente Sole nati dolores ſunt, eo meridiano ſic exacerbati, ut vix ferre amplius poſſent, occidente Sole remiſerunt, evaneſcente ſimul evanuerunt. Duravit malum per dies aliquot, contumacius in viro, hic cedens ſanguiſugis, ibi cucurbitulis admotis, luculento utrinque revulſionis a capite beneficio.

§. IX.

Ab ipſis oculis noſtris, quibus res omnes alta alioqui nocte ſepultas mundi ille oculus reddit conſpicuas, verecundum & timidum ſui obtutum poſtulat, ne lædantur. Non vult, inquit Xenophon, audacius a nobis adſpici, quod qui fecere imprudentius, videndi facultatem perdiderunt. Cum *Socrate* adverſus *Anaxagoram* pugnante ſtatuit *e*), oculos noſtros ignis adſpectum non Solis ferre, ab hoc non ab illo cutem noſtram fuliginoſa fuſcedine imbui. Sane nec ſuſtinet acies noſtra lucem moderatam ex ſummis tenebris ſubito emicantem, nec lucem adſueta majorem, hinc ab igne etiam fortius lucente & a corporibus ignitis & ſplen-

c) Chirurgi Geneuenſis *Baillii*, e cujus teſtimonio refert *Bonetus l. c. L. I. S. I. O.* 54. Vidit Præſes Lubecæ Ao. 1719. æſtate ſævientiſſima plures agricolas, idque fere quotidie, febre ardente correptos & ex agro in urbem delatos.

d) *Miſc. N. C. D. I. A.* 6. & 7. *O.* 18. *p.* 18. Qualis vero fuerit illa ſitis, quæ poſt quartanam crepuſculo veſpertino invaſit. diluculo iterum evanuit, idque ſine ſenſibili cauſſa & conſtanter, cujus meminit *E. S. Graſſius*, hic non attingo. Symtoma hoc ad abſentiam Solis natum uti prius ad præſentiam ejus. v. *Miſc. C. N. D. II. A. V. O.* 44. *p.* 86.

e) *Memorabil. L. IV. p.* 644. 109. πῦρ ῥᾳδίως καθορῶσιν, εἰς δὲ τὸν ἥλιον οὐ δύνανται ἀντιβλέπειν, ὑπὸ τῦ ἡλίυ καταλαμπόμενοι τὰ χρώματα μελάντερα ἔχυσιν, ὑπὸ δὲ τῦ πυρὸς οὔ.

ſplendentibus *f*) vel hebeſcunt oculi inſigniter vel alta nocte mergantur. Verum ut Sol eſt τὸ λαμπρότατον τῶν κατ' οὐρανὸν ἰόντων, *g*) vim ſummam ab eo nervis oculorum inferri, ut ab hac corrugentur & areſcant, omnique jam commeatu ſpirituum deſtituantur, mirum videri nequit. Aliqui occœcati eorum ſunt, inquit GALENUS *h*), qui Solem nictando contuentur, omnes ita læſi, ut vix recuperarint viſum. Idem alio loco *i*), ubi celeriter viſum perdi tradit, ſi quis inconniuentibus oculis intueri Solem velit, hoc addit, multos in Solis defectibus, cum quæ ei acciderent, luſtrarent attentius, fixiori obtutu occœcatos eſſe. Vix tamen exiſtimo, alios quam imbecilliores oculos tam ſubito periculo eſſe obnoxios. Imo, moderatum Solis & luminis ab eo diffuſi adſpectum roborare *oculos & plus vigoris iis inſpirare, vero ſimillimum puto.* Hinc proverbium eſt, lippientes tantum oculos non delectari Sole, ut nec vino palatum, quod febris infecit. Haliætus implumes pullos ſuos percutiens ſubinde cogit adverſos intueri Solis radios, vel ſi conniventem nictantemque animadvertit, præcipitat e nido, ut adulterinum & degenerem *k*). Sic canes vitioſos credunt, qui vitant Solem, umbram ſectantur *l*).

At

f) Ita *Democritum* ſubtili ſolertia cœcitatem ſibi conſciuiſſe, obtutu nempe clypei aërei Soli oppoſiti, ex *Laberio* poëta refert *A. Gellius L. X. C.* 17. *p. m.* 492. Alii deſcribunt *Democritum* εἰς ἐσοπτρα πυρωθέντα ἀπερεισάμενον τὰς ὄψεις καὶ τὴν ἀπ' αὐτῶν ἀνάκλασιν δεξάμενον, referente *Plutarcho* nec tamen adſentiente *de Curioſ. Op. T. II.* 521. C. Fabulam pulchre evoluit *P. Bayle in diction. T. II. p m.* 273.

g) *Clem. Alexandr. Stromat. L. VIII. Ed. Potter. p.* 916.

h) *de ſympt. cauſſ.* L. I. C. 2. *it.* c. 69. ubi ſub Sole iter emenſis oculos ſqualidos ſordidos conniventes, in quibus flos vitalis coloris exſtinctus ſit, tribuit.

i) *de uſu part. corp. hum. L.* 10. *G.* 3. *Cl. I. p.* 179. Conf. *Miſc. N. C. D. III. A.* 7. *& 8. O.* 99. *p.* 166. ubi *D. Io. Theod. Moeren* poſt finitum Phœbi deliquium ſe cum aliis obſervatoribus primis ab hinc diebus tantum non cœcum ſenſit.

k) *Plin. H. N. L. X.* 3. *p. m.* 548. *Ariſtot. L. IX. hiſt. anim. C. V.*

l) ἐνδιδούσας ὑπὸ τὸν ἥλιον, ὑποφευγέσας ὑπὸ τὰς σκιάς v. *Iul. Pollux. Onomaſt. L. V. C. XI. p. m.* 510.

At gymnoſophiſtas ab exortu ad occaſum immotis oculis Solem intueri, & ferventibus arenis toto die inſiſtere conſueviſſe *m*), res eſt vel fabuloſa vel futilis iactantiæ plena, quæ cum Diis familiaritatem, nihil fulminis & pœnarum metuentem, ſibi adſervit. IULIANUS *n*), qui a puero ſcribit radiorum ſolarium deſiderio ſe flagraſſe, quoties auſus eſt oculos in æthereum illum ſplendorem conniicere, attonita ait & perculſa mente ſe fuiſſe, quanto certius caligantium oculorum. Majori adhuc deſiderio Solis flagraſſe videtur Philoſophus EUDOXUS *o*), qui modo propius liceret formam, magnitudinem & dotes ejus inſpicere, *Phæthontis* fato interire optavit.

§. X.

At & nervos aliis ſenſibus dicatos vis Solis obtundit. Auditus quidem ob nervos latentiores minus periclitatur, imo ob membranas in ſicco aëre magis trementes, iis, qui ab humorum colluvie obſurdeſcunt, acutior evadit. Olfactus vero ut nervos nudiores habet, ita noxam promptius admittit, & breves interdum in æſtuante arena ambulationes ἄοσμον relinquunt. Nimirum cum liquida ſubtiliſſima aëri calido & ſiccanti plus obediant, mirum non eſt ad vim Solis vaſa nervina & lymphatica ſuis exhauſta liquidis areſcere, & functiones eorum ſenſim aboleri. Ex eadem ratione pulmo, cuius tam neceſſaria eſt lubricitas, ſiccatus nimis aſthmata parit, iis etiam ſæviora, quibus ob amplitudinem corporis meatus animæ gravior & ſonantior eſt. Anginæ quoque poſt itinera æſtiva frequentes obſervantur, maxime ſi frigus ſuperveniens fauces ſtringit, imo fuit apud SWIETENIUM *p*), qui blando verni Solis tepore recreatus & veſperi obdormiſcens periit noctu anginoſus. Bilis præcipue in illa dilutionis penuria fervet & corrumpitur, hinc moram ſub Sole corpus bilioſum reddere

m) *Plin. H. N. L. VII. c. 2. p. m.* 372.
n) ab initio *Orat. IV. in R. Solem.*
o) *v. Plutarch. op. T. II. p. m.* 1094. B.
p) *Com. in aph. Boerh.* 799. *V. II. p.* 654.

dere docet GALENUS *q*), & ex judicio HIPPOCRATIS *r*) biliosis & splenecticis metuenda æstas est, & præsertim ejus solstitium. Incidunt, qui imprudenter in Sole ambulant, in angustias circa hepar, & aluo vel vomitu atra & acria ejiciunt *s*). Coctio ventriculi ob arescentes lymphæ digerentis fontes languet æstate, aluus strictior ex simili vitio obtorpescit. Præterea HIPPOCRATES *t*) crebros coxendicum morbos ex mora in Sole evenire scribit, humore videlicet circa artus arescente, unde flecti sine magno dolore nequeunt. Nascuntur & inde aliæ arthritides, & ipsæ sensim paralyses.

§. XI.

Propero ad cutem, quæ æstuantis Solis & cœli injurias sustinens ephelidum u) vitiliginum aliarumque hujus generis macularum, maxime suliginosi coloris tristi nube obtegitur. Sanguis parte aquosa & pellucida orbatus non potest non per vasa cutanea obscuriori colore translucere, & facili in his locis stasi macularum forma coire. Omnia corpora, quæ diu in Sole æsti-

vo

q) C. 1. *de morb. vulg. in L. VI. Hipp. n.* 10.

r) *de aër. aqu. & loc. Ed. Lind. V.* 1. *p.* 345. *XXX.* 5. Idem de *Struct. Hom. l. c. V.* 1. *p.* 286. *XI.* 16. ait bilis facultatem augeri ab exortu vergiliarum ad æstiuum solstitium.

s) Et bene quidem corrupta bilis quippe febres accendens & sustentans in limine per vomitum eiicitur. Unde *Hippocrates* æstate purgationes ait convenire τὰς ἄνω, hieme τὰς κάτω. *Aph. IV.* 4.

t) *De int. Affect Ed. Lind. V. II. p.* 263. *LIV.* Ceterum recenset æstivos morbos *Aph. I.* 25. Alio loco, ubi urbes ad Solem ventosque male sitas tanquam morbis magis obnoxias arguit, addit tamen, sicca æstate citius sedari morbos, pluviosa esse πολυχρόνιος. v. *V. I. p.* 330. *III.*

u) ἐφηλίς, Græcis est ἡ ἐκ τῦ ἡλίυ περὶ τὸ πρόσωπον γινομένη ἔκκαυσις καὶ μελανία. *Celsus L. V. C.* 5. asperitatem & duritiem vocat mali coloris. Curare eas & lenticulas varosque pene ineptiæ sunt, inquit, at eripi feminis cura cultus sui non potest.

vo verſantur, nigra reddi GALENUS *x*) tradit, rationem quoque cur Sol carnes denigret, ſimpliciſſimam ARISTOTELES *y*) exprimit, *τὴν σάρκα μελαίνει*, inquit, *ὅτι καίει*. Veteres omnes torridæ Zonæ vim denigrandi & uſtulandi corpora tribuerunt, iis quidem arbitris tanto luculentiorem, quod ejusdem coloris pleræque belluæ & aves earum regionum eſſent, & ipſi ad Africæ ſolitudinem montes a Solis repercuſſu atri adparerent. Verum id recentioribus non probatur, quod intenſior vis Solis iis, quorum cervicibus conſtantius imminet, illum penitus colorem, qui Indorum vel Aethiopum eſt *z*), conciliet. I. N. PECHLINUS, *a*) quamvis haud inficietur, eorum, qui vel per unicum diem Soli æſtivo ſe obvertunt, candorem obſcurari, negat tamen vel mille Solibus exuſtam cutem poſſe illum æthiopum colorem referre, quippe in nitido habitu pinguem & lævem. Neque enim humida illa & flexilis mollities cutis ac fulgidus ſplendor Soli exſiccanti & induranti congruere videtur. Igitur horribile & Oedipo dignum ſecretum vocat, unde hæc prima habitus colorisque æthiopici origo pendeat? Sedem quidem nigroris abunde demonſtrarunt anatomicorum noſtri ævi obſervata, verum de cauſſa ambigunt vel ſilent, eamque diu quærentibus fortaſſis nunquam reperiri iudicat B. S. ALBINUS. Id ſcimus, in cute ipſa nigroris huius æthiopici parum eſſe, paulo plus in epidermide, plurimum

x) *Comm. II. in Progn. Hipp. 29. Cl. IV. p. 200.* Agit quoque de nigritia ex Sole in *L. I. de tuend. ſanit. C. 5. v. Cl. II. p. 64. A.*

y) *Op. T. IV. p. 258. 11.*

z) India & Aethiopia ſecundum *Strabonem* olim omnis erat terra meridiana, deinde per hanc intelligi cœpit terra mari rubro vel in Aſia vel Africa contermina, poſthæc ſtrictius media pars Africæ ad æquatorem ſita, cujus olim metropolis Meroe teſte *Stephano* dicitur *Lucano Pharſ. L. 10. v. 303.*

nigris foecunda colonis.

Nihil hic vel hos vel alios æthiopiæ terminos moror, nec incolarum diverſi gradus nigritiam, ſed hujus cauſſam, an a Sole ſit, paucis in hac conjecturarum caligine diſpicio.

a) *de colore æthiop. C. XVIII. p. 177. & 182. C. X. 108. C. XIV. p. 153.*

mum in intermedio, quod *Malpighio* nomen debet reticulo *b*). Hoc reticulum in hominibus noſtris ſemper candidum reperit F. Ruyschius *c*), imo ejusdem candoris, quam epidermidem, quamvis in quibusdam corporis partibus, ut ſcroto & pube, ad fuſcedinem ſatis inſignem vergat. Ubi illud præcipue in æthiopicis notamus, tantam eſſe atri coloris in dictis ſedibus conſtantiam, ut nec aqua nec ſpiritus vini multorum dierum digeſtione eam eluat *d*), & hinc vulgari proverbio vanus labor ſit æthiopes lavare. Quodſi vero hos igne vicini ſideris torreri *Plinius e*) inepte dixit, ſi *Lucretius f*) percoctos calore per errorem vocat,

b) Etſi cutem *ipſam in omnibus hominibus, adeoque & Aethiopibus*, albam *Malpighius & Santorini*, albiſſimam *Ruyſchius*, nive candidiorem *Riolanus* adpellat, vicino tamen nigrore leviter infectam *Albinus* notat, in quem nulla cadere poteſt cutis vel reticuli detrahendo vitiati ſuſpicio. Tam leviter tamen tincta cutis parum ad colorem Aethiopum confert. Idem de cuticula verum eſt, quod expers omnis nigroris haud ſit. Non eo id ſenſu intelligo, quo veteres, qui cuticulam cum illo reticulo coniunctam conſiderarunt, unde ſolam cuticulam nigrore imbutam recte *Riolanus* dixit, ſed de cuticula ſine reticulo, quam *Ruyſchius* in Aethiope cineream vocat, *Santorini* etiam nigram. Eſt enim cuticula ejusmodi tegmen, cujus interior pars cutem tangens *reticulum*, exterior *epidermis* antiquo nomine audit, *quæ lamellæ ejusdem naturæ ſunt*, & ut *Winslouius* ait, altera alterius *continuatio vel pars*, *hæc dilutioris* illa obſcurioris ſuſcitatis, maxime interiori parte, qua cuti accumbit, plus etiam, ubi intervalla papillarum cutis quam ipſas papillas ambit. Ita quoniam interior eſt ſedes majoris nigroris, hunc *cl. Littre* interne cum carbonis nigrore lignei comparat, licet per epidermidem tantum adpareat ad ſimilitudinem fuliginis. *Simul vero notandum eſt, non eſſe colorem* in omnibus partibus æthiopis eundem, quas variis locis detraxit *Albinus*, ſic differre teſtatur, ut dubites ejusdem æthiopis eſſe, e. c. in planta, vola, calce, & ſub unguibus, ubi dilutior color. v. Celeb. Viri exaſciatam *diſſ. II. de ſede & cauſſa coloris Aethiop. Leyd.* 1737.

c) *Adu. Anat. D. III.* 8.

d) *hiſt. Ac. Scient.* 1702. & quidem *diverſ. Obſ. Anat.* auctore Littrio *n.* 13. Paria experimenta cum aqua forti, ſpiritibus acidis, lixiuiis fruſtra inſtituit *I. N. Pechlinus l. c. C.* 8. *p.* 86. 87.

e) *H. N. L. II.* 78.

f) *de rerum Natura L. VI. v.* 722. *it.* 1107.

cat, nec *Galenus* g) æſtu ambiente & calore interno foras verſo æthiopum cutem contaminari rectius definit, an ſatius erit, cum STRABONE *h*) σπερματικὴν διάθεσιν, vel cum HERODOTO *i*) genituram æthiopum nigram, reliquorum albam, pro cauſſa diſcrepantis coloris venditare? quod judicium jam *Ariſtoteles k*) erroris convicit. Eluere plenius hanc maculam Solis urentis viſus ſibi eſt *Oneſicritus l*), quod in ventre matris jam atreſcere fœtum doceret, quem Sol nondum attigit. At inter recentiores LABAT *m*) recens natos in æthiopia eundem ac albos colorem habere vel rubicundiorem, certe non nigrum, ut oculatus teſtis confirmat. Vix autem illos confutare operæ pretium eſt, qui ſignum *Caino* impreſſum, ne occideretur, putant nigritiam fuiſſe, nam hac infectam ejus progeniem cum univerſo orbe inundato interire oportuit. Ex his vero aquis ſuperſtitem unicum cum ſua domo *Noachum* fingunt æthiopes Marabæi ex filiis habuiſſe primum album, alterum fuſcum, tertium nigrum, qui deinde cum uxoribus ſui coloris tres hominum diverſe coloratorum claſſes propagaverint. Ludentis ingenii, nullo certe argumento nitentis, commentum hoc eſt, quemadmodum & illud alterum, *Chami* filium *Canaan* ab exſecratione *Noachi* atro correptum colore ſui ſimiles genuiſſe. Neque enim color ille Cananitarum fuit, neque iis, quos obfuſcavit, pro inauſpicato & piaculari habetur: potius in eo triumphant, & candorem averſantur. PECHLINUS *n*) in cute æthiopum fermentum ſibi concipit, quod cola-

g) *de temper. L. II. C. 6.*

h) *Geograph. L. 15.*

i) γένη μέλαινα ei dicitur *L. III. p. m. 200. n. 105.*

k) *de hiſt. anim. L. III. C. 22.*

l) apud *Strabonem l. c.*

m) v. *nouv. voyage aux Isle de l'Amerique T. II. C. 6. Afrique II. C.* 14. Fatetur tamen, quod incipiant poſt octo vel decem dies infuſcari. Idem ex *Purchaſii* itinere *Boyle* refert albos naſci, at calorem breui cum atro permutare, v. *Pechlin. l. c. C.* 17.

n) *Cl. c.* 8.

colatos ibidem ſuccos nigrore inficiat, uti vitriolum ſolutas gallas. Nec illas hodie ſecretionum provincias fermentis diſpertimur, nec patet, cuius fermentum illud genii ſit, & cur ſolis Nigritarum corporibus adſueſcat? Plus alii imaginationi vindicant, ex qua uti *Perſina* ad picturam *Andromedæ* albam prolem peperit *o*), ita nigram parere alia potuit ad atræ picturæ occurſum, cui conſtantior ejus cogitatio obhæſit. Satis ſcio, quantum ſit in hoc argumento, etiam fabulis exornando, elaboratum, ſed cur non tot ſeculis apud nos, qui a Solis propiori contactu removemur, ſimilis matrum imaginatio nigras familias condidit? Non unum imaginationis errorem, ſed ejus per multorum animos diffuſi conſenſum aliquem poſtulant, ut Natura quaſi tot ſuffragiis impulſa contextum *operis ſui immutet.* Nam macrocephali, qui generoſiores videri volebant, formabant olim manu & faſciis tenerum caput infantum, faſtigiata ſenſim oſſis frontalis compage, cum qua deinde conſuetudine viribus imaginationis adiuta Natura ipſo HIPPOCRATE iudice *p*) conſpiravit. Pedum tenuiorum formæ apud Sinenſes per ſimiles ſtricturas & interceptum alimenti liberum commeatum ars operam dedit, auſcultante ſenſim, ut aiunt, & imitante Natura. Ita in Nigritis tumentia labia, retuſas & hiantes nares, criſpatos capillorum flexus, & in cute colorem illum noctis, quippe de quibus omnibus tanquam magnis decoribus gens illa ſibi adplaudit, ars cœpit fortaſſis pariter tanquam formæ ornamenta fingere, Natura perfecit. Quid his omnibus veri vel fictitii ſubſit, in illa plerorumque interpretandi fingendique libidine nolim diſputare, nec tamen diſſimulo, ut in faſtigio illo capitis, tenuitate illa pedum, aliisque corporis partibus, ſimili fato ab arte corruptis, nihil veræ pulchritudinis ineſt, ita Naturæ conſtantiores mihi videri leges, quippe a ſumma ſapientia præſcriptas, quam ut tam facile illis humanæ imaginationis luſibus ſuccumbant. Ex dictis hoc elucet, inter coniecturas tam ambiguas illam, quæ Soli pluſculum tribuit, ut antiquiorem, ita ratio-

o) v. *Heliodor. Aethiopicor. L. IV. p. m.* 175. 176.
p) *de aëtib. aqu. & loc. Ed. Lind. V. I. p.* 348. *XXXV.*

rationibus ſuis inferiorem non eſſe. Nam quod albi inter nigros non nigreſcant, nigri inter albos non albeſcant, argumenti contra Solem parum continet, cui, qui primo ætatis decurſu color debetur, ille ut confirmatior haud facile hac regionum & vitæ permutatione deleri penitus poteſt. Neque vero largimur, coloris ſub uno cœlo nati mutationem ſub alio nullam eſſe. Pescennius *q*) vocabatur niger, quod dux Aegyptii limitis colorem cœli contraxiſſet. I. Mitchell *r*) Hiſpanos ait ſub Zona torrida æque fuscos eſſe quam Indos Virginiæ, Anglos per triennium, quo hic viuunt, non amplius niſi lingua diſcerni. Repugnat, inquies, nitor ille & humiditas cutis *s*), ut ex Sole nigreſcere dici poſſint, Verum ſpecta morem gentis, cui dies non tranſit ſine unctione, *non tantum oleo ſed adipe varii generis*, quo ita ſe imbuunt incolæ, ut inſtar ſpeculi nitescant: ne tangam ipſius regionis nocturno rore reficientis commoda. Ita igitur cutem ſub cœlo illo areſcentem molliunt, nigrorem quoque iſto unguine ad Solem atreſcente exaltant *t*). Pergis: ſi Solis hæc vis eſt, cur non idem ſub eodem Sole incolarum color? cur Indi, Aſiatici & Americani in eadem cum Aethiopibus Solis vicinia gradu nigroris differunt? Superius attigi, quid intendat actionem Solis ex varia indole ſubiectarum regionum, ſi planæ, ſabuloſæ, plantis, arboribus, aquis deſtitutæ ſint. Addo diverſas vivendi leges, dum alii

q) v. *Salmaſ. not. in ſcript. Aug. hiſt. p.* 156. Hic *Peſcennius* fuit teſte *Spartiano*, qui ſibi nunquam vel contra Solem vel imbres quæſivit tecti ſuffragium. Rex Thebaeorum ex thebacio marmore nigrum Peſcennio ſimulacrum dicans verba ſubiecit:

nigrum nomen habet, nigrum formauimus ipſi.

r) in noviſſima obſervatione paulo inferius commemoranda.

s) Corpus mollitiei bombycinæ, tumens & pingue, quale *Iuvenalis* in Meroiticis nutricibus venuſte exprimit. tribuens iis *majorem infante papillam.* Canibus iſtis Afris & inſulanis depilibus, ut ex inſula S. Thomæ, idem ſtatus eſt.

t) v. *Iſ. Voſſium de Nili & al. flum. Orig. C.* 19. *p.* 68. Leucoæthiopes vocat, quibus exaruit cutis, id quod ſedulo cauent æthiopes reliqui adſidua unctione.

alii contra vim Solis ſe veſtibus defendunt, ad latibula ædium confugiunt, vel balneis utuntur, alii abjectis veſtibus neglectisve ædibus nudi unctique Solis vires conſtantius ſuſtinent. Exiſtimat I. MITCHELL *u*), albos nigrosque a colore communis parentis gradibus oppoſitis degeneraſſe. Iudicat epidermidem, quæ in Europeis tenera eſt & translucens æque ac reticulum in nigris ſoliditatem quandam & craſſitiem adipiſci, aquoſis calore diſſipatis oleoſa abundare, quæ plus refringunt & magna parte intercipiunt radios cum effectu nigroris. Ut ex quæſtione paulo diutius protracta nunc paucis me expediam, vix Soli dubito hujus nigroris primas tribuere, aliis cauſſis ſecundas. Cum conſtet atrum colorem exſtingui paulatim, nigrum cum candida leucophæum, hunc cum candida candidiorem ſobolem gignere, donec ſenſim color ille in primis ſub mitiori cœlo exſpiret; quidni viciſſim credamus, colorem atrum, ſi his gradibus exſtinguitur, contrariis natum eſſe. Pone hominem inter illos, quos propior Sol obfuſcat, ex vitæ ſuæ genere fuſciorem cum puella, quæ pariter dicere potuit: (μελαινά εἰμι ἐγώ, ὅτι περιέβλεψέν με ὁ ἥλιος *x*), fuſciorem prolem generaſſe, hinc propagines novas, ſui coloris inter ſimilia connubia vindices, ſub torrentis cœli perpetuo adſpectu, & conſervatis iisdem vivendi legibus, ſolliciteque vitata aliarum gentium & connubiorum mixtura habitum corporis confirmaſſe, avitæ deinde indolis & gentilitii coloris etiam ſub blandiori cœlo diu tenacem, ſenſim tamen elangueſcentem.

§. XII.

u) v. *philoſ. transact.* 1744. *n.* 474. *Art. IV.* vel recenſ. in *Bibl. raiſon.* 1747. T. 38. *P. I. p.* 177. ubi *John Mitchell* medicus Anglus in Virginia nigrorum corporibus iterato inciſis cauſſam coloris in ſtructura cutis reperiſſe ſibi videtur, & præmiſſa colorum theoria ex *Newtoni Optic. L. II. P. III. propoſ. VIII. & X.* gradus colorum, quibus corpora humana ab albore ad nigrorem deflectunt, ex gradibus denſioris ſolidiorisque texturæ & opacitatis, per calorem natæ, in epidermide reticulo & cute derivat.

x) *Cantic. Canticor. C. I.* 5.

§. XII.

Remedia adnectere, quæ illas inſolationis noxas eluant, animus non eſt: nam morbis oppido multis, quibus abunde in propriis claſſibus proſpicitur, occurrendum eſſet. Ars tamen tranſitum in hos morbos inter prima molimina præcavet, maxime balneorum. CELSUS *y*), ſi quis exuſtus eſt Sole, ei protinus in balneum eundum eſſe docet, GALENUS *z*) poſt itinera in Sole fervente nil balneis potius habet. Ex ejus judicio, ſi talis non lavatur, mox febre laborabit, certe capite: ſi opportune lavatur, licet lingua, fauces & totum corpus aruerint inſtar ſtipulæ, calorem, ſitim, loquelæ difficultatem & ſimilia induxerint, tamen egreſſus balneo plerumque cito ſentiet expediri linguam, ſitim, calorem, ſiccitatem levari. Nec proinde eos reprehendit, qui valentes & adſueti ipſo Naturae impulſu in ſtagna & flumina ſe tunc coniiciunt. Et quid hoſpitalitas veterum, advenas ex itinere in calidis locis ſuſcipiens, prius præbuit quam lavacra pedum? Nec adſpernor prophylacticum illud *Eraſiſtrati a*), qui eorum, quos Solem tolerare oportet, capitibus ſpongiam latam, denſam, cavam, aqua imbutam & probe expreſſam imponi iubet. Apud DIOSCORIDEM *b*) crudum albumen ovi faciem a Sole aduſtam tuetur. PLINIUS *c*) ſevum aſininum vel bubulum cum roſaceo ex veterum diſciplina præſcribit. Certum eſt, faciem illitam Sole minus aduri. Unctionis in principio locum GALENUS *d*) circa ſynciput aptiſſimum cenſet, quod ibi ob laxitatem me-

y) *de Med. L.* I. *c.* 3.

z) *de marcore c.* 6. & in primis *c.* 10. *Meth. Med. in Cl. VII. p.* 66. *A.*

a) v. *Galen. de comp. pharm. ſec. L. II. Cl. V. p.* 132. *H.*

b) προσωπά τε ἀνεπίκαυας τηρεῖ *Op. L. II. c.* 55.

c) *H. N. L. XXVIII.* 62. *p. m.* 480.

d) *Galen. de Comp. Pharm. ſec. Loc. L. II. Cl. V. p.* 132. *C. D.* Ipſe nunc frigidam aquam, nunc bulbum candidum ex melle, nunc rubiam tritam ex oleo laudat.

medicamina promptius distribuantur, quam ad occiput, quod nec exuritur facile nec refrigerantia sustinet. In dolore capitis ex Sole urente succum centauriæ cum aceto illini idem imperat, vel potius auctor, quisquis est, libri spurii de centauria *e*). Optime sibi prospiciunt, quibus illa corporis in Sole excoquendi cura, quam SENECA *f*) damnat, non in voluptatem vertitur, nec limites salubritatis excedit.

e) *L. Spur. p. m.* 98. 8.

f) *de breu. vit. c.* 13. *p. m.* 508.

DISSERTATIO
DE
NATURA MORBORUM PER MORBOS VICTRICE,
PUBLICE PROPOSITA
GOTTINGÆ, D. 31 AUG. 1747.
RESP.
JO. EBERH. WEHRKAMP,
OSNABRUGENSI.

§. I.

Omnem ſine diſcrimine morbum in primo ortu profligare, antequam certis conſtet indiciis, quid ille moliatur, quibus armis & quo ſucceſſu pugnet? temeritatis potius quam prudentiæ medicæ conſilium eſt. Sunt enim morbi, qui omni medicina efficacius graviſſima & inveterata mala expugnant, hinc, quoties tempeſtive naſcuntur, tanquam vindices adflictæ valetudinis excipiendi, quin &, ſi in poteſtate noſtra ſitum ſit, per artem ad ferendas ſuppetias excitandi. His, qui illibata ſanitate fruuntur, merito ſuſpectum videtur hoſtile illud medendi genus, at plerorumque vel titubans valetudo vel plurimis dudum iniuriis concuſſa Naturam ipſam ſentit mira ſolertia in eo occupatam, ut infeſtas morborum vires pro ſalute corporis inter ſe committat. Igitur non tam morborum quam Naturæ,

cujus

cujus medicatricem virtutem HIPPOCRATES *a*) extollit, hæc gloria eſt. Licet enim morbi cauſſa adverſetur corpori, ipſe tamen morbus, ut cum TH. SYDENHAMO *b*) loquar, eſt conamen Naturæ, quo morboſum exterminare in ægri ſalutem nititur: quod & conamen artis eſſe debet Naturam imitantis & inter morbos tempeſtive motos ſanantis.

§. II.

Cum remedii nomen mereatur, quidquid morboſum corpus in ſolidis & fluidis mutat ſalubriter, hoc eſt, læſas exercendarum functionum conditiones reſtituit, non poteſt eius actio niſi ab ipſo motu vitali ad loca adfecta determinante exſurgere, qui motus

a) *Epid. L. 6. Edit. Lind. T. 1. p. 809. S. V. 1. νόσων φύσιες ἰητροὶ.* Quam ſententiam *Hippocratis* ut ſolidam & inconcuſſam arti medicæ baſin ſubſterni *Th. Sydenham* cenſet in *præf. op. Edit. Leyd.* 1741. *p.* 19. Eadem verba majeſtate *Hippocratis* digniſſima *Foeſius* adpellat & ſic vertit: *morbis Naturæ medentur*: *Cornarius* ſimplicius ita: *morborum Naturæ medici.* Videtur hic magis morborum, ille Naturæ vim ſalutartem reſpexiſſe, debetur vero utrisque, huic ut cauſſæ, illis ut inſtrumentis. *H. Smetius* in *miſc. med. L. 7. Ep. 1. p.* 325. ex inſtituto tractat hunc locum *Hippocratis*, in eo maxime occupatus, ut inde, quod Natura medeatur, neget concluſionem fieri poſſe, quod artis nulla poteſtas ſit. Hæc eius diſquiſitio in cenſuram *Eraſti* præceptoris miſſa adparuit deinde in poſthumis huius viri vivente *Smetio*. Ceterum in hoc noſtro argumento multi alii, quorum non unus ſcopus fuit, elaborarunt. Legi præ ceteris merentur celebres viri: *G. W. Wedelius de natura morborum medica* in *exerc. med. philol.* 10. *Cent.* 1. *D.* 5. *p.* 50. *Frid. Schraderus in diſp. de ſalubritate quorundam morborum* Reſp. *D. v. Cramer* Helmſtad. 1692. *Mich. Alberti in variis diſput. ut de ſalubritate morborum, de arte ſanandi per morbum, de Natura morborum medicatrice, A. Brendelius an & quomodo morbi curentur per morbum arte introductum* Reſp. *J. G. Reiche* Vitteb. *J. O. Schacht in orat. de morborum in ſanandis morbis efficacia* Ultrai. 1733. *G. E. Hambergerus de morborum per morbos curatione* Reſp. *J. Schumm.* Ienæ 1746. *L. F. Hornung de morbis morborum remediis* Altorf. 1708. & paſſim alii.

b) *Op. p.* 37.

tus ex ipſa fabrica *c*) corporis excitatus & in ſolo fluidorum impulſu & vaſorum renixu poſitus coquit expellitque nata morborum ſemina. Hæc ſunt illa Naturæ arma, quibus ſapientiſſima conditoris voluntas corpus noſtrum in ſui tutelam contra quasvis morborum cauſſas inſtruxit, ſine his nulla artis & remediorum poteſtas eſt. *d*) Quemadmodum vero illa Naturæ actio quamdiu cuſtodem agit præſentis ſanitatis, inter æquabiles ac placidas motuum ſuorum exercitationes cruda coquit, reficit attrita, expellit noxia, ita inter vindicias labefactatæ valetudinis quaſi offenſæ memor, a miti genio ſuo deflectens contra morbos intenſiori virtute, & quodam velut bello adparatu, & lecto ex ipſis hoſtium caſtris milite inſurgit. Quis non videt in acutis pulſum vibrare vehementius, ſanguinem fervere, turbari omnia? Hæc ipſa vero virtus Naturæ eſt, quæ alienum & crudum ſic potentius ſubigit & ſuis nocendi viribus exuit, vel ſi exuere penitus non poteſt, ne novas turbas moliatur, tanquam indignum arvis ſuis colonum variis viis inter critica, ut vocant, molimina expellit. Nec in chronicis ortos fluctus fallaci lenitate componit, ſed inter turbas licet minus vehementes reparat ſalutem, nunc ſiſtendo diuturnum alui fluxum ſpontaneo vomitu, nunc inveteratam cephalal-

c) Hinc Natura *Hippocrati* ἀπαίδευτος dicitur, vel ut ibidem loquitur, ἐ μαθέσα τὰ δέοντα ποιέει l. c. p. 809. S. V. 4. *In libello de alim.* φύσιες πάντων ἀδίδακτοι audiunt Op. T. 1. p. 597. S. VIII. 8. Id quod non obſcure probat, naturales cauſſas ſecundum ſententiam *Hippocratis* non agere ex conſilio & arbitrio, quippe diſciplinæ expertes, ſed ex neceſſitate, quæ fabricæ legibus, divina ſapientia ſancitis, propius convenit. Hinc etiam *Hippocrati* φύσις ἰητρικὴ dicitur αὐτομάτη *de diaet.* L. 1. 14. 3. Op. T. 1. p. 192. *Conf. Th. Sydenh. op. p.* 129. *licet* inquit *cauſſæ brutæ ſint & omni conſilio deſtitutæ, non tamen ſine ſummo conſilio reguntur.*

d) Cantharides fermento ſubactæ nil mutant in cadavere, ſed illi tanquam ſilici incumbunt, elaterium, quod alui laticem in viventibus tanto impetu movebat, ne guttulam quidem in defunctis exprimit: adeo manifeſtum eſt potentiſſima per ſe remedia non niſi a motu vitali ad amicam vel noxiam corporis actionem determinari.

phalalgiam fluxu cruento vel purulento aurium nariumque ſolvendo, ubivis vero morbos, quos nusquam non reperit, cum totus homo morbus ſit, per mutuum inter ſe conflictum conficiendo. Plebis eſt, numerare morbos, qui ſtragem edunt, prudentiorum, attendere ad illos, qui majus poſt ſe valetudinis robur relinquunt.

§. III.

Hanc normam Naturæ, a morbis arma contra morbos proſpero ſucceſſu petentis, indubitatæ fidei exemplis, primum a febre petitis, tanquam omnium frequentiſſimo morbo illuſtrabimus. Haud temere Fr. Roncallus *e)* febrile incendium viam plerumque ad ſalutem eſſe ait. *Mirum non eſt, tot auctores eam ſua indole ſalutarem adpellaſſe f), immo ſuaſiſſe veteres recentioresve, ut in multis morbis chronicis excitaretur.* Etſi tertia pars hominum facile febre occumbit, ſic tamen occumbere honeſtius, & velut inter vindicias ſuas, licet fruſtra tentatas, dixeris. Quid enim tandem remedii contra ultimam fati neceſſitatem ſufficit? Illos fortaſſis non magis febris, quam milites ſaucios & hoſtili vi oppreſſos ſcutum & ferrum, quod ſemianimes adhuc ad vitæ defenſionem in manu geſtant, videri poteſt interemiſſe. Ita vero nolim huius laudis *nullos adgnoſcere limites*, nec diſſimulare noxas, quas ferocior vis febrilis *in ſumma internorum viſcerum* corruptela producit. Sufficit, certiſſimum eſſe, vix morbum alicuius momenti reperiri, qui non a congruente febris orientis gradu medelam acceperit. Quot homines ſine omni ope medica evaſerunt non ſolum ex *febre*, ſed & *iis ſimul malis*, quibus antea per plurimos annos laborarunt? Quot non peſſime ſe habuerunt

ſup-

e) v. hiſt. med. morb. p. 29.

f) *Th. Sydenham nunc vocat Naturæ inſtrumentam, quo partes impuras ab impuris ſecernit, hiſt. morb. acut. S. 1. c. 4. p. 62. nunc machinam Naturæ ad diffiandа ea, ſanguinem quæ male habent S. 3. C. 3. p. 165. conf. diff. ep. p. 363. ubi ſolemnem Naturæ machinam vocat, tum in præparanda tum in eliminanda materia quavis corpori inimica, & ſic multis aliis in locis.*

ſuppreſſa febre, nec niſi ea iterum ingruente convaluerunt? Ideo TH. CAMPANELLA *g*) credit, nullam febrem morbum eſſe ſed remedium contra morbos, & G. D. COSCHWITIUS *h*) paradoxon ait, attamen veriſſimum, febrem non eſſe morbum. Iuſtius paullo & limitatius JAC. PRIMEROSIUS *i*) vulgari Anglorum proverbio adſentitur, vernalem febrem medicinam rege dignam eſſe. Præſtat hic limpidos fontes Hippocraticæ experientiæ conſulere, quos noſtra etiam ætas reverenter habet. Immunes *k*) hic dictator artis a magnis morbis declarat, quos quartana corripit, vel ſi jam morbis illis laborant, hac ſuperveniente liberari. Febrem convulſiones ſolvere aut diſtentiones nervorum, variis locis docet. *l*) Nunc apoplexiam intra ſeptem dies occidere ait, niſi febris ſupervenerit, *m*) nunc ebrium repente obmuteſcentem convulſum interire, niſi febris naſcaitur, *n*) nunc lippientem *o*) ad exortum ejus evadere, nunc ad eundem dolores

g) *Medicinal. L. 7. C. 2. art. 1. p. m. 603.* concludit omnem febrem ſymptomaticam eſſe, excepta forſan ſola, quæ ex ira naſcitur, hinc etiam concludit, nullam febrem per ſe vel ſimplicem vel putridam vel peſtilentem eſſe, ſed ejus cauſſas hoc nomine inſigniendas.

h) *v. Pathol. P. 1. C. 2. §. 3. ſchol. p. 8. it. P. 2. C. 9. §. 1. ſchol. p. 297.*

i) *de error. vulg. L. 2. C. 31. p. m. 174.* refert inter populi ſententias, quæ etſi ſæpe veræ non ſunt, conſiderari tamen merentur.

k) *Hipp. Epid. L. 6, S. VI. 16. T. 1. p. 812.* confer quartanæ laudes *in A. Gellii noct. L. 17. C. 12.* ubi biduo medio intervallatam febrem ſic conſiderat, ut ſint μία μητρυιὰ δύο μητέρες, una nouerca duæ matres. Addit ex *Platone*, qui quartanam paſſus convaluerit, fidelius conſtantiusque poſtea valiturum. Nefas eſt ſcandala adpellare quartanas, quæ tantum præſidii promittunt.

l) acutam ſolvere convulſionem *v. T. 1. p. 554. III. 84.* febrem repentinas convulſiones tollere ib III. 86. convulſiones aut diſtentiones nervorum terminare *p. 87. LVII. 1.*

m) *S. VI. Aph. 51.* quamvis in illo §. tantum de ſanis dicatur, qui dolore capitis repente correpti in aphoniam & ſtertorem incidunt, recte tamen ad illa H. *Mercurialis* monet: *non eſt dubium, quod ſit apoplexia. vid. præl. Patav. p. m. 694.*

n) *S. V. Aph. 5.*

o) *T. 1. p. 541. Coac. II. 130.*

res circa hepar *p*) ſolvi, ſecurus præſagiorum ſuorum notat. CELSUS, *q*) dnm mirum videri poſſe ait, quod febris toties præſidio ſit, paucis complectitur Hippocraticas illas opportunitates. Quæ PLATO *r*) olim de rigore nervorum febre diſcuſſo, GALENUS *s*) de morbo comitiali ad quartanæ ortum evaneſcente, & alii antiquitatis ſcriptores de aliis febrium commodis miro conſenſu enarrant, recentiorum quoque obſervatis cumulatiſſime illuſtrantur. In apoplexia, catalepſi, paralyſi febrem commode ſupervenire, maxime in mania tertianam vel quartanam, docet H. BOERHAAVIUS *t*). Ita TH. BARTHOLINUS *u*) epilepſiam puellæ a febre penitus depulſam, T. F. PAULI *x*) paralyſin manuum a tertiana ſublatam, P. ROMMELIUS *y*) fluxum menſtruum immodicum ab eadem repreſſum commemorant. C. F. PAULLINI *z*) adoleſcentem Norwagum a teneris mutum anno ætatis decimo ſexto ope febris ardentis loquelam recuperaſſe, M. B. VALENTINI *a*) eadem febre hecticam a tertiana male tractata ortam ceſſiſſe, L. SCHROECKIUS *b*) iuvenem a conjugio mox conſummando, ob impotentiam, quam ipſe in ſe deprehendit, retractum ſimili febre nativo robori reſtitutum ex alia deinceps conjuge, cum prior ſponſa abnueret

p) *S. VII. Aph.* 52.
q) *medic. L.* 2. *c.* 8.
r) *in Timaeo.*
s) *in L.* 1. *Epid. Hipp. comm. III. ad Iuntin. Cl.* 3. *p.* 118. H. it. *in L.* 6. *Epid. comm.* 6. *p.* 197. *D.*
t) *in Aph.* 1017. 1042. 1064. *&* 1124.
u) *Cent.* 2. *Obſ. anat. med.* 68. Memorat etiam *I. Lanzonus* epilepſiæ viri illuſtris per ſupervenientem quartanam ſublatæ *in Eph. N. C. D.* 3. *A.* 3. *O.* 30. *p.* 34. nec minus *Ph. Salmuth* O. 84. Cent. 2. p. m. 101. fic *G. Ph. Nenter ex Chesneau*, longam febrem ut quartanam in epilepſia laudat. *v. fund. med. T.* 2. *Tab.* 115. *p.* 381.
x) *Act. Eph. N. C. vol. V. O.* 64. *p.* 244.
y) *Eph. N. C. D.* 2. *A.* 7. *O.* 213. *p.* 399.
z) ib. *A.* 5. *App. p. O.* 31. 48. Simile præſtitit quilibet motus concitatior animi, qualis *Croeſi* filium viſo parentis periculo vocalem reddidit, & *Aeglen* athletam Samium, cum præmium victoriæ ei eripere vellent.
a) ib. *A.* 2. *O.* 166. *p.* 377.
b) ib. *D.* 1. *A.* 3. *O.* 78. *p.* 130.

ret, lætam prolem genuiſſe, immo R. LENTILIUS *c*) paſtorem, verba interdum in iuſta ſerie collocare impotem, febre continua maligna ad juſtiorem ſermonis uſum rediiſſe, litterarum monumentis conſignarunt. His adde I. G. HOYERUM, *d*) qui cauponis aphoniam periodicam pariter febris malignæ ope victam vidit, & epilepſiam *e*) pueri chronicam eadem orta ceſſuram præſagivit. Vix tamen malignis multum ſalubritatis tribuendum, nec placet I. L. HANNEMANNI *f*) obſervatio, puerum gravi calculo laborantem & peſte mox correptum, hac ſanata etiam ab illo nihil amplius moleſtiæ habuiſſe. Putat tamen TH. BARTHOLINUS *g*) febrem peſtilentialem materiam calculi in molliori illa ætate abſumere potuiſſe. In qua varia ſalutarium febrium ſcena plus plerumque ſpei in intermittentium, plus curæ & ſollicitudinis in acutarum ortu concipimus, ad malignas etiam trepidamus. Minus tamen inter hæc fluctuat, qui rebellem materiæ morboſæ genium viresque vitæ & febris inter ſe comparare ex ſignis non fallacibus didicit. In nulla re plus meruit in medicina HIPPOCRATES, quam ea tradens, quæ medico incumbunt, ſi febris mitior non ſuperet vitium, violentior etiam augeat. Sapiens eſt, qui hoc auxilium Naturæ ita dirigit, ut coctioni & expulſioni morboſi ſine labe viſcerum ſufficiat. Aeque dicendus eſt iugulare ægrum, qui exſtinguit febrem, quam qui magis accendit, ibi inexpugnabiles per totam vitam morbi chronici non ſubtracto ſatis fomite oriuntur, hic intenſior motus diſſipat liquida, reliqua inſpiſſat & ruptis vaſis effuſisque liquidis in gangrænam & ſphacelum præcipitat. Antequam penitus egredior e conſpectu febrium ſalutarium, medelam inde vulnerum exſpectandam non ſicco penitus pede præterire poſſum. Cum unicum remedium ſit vulnerum pus, quo impuris & alienis ſeparatis amiſſorum iactura reſtituitur, palam eſt, hoc ſcopo ſine febre nos nunquam po-

c) ib. D. 3. A. 5. & 6. App. p. 109. quod ad anaudiam ut ſpeciem refert.
d) ib. D. 2. A. 9. O. 179. p. 345.
e) ib. D. 3. A. 7. 8. O. 179. p. 298.
f) loco ſubjecto Act. Hafn.
g) Act. med. & philoſ. Hafn. Vol. 2. O. 102. p. 249.

potiri, quippe ſub cujus inſurgentis calore pus excoquitur. Hinc antequam gignitur, labia rubere & inflammari, vulnus æſtuare, ſitim creſcere obſervamus, at pure per ipſam febrem nato ſcimus non amplius cohærere vivis connexa mortua, & fabricam ſub pure novam emergentium vaſorum fieri. *b*) Quemadmodum vero ſuppuratio inter ſalutares morbos pertinet, ſic chirurgorum totum armamentarium, cultros, ſerras, terebras aliaque, nunc in exſcindendo cancro, nunc cavo abdominis vel pectoris vel cranii perforando, nunc aliis violentis miniſteriis occupari videmus, ſcopo quidem inſtaurandæ valetudinis, verum inter novas noxas & læſiones, quæ ſtatum præternaturalem corporis, id eſt, morboſum ad tempus augent.

§. IV.

In chronicis haud otioſior adparet ille genius Naturæ per morbos medicatricis. Vomitus ſub ingreſſu noxiorum in corpus humanum quaſi cuſtos in limine vigilat. Ingens illud Naturæ præſidium eſt, protinus in primis viis deprehendi hoſtem & propriis armis confici, id eſt, ea vi, qua irritat, expelli. Ita ſaburram ex vitio coctionis vel aliunde natam ſenſus ventriculi proſpero vomitu expurgat, *voracium exemplo, quos, ut verbis utar I. N.* Pechlini *i*), bene vomitus ulciſcitur, cumque magno corporis commodo incocta & ſemeſa ſtatim remittit. In febribus

b) *Conf. diſſ.* I. H. *Schultzii de mechanico naturæ medicatricis in vulneribus perſanandis artificio, reſp. S. Schaffner Hal.* 1735.

i) v. Obſ. med. L. 1. O. 48. p. 113. *Adeo* inquit: *nonnullis in magno habendum eſt illud Naturæ beneficium, ad nimiam victus ſaburram vomitu ſeſe vindicantis. & revera redeunte in orbem hunc labore fere quotidiano multi vitam diutius toleravere.* Addit, feminam ſe vidiſſe triginta annis cum hoc incommodo conflictatam, donec ex ileo obierit. *P. Borellus* vomitum viginti annorum *Cent.* 1. *O.* 53. *Gu. F. Hildanus* vomitum quotidianum plusquam triginta annorum *Cent.* 4. *O.* 32. adnotarunt.

bus intermittentibus MICH. ETTMULLERUS *k*) raro aliquid ſalubrius quam vomitum cenſet, & I. M. LANCISIUS *l*) in febrium epidemicarum initio idem adſtruens rationem ſubnectit, quod prima labes ſalivæ impreſſa & ad ventriculum detruſa prius hac ope eliminetur, quam ſanguinem inquinet. Neque F. HOFFMANNUS *m*) male monet, natum in principio febris exanthematicæ vomitum ipſa arte ſuſtentandum eſſe, quandoquidem poſt primas vias ab irritante ſtimulo liberatas exanthema promtius in cutem emergat. Sane ſi morboſum hæret in ventriculo, vel facile in illum adſcendit, ſimulque ejusmodi eſt, quod mobile & libere fluctuans per anguſtias œſophagi commode eniti poteſt, velut ciborum indigeſtæ reliquiæ, cruditates pituitoſæ & bilioſæ, vermes ac venena multa, dubium non eſt, vomitum, licet in ſe morboſum ſymptoma ſit, prodeſſe. Nihil enim hic eſt, quod non magno levamento nec minori medelæ compendio ore reiiciatur, tanquam naſcentis morbi alimentum, vix interdum lentæ correctionis per alia remedia capax. Speciatim HIPPOCRATES vomitum in vinoſis *n*) ſedare prohibet, eumque in longis alui profluuiis *o*) & fluxione capitis *p*) ſalutarem cenſet. NIC. FONTANUS *q*) in fame canina, I. G. H. KRAMERUS *r*) in dyſenteria, I. N. PECHLINUS *s*) in nauſea hominum cholericorum & iracun-

k) *Op. med. Prax. L. 4. S. 15. C. 2. O. 3.* Ex teſtimonio *G. C. Petri ab Hartenfels* ſolus adſpectus emetici inter enormes vomitus bilioſos tertianam diſcuſſit. *v. Eph. N. C. Cent. 1. O. 36. p.* 103.

l) *de nox. palud. effluu. L. 2. Epid. 5. C. 2. p.* 343.

m) *Med. Syſt. T. 4. P. 1. p.* 182. *it. p.* 280.

n) *de loc. in hom. T. 1. p.* 390. *XLV.* 7.

o) *de diæt 2. Op. T. 1. p.* 232. *XXXVI.* 15. *ventrem compactum vomitus ſoluit.* idem habet *de morb. 1. Op. T. 2. p. 8. VI.* 10. *it. S. VI Aph.* 15.

p) *de loc. in hom. v. Op. T. 1. p.* 391. *XLVII.* 2. *fluxione ex capite fluente vomitus conducit.*

q) *Reſp. & cur. med. L. 1. p.* 74.

r) *Med. caſtr. app. de dyſent.*

iracundorum, MART. RULANDUS *t*) in lue Hungarica laudant requiruntque vomitum. Non minus I. *de* MURALTO *u*) cephalalgiam periodicam eo ſolutam vidit, I. IAC. NEUHOLT *x*) immanem dolorem dentium momento citius a vomitu ſedatum deſcribit, & TH. WILLISIUS *y*) vertiginoſos non raro vomere & optime per emeticum ſanari docet. In quibus omnibus conjecturæ locus eſt, gravari ventriculum infeſta mole, & hac eiecta pacem remotioribus corporis partibus, quæ domeſtico vitio laborare ignaris videbantur, plerumque reſtitui. Quæ omnia magis confirmat oppoſitus ſtatus ſuppreſſi vomitus. I. FERNELIUS *z*) plethoricum nominat ex febre & paralyſi pereuntem, cum bilioſus vomitus ei familiaris ſiſteretur. ZACUTUS LUSITANUS *a*) virum exhibet *ſingulis menſibus atræ bilis vomitu* vexatum & ſumtis adſtringentibus ſæva cephalalgia laborantem, qui reſtituto vomitu ſanus vegetusque ad ultimam ætatis metam perſtitit. HIPPOCRATICUM *b*) illud: vomitum vomitu ſedari, manifeſte vomitum ut medicinam conſiderat, tunc ubi viſcidum aut putre in ventriculo oberrans ſtimulis ſuis ſpontaneos parit vomitus, non facile quieturos niſi conſumta cauſſa, hinc ipſis interdum emeticis magis provocandos. Ceterum medicus reſpicit, quam vim

s) *Obſ. phyſ. med.* L. 1. O. 41. p. 113.
t) *Cap. VII. p.* 8.
u) *Eph. N. C. D.* 2. *A.* 8. *O.* 12. *p.* 47.
x) *Obſ. pathol. therap. O.* 5.
y) *de anim. brut. P.* 2. *p.* 383.
z) *Pathol. L.* 4.
a) *Prax. admir. L.* 2. *C.* 13.
b) *de loc. in hom. Op. T.* 1. *p.* 395. *LI.* 19. Videtur illud ſententiæ Hippocraticæ repugnare, ſecundum quam *L. de flat. Op. T.* 1. *p.* 404. *II.* 15. contraria contrariis ſanantur, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν ἰήματα, vel ut alio loco ſe explicat, *Epid.* 6. *T.* 1. *p.* 810. *V.* 12. *ſanatio eſt* ἀντινοεῖν, μὴ ὁμονοεῖν τῷ πάθει. Verum & hic morbo perfecte oppoſita medela eſt, cum ſaburræ ventriculi ad crebros vomitus impellenti magis oppoſitum nihil ſit, quam emeticum, quod illam totam exturbat, & ſic ſublato irritamento vomitum ſiſtit.

vim vomitus ferant vires & conditio ægri, nec facile interrumpit uſum, niſi mala ſymptomata ſileant, maxime ubi coctioni rebelle magis eſt, quod ſubit ventriculum, ut in venenis & miaſmate contagioſo adparet. Minime vero vomitus ſalubritatem ad ſtatum ventriculi aut vicinorum viſcerum inflammatum vel ſuppuratum vel ſcirrhoſum ſimilemue extendimus. *c*) Si N. G. BECKERS *d*) curatam vomitu purulento hepatitidem notat, vel alii non diſſimilia, largimur in tam raris Naturæ ſucceſſibus, modo non ipſa obſervatorum fides laboret, parum eſſe ſpei ac præſidii. Plus interdum ſperaverim de ipſo vomitu cruento, qualem femina apud IOACH. CAMERARIUM *e*) quotannis experta ætatem attigit *nonaginta* ac ſex annorum. MICH. ALBERTI *f*) feminam deſcribit inter graviſſima mala jam ipſa tabe confectam, at vomitu cruento liberatam, qui dum crebro ſuppreſſis menſibus debetur, a metuendis horum noxis inſuetæ excretionis beneficio vindicat. Fatemur, hæc aliena loca non ubivis congruere, nec peccare ſemper artem, quæ ab illis retrahit: nihilominus Naturæ, quippe vias, per quas opportunius excernit, optime tenenti in molliori in primis vaſorum contextu vomitus ille ſæpius bene ceſſit. Quid quod HIPPOCRATES, qui calamitoſum pronunciavit, ſi ſanguis per ſuperiora eruperit, *g*) alio loco ſanguinis vomi-

c) Limitat ſalubritatem hæc regula: prodeſſe vomitum, ſi cum eo cauſſa ejus eiici poſſit. Ergo nocet, ſi in membranis vel ſubſtantia ventriculi morboſum latet, ſi inflammationes, abſceſſus, ſcirrhi ſimiliaque mala vel ventriculum aut vicina adfligunt, vel ſi a capite læſo, vectionibus marinis ſimilibusque ſubvertitur ventriculus ſine expulſione noxii. In ſuppreſſione menſium & hæmorrhoidum, depreſſione cartilaginis enſiformis, retroceſſione exanthematum pariter nihil ſolidæ ſpei in vomitu eſſe poteſt. Addunt maxime ſtatum graviditatis ſed adultæ, non enim citra rationem *F. Schraderus* gravidas primis geſtationis menſibus vomentes minus deinde incommodi in puerperio ſentire ſcribit. *v. diſſ. de ſalubr. quor. morb.* §. X.

d) *Eph N. C. D.* 1. *A.* 8. *O.* 74. *p.* 121.

e) Obſ. 155. *Schenckius* comparat locum *Plinii* in *Hiſt. nat. L. XI. c.* 38.

f) *v. diſſ. de ſalubr. morb.* § X. *p.* 28. conf. *Ph. Hoechſtetteri Dec.* 2. *Caſ.* 5.

g) *S. IV. Aph.* 37.

vomitum ſine febre ipſe ſalutarem adgnoſcit. *h*) G. C. Schelhammerus *i*) viri meminit, qui tumente ad externum ſenſum ſiniſtro latere mox effuſam in ventriculum ſanguinis copiam aliquando ad quatuor vel quinque libras evomuit, iterum per intervalla collectam. Bene hinc Th. Bartholinus *k*) monet, carere vomitum cruentum periculo, præſertim tumido ſplene, ipſe ſexagenarium citat, qui ſtatis vicibus per triginta annos ſanguinem a liene reiecit, ſique aliquando ſubſtitit, vitæ ſuæ & incolumitati timuit. Vidit quoque Praeses in virgine nobili ſplenetica cœnobii Preezenſis vomitum ſimilem cruentum, qui intra horas viginti ultra menſuras aliquot cum inſigni levamine ægræ, quæ ex judicio omnium inter ipſos vomendi nixus & lipothymias peritura *videbatur, egeſſit.* *In ipſa gravida a primo* conceptionis menſe ad ultimum ſingulis diebus vomitum ſanguinis, nunc floridi nunc coagulati, ſæpe copioſi, at pariter innoxium notat Beni. Scharffius. *l*)

§. V.

Facta vomitus cruenti tanquam ſalutaris mentione, non poſſum, quin *de ſanguine* aliis viis elabente, etiamſi ſiniſtri ominis videatur, idem ſentiam. *Triſte nomen eſt hæmoptyſis, quam* ſæpe phthiſis inter ſtrages multorum *e veſtigio ſequitur.* *At ſuo* jam tempore Avicenna *m*) monuit, non omne ſputum ſanguinis formidandum eſſe, idque in proprio corpore expertus eſt Lud. *Duretus.* *n*) Inconſiderate agunt iudice N. Tul-

h) *S. VII. Aph.* 37.
i) *Eph. N. C. D.* 2. *A.* 7. *O.* 199. *p.* 376.
k) *hiſt. anat. Cent.* 3. *hiſt.* 36. *p.* 75. 76.
l) *Eph. N. C. D.* 1. A. 9. 10. *O.* 6. *p.* 43. Immo *C. B. Behrens* hæmoptyſin leſuitae intra triduum triginta fere libras ſuperaſſe, nulla poſt ſe phthiſi relicta ſcribit *v. Eph. N. C. C. V. VI. O.* 93. *p.* 172.
m) *fen.* 10. *l.* 3. *tr.* 3. *c.* 4.
n) *Comm. in Coac. Hipp.* 46. *p. m.* 289. Ait, hæmoptyſin loco hæmorrhagiæ narium ſibi olim familiaris ſucceſſiſſe, idque ſæpe & multum, ut ſanguis nullam offenſionem partis reliquerit, qua curſum inflexit, præter corporis infirmitatem.

TULPIO, *o)* qui præpropere animos profternunt ſanguinem exſpuentium, inter quos pictorem vidit, qui per triginta annos id mali ſuſtinuit, & ſane præ ceteris id mulieres impune ferunt ex omnis ævi teſtimonio. Notæ ſunt nimis, quam ut hic addam, mirabiles illæ viæ, quibus ſe liberat ope Naturæ menſtruus ſanguis, ut in vertice, digitis, mammis, quidni etiam facilius in dilatatis bronchialium finibus? Ita & I. RHODIUS *p)* mulieris Patavinæ meminit ſingulis aut alternis menſibus ſine offenſa pectoris ſanguinem ſpuentis, & I. N. PECHLINUS *q)* aliam notat, in qua ſub ipſo fluxu menſium ſimul ſanguis per tuſſim copioſe eiectus eſt. Nec viros ubivis durum præſagium premit. Peropportunam hæmoptyſin MICH. ALBERTI *r)* in plethorico exhibet proceri corporis, qui poſt ſuppreſſas narium hæmorrhagias aſthmate & cephalalgia laboravit, illius vero anomali fluxus beneficio euaſit. Mirabilior eſt hæmoptyſis, quam in Senatore Hildeſienſi I. P. ALBRECHTUS *s)* deſcripſit, quæ per quadraginta annos quovis ſemeſtri recruduit, quales periodos cruenti ſputi innoxias plane nec in phthiſin terminatas I. H. BRECHTFELD *t)* in alio obſervavit, inde pallidiori quidem, cetera ſaniſſimo. Nec ſine exemplo eſt ſalubritas mictus cruenti, quem ipſum hydropem tympaniten ſolviſſe teſtatur THEOPH BUDAEUS. *u)* Iam Hippocratica oracula paſſim enuntiarunt, ſanguinem mingere, at raro & ſine febre & dolore, nihil mali ominari, ſed laſſitudinem hoc fluxu ſolvi. I. A. GENZELIUS *x)* militem ſiſtit, cui ſuppreſſis hæmorrhoidibus ſanguis novo alueo per penem exundavit

o) *Obſ. Med. L. 2. C. XI. p.* 114.
p) *Cent. 2. O. 30.*
q) *Eph. N. C. D. 1. A. 9. 10. O. 27. p. 83.*
r) *l. c. §. 10. 11. 27.*
s) *Eph. N. C. D. 3. A. 5. 6. O. 24. p. 55.*
t) *Act. Med. Hafn. Vol. 1. O. 105. p. 196.*
u) *Eph. N. C. D. 3. A. 7. 8. O. 173. p. 291.*
x) *ib. Cent. 3. O. 51. p. 113.*

vir, G. HANNAEUS *y*) alium notat, cui nihil exſpectanti idem cruentus imber ſine dolore ac noxa per eandem viam effluxit. Quod plethoræ levandæ auxilium G. FRANCUS *z*) de lanione ſingulis menſibus menſtruo recenſet. Poſſunt hæc communiori voce mictus cruenti comprehendi, velut ipſæ hæmorrhoides veſicæ, quas luculenter deſignat CAELIUS AURELIANUS, *a*) qui ſicut in podice vel feminarum ſinu aut matricis collo, ſic etiam in veſica hæmorrhoides generari docet. Quales ſunt illæ, quas in amico quinquagenario maiori poſt hæmorrhoides ani ſponte ſubſiſtentes ſine detrimento ſanitatis natas, & per intervalla menſium quorundam redeuntes vidit I. M. NESTERUS, *b*) ubi æger extra fluxum, qui moleſtiis non prorſus caruit, optime valuit, & inſtar ſaniſſimi ingeſſit, digreſſit geſſit dormiuitque. In ipſarum vulgarium hæmorrhoidum laudes nolim diffundi, quas noſtrum ævum & ſchola inprimis Stahliana ſolertiſſimis obſervationibus illuſtravit. Patet ex dictis, quod ſuppreſſæ & ad loca minus

y) *ib. Dec.* 2. *A.* 3. *O.* 115. *p.* 413.

z) *ib. A.* 6. *O.* 83. *p.* 174. conf. *G. Franci ſat. med. Cent. V. y. it. Th. Barthol. Hiſt. anat.* 33. *Cent. V.*

a) *Lib.* 5. *chron. morb. Cap.* 4. *p. m.* 574. conf. *Alex. Benedicti L.* 24. *C.* 22. *Sauanarol. Pr. Tr.* 6. *c.* 19.

b) *Eph. N. C. D.* 1. *A.* 8. *O.* 23. *p.* 42. Primum ſanguis purus ſine dolore lumborum fluxit, mox niger & melancholicus cum copioſo lotio ſimulque dyſuria & teneſmo, denique grumoſus, quo fruſtulatim ejecto quieuit dolor, donec poſt notabile intervallum nova ſcena illam ſymptomatum ſyndromen retexuit. Debetur hic fluxus venæ hæmorrhoidali externæ, quæ ramo adfini in viris maxime per furculos majores in veſicam eiusque cervicem immo & urethram exporrigitur. Conſuluit nuper Vir perilluſtris annorum ſeptuaginta ſex *D. Præſidem* ore Medici ſui dexterrimi *D. I. Furſenii* de tali hæmorrhoide veſicæ, certis interuallis recrudeſcente, cujus cauſſa fuit partim intermiſſa ob ætatem ſecandæ venæ conſuetudo, partim hæmorrhoidum, quas adhuc ante quinque annos, immo ante annum & dimidium fluere ſenſit, æque ac tertianæ ſub vernum tempus naſci ſolitæ & ſalubriter repurgantis ceſſatio. Haud potuit durius præſagium eſſe in Sene vegeto & nullius ſibi in diæta erroris conſcio, nec ubi deſiit cruentus fluxus, qui nihil exſpectanti per intervalla accidit, adverſi aliquid præter laſſitudinem ſentiente.

minus congruentia redundantes tantum tamen præſidii adferant, quanto magis, ſi ex propriis fontibus, communi corporis cloacæ tam vicinis, morboſum moderatiori fluxu eliminant. In phrenitide, pleuritide, nephritide, apoplexia, melancholia, mania, & maxime illis morbis chronicis, qui impuro cruore intra abdominalia viſcera reſtagnant, inſigne ſemper ab hæmorrhoidibus levamen fuit. *c*) Sic epilepſiam in nobili melancholico, malaciam in ſcabioſo pulchre fluxus ille repreſſit, teſte I. RHODIO. *d*) Hæmorrhagiæ tamen narium vel ipſi plebi juſtius laudantur. Si difficilius, parcius, rarius in iunioribus occurrunt, quorum ſanguine turgent vaſa, periclitari eorum ſanitatem, nec niſi ab illo fluxu, qui in alium ambigua nimis ſalubritate degenerat, vindicari videmus. *e*) Quoties ſervat in febribus acutis, phrenitide, hepatitide, ut & catalepſi & mania? *f*) Quoties in chronicis capitum doloribus levat inſigniter? *g*) Vertigines hoc fluxu ſolvi HIPPOCRATES *h*) innuit: Apud AETIUM *i*) adoleſcens catalepticus occurrit, qui toto triduo nec claudere palpebras, nec ad vehementes vociferationes mouere oculos nec reſpondere potuit, quarto die per largam hæmorrhagiam narium perfecte liberatus. Per eandem ſubito icterum remiſiſſe I. F. BAVERUS *k*) &

c) *v. H. Boerhaavii aph.* 779. 888. 996. 1017. 1110. 1124. *Hippocrates* ſpeciatim in atrabilariis & phreniticis *S. VI. Aph.* XI. & varicibus inſaniaque *Aph.* 21. hæmorrhoides laudat.

d) prius in *obſ. med. cent.* I. *O.* 65. *p. m.* 44. poſterius *Cent.* I. *O.* 57. *p.* 97.

e) *Hipp. Op. T.* I. *Epid.* I. *II.* 115. *p.* 663. conf. *V. Riedlin. lin. med.* 1697. *Apr. O.* 8. *p.* 245. *Foreſt. O. L.* I. *O.* 19. 22. G. *Bagliv. prax. med. L.* I. *p.* 86.

f) *v. H. Boerhaau. aph.* 779. 923. 1042. 1124.

g) *S. VI. Aph. X.* it. de iudic. *Op. T.* I. *XII.* 3. *p.* 446. *I. N. Binninger.* notat dolorem capitis fluxu cruento & alui & narium terminatam *C.* 3. *O.* 5. *p.* 253.

h) *Op. T.* I. *coac.* III. 60. *p.* 553.

i) *tetrab. L.* 2. *Serm.* 2. *C.* 4.

k) *Act. Eph. N. C. vol.* 3. *O.* 63. *p.* 209.

& aphoniam in puero ceſſiſſe I. F. HENCKELIUS *l*) teſtantur. Vidit G. F. HILDANUS, *m*) leucophlegmaticum a vertice ad pedes tumentem, qui magna hæmorrhagia dextræ naris, quæ ultra libras quatuor adſcendit, in ſyncopen quidem incidit, at viribus reſtauratis citra alium remediorum vſum plene convaluit. Per hæmorrhagiam auris dextræ lipothymiæ & convulſiones hyſtericæ ceſſerunt oculato teſte I. S. ALBRECHTO. *n*) Neque ad juniorum corporum plethoram reſtringenda eſt hujus fluxus utilitas, quem octogenariis opem & ſalutem attuliſſe legimus. S. GRASSIUS *o*) vetulæ, quam larga hæmorrhagia ab apoplexia vindicavit, & I. N. PECHLINUS *p*) viri meminit, ad decrepitam ætatem periodico narium ſtillicidio provecti. Menſtrui fluxus præſidia, quia Naturæ *legibus congruunt, hic non attingo, hæ*morrhagiam tamen uterinam, quam nemo non ad ſtatum morboſum referet, non plane intactam relinquo, qualem in octogenaria aſthma ſiccum miro ſucceſſu levaſſe C. C. SICCELIUS *q*) ſcribit.

§. VI.

Veluti magnum Naturæ opitulantis emolumentum in coctione per febres, & excretione per vomitus & hæmorrhagias, adeoque utrinque per morbos *vidimus; ita operæ pretium eſt, illo* præſertim filo præternaturalium excretionum ulterius ad cognitionem duci ſalutaris per morbum auxilii. Diarrhoeæ & dyſenteriæ non inferior interdum locus eſt inter remedia quam morbos, dum magno levamine mucidas & bilioſas feces velut in cholera expellunt, nec adſtringentium uſu niſi incertum ægri exitium ſiſtuntur

l) *ib. O.* 113. *p.* 353.
m) *cent.* 1. *O.* 50.
n) *Act. Eph. N. C. vol.* 3. *O.* 59. *p.* 190.
o) *Eph. N. C. D.* 1. *A.* 9. 10. *C.* 366.
p) *Obſ. phyſ. med. L.* 2. *O.* 9.
q) *Act. Eph. N. C. vol.* 7. *O.* 79. *p.* 266.

ſtuntur. HIPPOCRATES dyſenteriam nunc maniacis *r*), nunc lienoſis *s*) nunc podagricis *t*), profuiſſe notat, in quibus quidem morbis non proprie ſic dicta dyſenteria oritur & levat, ſed ſtylo Hippocratico quivis etiam alius aluinus fluxus intelligi poteſt. Leucophlegmatiam inprimis forti diarrhœa ſuperveniente ſolvi, ejusdem HIPPOCRATIS *u*) ſententia eſt. E. KOENIGIUS *x*) apoſtema hepatis, M. B VALENTINI *y*) pleuropneumoniam diarrhœa purulenta ceſſaſſe ſcribunt. H. BOERHAAVIUS juxta cum aliis in febribus ardentibus, in quibus ſumma cum cura ad fluxus illos criticos attenditur, phrenitide, peripneumonia & pleuritide, hepatitide, apoplexia *z*) ſalutem docet per diarrhœas portendi, uti in melancholia per atræ bilis dejectiones & in mania per ipſam dyſenteriam *a*). H. SMETIUS *b*) hydropicum ſpontanea diarrhœa, I. LANZONUS *c*) quartanarium militem bilioſa ſeptem dierum diarrhœa, S. SCHULTZIUS *d*) piſtorem ſeptuagenario majorem graviter & per annum fere arthriticum bilioſo vomitu duorum & diarrhœa trium annorum ſanatos exhibent. G. BAGLIVIUS *e*) deliria, præſertim ſi morbus

r) *S. VII. Aph.* 5.

s) *S. VI. Aph.* 48.

t) *Op. T.* 1. *prorrhet. L.* 1. *XV.* 4. *p.* 498.

u) *Op. T.* 1. *Coac.* 111. 326. *p.* 569.

x) *Eph. N. C. D.* 2. *A.* 10. *O.* 117. *p.* 211.

y) *ib. Cent.* 8. *O.* 56. *p.* 337.

z) *Aph.* 741. 779. 830. 888. 913. 1017. de peripneumonia & pleuritide diarrhœa ſolutis vide etiam *Spindleri Obſ.* 24. 25. Speciatim de pleuritide alvi fluxu curata agit *Zacutus Luſitanus* Prax. adm. L. 1. O. 114. quamvis alioquin *Hippocrates S. VI. Aph.* 16. damnet in pleuritide alvi fluxum, idque probet *Galenus* quod evacuatio per ſputum ei convenientior videatur.

a) *Aph.* 1110. & 1124.

b) *miſcell. med. p.* 564.

c) *Eph. N. C. D.* 3. *A.* 9. *in ſchol. ad obſ.* 207. *p.* 379. Quartanam dyſenteria ſublatam reperies quoque *in Schenckii Obſ. med. L.* 6. *O.* 7.

d) *ib. D.* 1. *A.* 6. 7. O. 155. *p.* 220.

e) *Op. L.* 1. *C.* 9. *p. m.* 102.

morbus ſigna coctionis habet, ad alvinos fluxus, V. RIEDLINUS *f)* febrem malignam ad eosdem ceſſiſſe ſcribunt. Mirabilior eſt epilepſiæ, qua illuſtriſſima femina gravida laboravit, per dyſenteriam ſolutio, quam M. GERBEZIUS *g)* fuſe delineat. Nec minus memorabile exemplum occurrit herniæ inveteratæ in theologo Cuſtrinenſi D. HOFFMANNO per dyſenteriam tunc graſſantem ſublatæ, cujus STOSCHIUS *h)* meminit. Quæ de aluinis fluxibus diximus, plus etiam de lotio valent undam vitalem conſtantius repurgante *i)*, & de ſudoribus, quorum in febre ardente, hepatitide, apoplexia aliisque morbis critice fluentium tanta exſpectatio eſt, in primis poſt vitia læſæ perſpirationis. Moleſtus in peſte vomitus, qui nihil adſumere permittit, ceſſat ad ſudorem ſub ſolo tegumentorum pondere manantem, ut TH. SYDENHAM *k)* docet, qui non vomitus ſolum, ſed etiam alui fluxus & aliarum dejectionum nimiam vim pulchre ſudoribus inhiberi oſtendit. Et in his quidem fluxibus, licet inſolitis ſæpe & nunc periodicis nunc ſponte nunc per artem excitatis, nemo eſt, quin ſalutis vias adgnoſcat. Suſpectæ magis ſunt ſalivationes, verum nec illæ, ſive ultro ſive ope medica naſcantur, victorum morborum tropæis carent. Ita ſolviſſe illas febrem malignam V. RIEDLINUS *l)*, hydropem A. ERNIUS *m)*, phthiſin P. WURF-

f) *cur. med.* 776. *p.* 482. eandem febrem malignam alvi fluxu & petechiis ſolutam habet *cur. med.* 839. *p.* 580. conf. *Sat. med. Sileſ. Spec.* 4. *O.* 3.

g) *Eph. N. C. D.* 3. *A.* 1. *O.* 72. *p.* 106.

h) *Act. med. Berol. Dec.* 1. *vol.* 6. *p.* 44.

i) Ad ſalutarem hic criſin attendere *B. Boerhaavius* jubet in febre ardente *Aph.* 830. pleuritide *Aph.* 888. hepatitide *Aph.* 925. nephritide *Aph.* 996. Apoplexia *Aph.* 1017. ubertas etiam obſervationum eſt in calculoſis, icteritis & in primis hydropicis.

k) *Op. p.* 120. 125. 126. Quartana effuſis ſudoribus diſſipata legitur in *Th. Williſii Pharm. rat. S.* 5. *C.* 3. febris epidemica ſudoribus & narium hæmorrhagia ſuperata in *Sat. Sileſ. med. S.* 6. *O.* 6. *p.* 89.

l) *Eph. N. C. D.* 3. *A.* 5. 6. *O.* 127. *p.* 257.

m) *ib. D.* 2. *A.* 4. *O.* 36. *p.* 91. convenit obſervatio *V. Riedlini lin. med.* 1695. *Mai. O.* 12. *p.* 136. de hydrope deſperato juvenis, ex cujus ore habet, Viennæ per ſalivationem chirurgi ſanato,

WURFBEIN *n*), arthritidem I. A. HÜNERWOLF *o*), ſcorbutum I. BURGIUS *p*), epilepſiam D. C. VALTHER *q*), amauroſin L. HEISTERUS *r*), cephalalgiam cum amauroſi C. I. TREW *s*), rheumaticos dolores B. E. NEUGEBAUER *t*), multos denique alios morbos chronicos a pituita pendentes, FR. *de le* BOE SYLVIUS *u*) adnotarunt. Nec novas & peregrinas excretionum vias, quales in hydrope ſæpius referantur, pro ſuſpectis ſemper habemus. A. LÖW *x*) aſciticam plus quam ſeptuagenariam deſcribit, cui ſub epigaſtrio Natura poros aperuit, quaſi acu punctos, unde die nocteque ſerum lentum turbidum fuſcum cum excrementis variis proſiliit, ſenſim dilatatis poris, inſtar ulcuſculi a fonticulo recens facti, quod craſſum digitum admitteret, & pedetentim triginta libras humidi evacuaret, ſubſiſtente abdomine & ægra convaleſcente. Plures vias reperit aqua hydropica in muliere, quam P. M. GABRIELLIUS *y*) deſcribit, quæ non vomitu ſolum & feceſſu ex alvo eodem tempore, ſed & utero & foramine

n) *ib. D.* 2. *A.* 1. *O.* 122. *p.* 312.

o) *ib. A.* 9. *O.* 102. *p.* 173.

p) *ib. A.* 3. *O.* 173. *p.* 338. ubi quoque tinnitum aurium ſpontaneo ptyaliſmo diſcuſſum refert, veluti etiam *I. Lanzonus* diuturnum fluorem album ſalivatione ultro nata in quadragenaria ceſſiſſe adnotavit in *Eph. N. C. D.* 3. *A.* 9. 10. *O.* 140. *p.* 266. conf. ejusdem auctoris exercit. de ſaliva humana, ubi ſimilium obſervationum ubertas.

q) *ib. Cent.* 3. *O.* 94. *p.* 231. de epilepſia ex philtro per ſalivationem mercurialem ſanata ſuppetit obſ. *Theoph. Budæi ib. D.* 3. *A.* 7. 8. *O.* 171. *p.* 288. cui fere reſpondet illa *I. M. Hoffmanni Eph. N. C. Cent.* 1. 2. *O.* 136. *p.* 272.

r) *de cataract. glauc. & amaur. p.* 331. *ejusque diſſ. de amauroſi ſalivatione curata.*

s) *Act. Eph. N. C. vol.* 4. *O.* 137. *p.* 537.

t) *Satyr. Sileſ. med. ſpec.* 1. *O.* 9. *p.* 53.

u) *Prax. med. App. tract.* 6. §. 324. *p. m.* 758. Ad quam ex pituita cauſſam pertinent tumores ſtrumoſi colli, qualem ad ovi anſerini magnitudinem, mercuriali remedio, quo ſæpe in aliis ſalivationem movit, ſine hac tamen diſcuſſit *G. Klaunig in Act. Eph. N. C. vol.* 2. *O.* 12. *p.* 35.

x) *Eph. N. C. D.* 3. *A.* 5 6. *O.* 153. *p.* 336.

y) *ib. O.* 178. *p.* 633.

ramine ad umbilicum orto copiam ſeri ingentem dejecit cum ſtupore adſtantium & ſolamine ægræ. I. C. MENZELIUS z) hydropico opem tulit, cui pellucida in pede ſiniſtro veſica ad palmæ longitudinem & latitudinem rupta ſubito libram limpidæ aquæ effudit, deinde per quatuor menſes lintea plusquam ſexies duplicata humoribus infecit, detumeſcente jam abdomine, ſcroto & pedibus. In femina quadam ventris ſimiliter tumentis puſtula *a*) pullulavit in medio umbilici, unde ingens effluxus pariter liberavit. Ipſius ſcabiei nomen inter ſalutares excretiones morboſas memorabile eſt, cum iſte ad loca ignobiliora decubitus interna viſcera vindicet, nec ad illa iterum remeet, quin ſæpe aſthmata, hydropes, ſomnolentiæ, cœcitates, ſurditates immo apoplexiæ aliquando ſucceſſerint. I. F. HERTODT *b*) deſperatum empyema perfecte diſcuſſum eſſe ſcribit fœda & purulenta ſcabie, per totum corpus exorta, qualis etiam militem de ponte lapſum & dextro latere vehementer contuſum teſte C. PEZOLDO *c*) ſanitati reddidit, nec minus feminam continuo & immodico fluxu menſium exhauſtam poſt mœrores animi referente I. LANZONO *d*), qui etiam dyſenteriæ per ſcabiem ſolutæ meminit *e*). R. I. CAMERARIO *f*) melancholicus fuit cognitus, quem ſcabies ſanæ menti reſtituit, & iſchiadicus ſenex, quem eadem poſt uſum cataplasmatis ex ſymphito ſanavit. Apud B. GULLMANNUM *g*) ſcabies moleſtiſſima podagram diſcuſſit. N. TULPIUS *h*) ſalutarem porriginem viſcida exſudantem laudat, quæ inveteratam cephalæam CASP. BARLAEI diſſipavit, cui convenit obſervatio I. RHO-

z) *ib. D.* 2. *A.* 10. *O* 37. *p.* 74.
a) *vid. ſchol. ad obſ. I. C. Brunneri D.* 2. *A.* 8. *O.* 100. *p.* 223.
b) *ib. D.* 1. *A.* 2. *O.* 146. *p.* 230.
c) *ib. D.* 3. *A.* 5. *& 6. O.* 184. *p.* 427.
d) *ib. D.* 2. *A.* 9. *O.* 207. *p.* 378.
e) *ib. A.* 10. *O.* 130. *p.* 222.
f) *ib. D.* 3. *A.* 6. *& 7. O.* 16. *in fin. p.* 47. Melancholiam fœda ſcabie ſolvi *H. Boerhaave* notat *Aph.* 1110.
g) *Act. Eph. N. C. vol.* 2. *O.* 163. *p.* 370.
h) L. 1. *Obſ.* 32.

I. Rhodii *i*), magnas cordis palpitationes dextri cruris herpeti & copioſo lotio ceſſiſſe. Conſtat ſua fides præſagiis Hippocratis *k*), quæ tali metaſtaſi in acutis ad extrema nituntur, velut in peripneumonicis abſceſſus pone aures & crura levant. Diſerte G. Baglivius *l*) rem vocat in variis xenodochiis ſibi compertiſſimam, pleuriticos omnes periculum evaſiſſe, quibus in interiora auris dolor & mox abſceſſus ſupervenerit, quali abſceſſu E. Goeckelius *m*) cephalalgiam bimeſtrem evanuiſſe teſtatur, uti ipſam cerebri inflammationem purulento abſceſſu per nares aures & palatum F. Lossius *n*). Nati in abdomine abſceſſus ſalutares excluſerunt ſæpe calculos, lumbricos, fœtus mortuos & alias *longorum* morborum corruptelas. Convaluit referente N. G. Beckero *o*) *leucophlegmaticus adoleſcens* quinque exortis magnis abſceſſibus internis, qui ultra tredecim *libras* puris effuderunt, & Marc. Gerbitzius *p*) hydropem vidit, cui abſceſſus in ſcroto medelam attulit. Similis abſceſſus in urethra calculum pone ſcrotum excluſit teſte I. Th. Brinio *q*), alius coxæ dolores delinivit obſervante N. Tulpio *r*). Apud I. Lanzonum *s*) epilepſia occurrit ulcere cruris dextri orto evaneſcens, apud L. Schroeckium *t*) enterocele abſceſſui inguinis ſpontaneo cedens, cui adfine eſt, quod A. M. Eggerdes mira-

i) *Cent.* 2. *Obſ.* 41.
k) *Op.* T. 1. *coac.* 11. 96. *p.* 539.
l) *L.* 1. *Op.* c. 9. *p. m.* 34.
m) *Eph. N. C. D.* 2. *A.* 7. *O.* 126. *p.* 735. Ulceribus cutaneis ſedatam cephalalgiam exhibet *I. A. Reimannus in Breſl. Samml. Verſ.* 30. §. 10. *p.* 638.
n) *Obſ. med. L.* 1. *O.* 9. *p.* 18.
o) *Eph. N. C. D.* 1. *A.* 8. *O.* 73. *p.* 120.
p) *ib. Dec.* 2. *A.* 8. *O.* 70. *p.* 182.
q) *Act. Eph. N. C. Vol.* 3. *O.* 116. *p.* 360.
r) *Obſ. med. L.* 3. *O.* 25. *p. m.* 222.
s) *Eph. N. C. D.* 3. *A.* 2. *O.* 29. *p.* 38. Idem *Lanzonus* ſimili ſpontaneo ulcere cruris cachexiam cum hydropis principio victam enarrat *ib. A.* 9. *&* 10. *O.* 20. *p.* 34.
t) *ib. Dec.* 1. *A.* 9. *&* 10. *O.* 164. *p.* 360.

w) miraculum medicum vocat in curatione herniæ inguinalis, quam Natura per abſceſſum perfecit. Nec ſilenda nobis ſunt infantum ulcera, favi, achores, in quibus multum momenti latet ad avertendam epilepſiam. Quod HIPPOCRATES *x*) dixit, ulcera capitis pueros a morbo caduco præſervare, illud N. TULPIUS *y*) duorum infantum exemplo pulchre illuſtrat, quorum manantia capitis ulcera ſuſtulerunt epilepſiam, ſuppreſſa revocarunt. Nec temere licebit inficiari, antiqua crurum ulcera in ſenibus multa mala, inprimis ſoporoſa & ipſam apoplexiam præcauiſſe, neglectim autem habita & exareſcentia fatum ſub ingruentibus malis illis acceleraſſe.

§. VII.

Verum nec gravioribus morbis, quin aliquando ſalutem adferant, diffidimus. Inviſum convulſionum nomen eſt, terribilis tamen epilepſia ex teſtimonio C. F. PAULLINI nobilem puerum a dyſenteria *z*) liberavit, & puellam ruſticam a febre quartana, *a*) velut infantem ab iſchuria, *b*) ut S. GRASSIUS, & ancillam ab arthridide vaga, *c*) ut G. F. GUTERMANN commemorant. Apud I. P. ALBRECHTUM epilepſia coecitatem *d*) a repentino terrore natam ſuſtulit, e contrario apud D. WINCLERUM epilepſiam coecitas, *e*) quæ tamen mox etiam pharmacis ceſſit. Sic C. F. PAUL-

w) *ib. Dec.* 3. *A.* 4. *O.* 9. *p.* 18.
x) *de morb. ſacr. Op. T.* 11. *p.* 332. *VII.* 12.
y) *L.* 1. *Obſ.* 8. Cui adde, quod *I. N. Pechlinus* etiam in adultis notat, *l. c. cap.* 2. *O.* 30. coquum nempe diu epilepticum fonticulis in utroque brachio liberatum, ubi vulnus coire permiſit, mox graviori paroxyſmo mulctatum eſſe.
z) *Eph. N. C. D.* 2. *A.* 7. *O.* 6. *App. p.* 133.
a) *Faſc.* 1. *Obſ. N.* 29. *conf. Th. Barthol. Cent.* 2. *hiſt. anat.* 68. *p.* 294.
b) *Eph. N. C. D.* 1. *A.* 3. *O.* 212. *p.* 387. *&* *D.* 3. *A.* 5. *&* 6. *App. p.* 129. Epilepſiam iſchuriæ remedium citat quoque *P. Spindlerus O.* 60. *p.* 113.
c) *Act. Eph. N. C. vol.* 3. *O.* 103. *p.* 330.
d) *ib. Dec.* 3. *A.* 5. *&* 6. *O.* 28. *p.* 65.
e) *ib. D.* 1. *A.* 6. *&* 7. *O.* 50. *p.* 84. At cave, robur etiam oculorum ab epilepſia exſpectes, ut promittit index Obſervationum Wepferi, robur

F. Paullini febres notat, ab epilepsia sublatas & contra. *f*) Ipse Hippocrates convulsionem, quæ fit in febre & in eadem desinit, bonam esse, *g*) & vel die illo vel postero vel tertio febrilem impetum mitescere scribit, quod vero nolim de convulsionibus nisi levioribus in acutis intelligere, in quibus a tremoribus delirium solvi ejusdem effatum est. *h*) Laudat quoque ictetum febri supervenientem post diem septimum, modo dextrum hypochondrium sit sine duritie. *i*) Febrem petechialem ictero I. W. Rombergius, *k*) malignam tumore brachii solutam I. Lanzonus *l*) exponunt, idem de tumore cervicis critico in febre petechiali habet E. G. Struvius *m*). Dolores arthritici corum labem viscerum præcavere, magnorum morborum semina consumere, & ipsa longæ vitatis munera promittere, in proverbium abiit, & medicorum confirmat canonem, partium externarum detrimentum esse internarum incolumitatem. Mulierem, cujus pedem sinistrum labes arthritica prehendit, ab epilepsia viginti quinque annorum teste I. Lanzono *n*) liberauit. Non minus virtutis medicæ vulgaris experientia coryzæ tribuit, serosa & mucida salubriter eliminanti, cujus suppressus fluxus capiti & pectori inimicus evincit, quantum virium repurgantium in illa etiam morbi specie situm sit. Sæviora mala sunt paralysis, hemiplegia & paraplegia, opta-

pro rubore scribens. Quod non monerem, nisi exscriptos indices & cum eo errores non consulto textu toties in lexica medica inferri viderem. Ita irrepsit hic error in *Lex. real. med. cel. Alberti T. 2. p. 764.*

f) *fasc.* 1. *obs. N.* 29.

g) *Ob. T.* 1. *conc.* 1. 230, *p.* 534.

h) *S. VI. Aph.* 26.

i) *S. IV. Aph.* 64. Malum vocat, quibus in febre ante diem septimum ictterus incidit, licet *de morb. vulg.* eos nominet, qui quarto die ictero adparente servati sunt, ubi comites evacuationes considerandæ. *Forestus L.* 3. *O.* 410. tertianam habet post septimum circuitum ictero salubriter terminatam. De febre causode per ictterum criticum soluta *v. O.* 6. *spec.* 2. *med. Silef. fat. p.* 34.

k) *Eph. N. C. D.* 3. *A.* 9. & 10. *O.* 107. *p.* 198. & *O.* 150. *p.* 433.

l) *ib. O.* 138. *p.* 265.

m) *ib. Cent.* 7. & 80. 87. *p.* 425.

n) *ib. D.* 2. *A.* 9. *O.* 172. *p.* 320.

optabilia tamen, quibus miſeræ etiam vitæ dulcedo eſt, dum gravis apoplexia certum interitum, niſi mala illa intercedant, o) comminatur. Varices phrenitidem, melancholiam & maniam p) ſæpius ſolvunt docente H. BOERHAAVIO. Ad ſpontaneam gonorrhoeam ulcera pedum evanuiſſe I. H. HOTTINGER, q) ad podagræ paroxysmos tinnitum & alia auris vitia ceſſaſſe, ſed ceſſante podagra rediiſſe C. G. REUSNERUS, r) ophthalmiam perita manu tractatam ipſam cœcitatem cum puſtula oculi ſuſtuliſſe, G. A. MERCLINUS s) teſtantur. Neque percuſſionibus & caſibus ab alto dexter aliquando ſucceſſus defuit. S. SCHOLTZ t) matronam fere ſexagenariam magno & moleſto abdominis tumore deformem de ſcala lapſam effuſo per pudenda humore, & I. I. SCHWALLER u) *virginem tumentis per quindecim annos ventris*, in quem graviter adliſit, ſimili per eadem loca effluxu convaluiſſe referunt. Apud I. LANZONUM x) faber lignarius contra cephalalgiam trium menſium omnes remediorum vires irritas expertus lapidi e feneſtra cujusdam domus projecto & caput lædenti ſalutem debuit, quippe ſic ſimul a vulnere ac cephalalgia ſanatus. Epilepſiam aliquando a caſu ortam ſanavit caſus teſte Cl. C. WINCLERO, y) memoratque ancillam C. F. PAULLINI z) in itinere epilepticam & paulo poſt ob vertiginem in aquas delapſam, quam idem caſus cum terrore coniunctus a novis epilepſiæ iniuriis immunem præſtitit. *Abortus* a) ipſe aliquando ſalutaris

o) H. *Boerhaave Aph.* 1018.
p) *ib. Aph.* 729. 1110. 1124.
q) *Eph. N. C. D.* 3. *A.* 9. & 10. *O.* 227. *p.* 404.
r) *ib. Cent.* 5. *O.* 8. *p.* 24.
s) *ib. D.* 2. *A.* 1. *O.* 94. *p.* 219.
t) *ib. D.* 1. *A.* 2. *O.* 134. *p.* 215.
u) *ib. D.* 3. *A.* 5. & 6. *O.* 57. *p.* 114. De hydropicorum ſalute ex rupto umbilico *A. Benivenius C.* 12. de *abd. morb. cauſſ. F. Vallerioła L.* 4. *Obſ. C.* 3. *F. Loſſius. L.* 3. *obſ. med.* 43. *I. Hellwig. O.* 89. *p.* 268. agunt.
x) *Eph. N. C. D.* 2. *A.* 10. *O.* 86. *p.* 159. & *D.* 2. *A.* 9. *O.* 206. *p.* 378.
y) *ib. D.* 1. *A.* 6. & 7. *O.* 197. *p.* 145.
z) *ib. D.* 2. *A.* 9. *O.* 190. *p.* 353.
a) *ib. D.* 3. *A.* 5. & 6. *obſ. I. Lanzoni* 284. *p.* 636.

raris fuit, feminamque quartana trium annorum laborantem & remediis febrifugis ut quinquinæ fruſtra tentatam, gravidam deinceps & tum duplici quartana laborantem cum ſævo dolore capitis, ex voto liberavit. In his tamen plerisque fortuita ſalubritas non facile medicos ad imitandi exempli audaciam invitat.

§. VIII.

Nec dubito doloribus, qui ſtatum corporis præternaturalem crebro comitantur, medicinæ titulum tribuere. Acerrimi illi valetudinis cuſtodes ingrato ſtimulo inſidiarum imminentium nos admonent, nunc cauſſam nunc ſedem morborum explicant, & contra hos orientes attentionem & ſuppetias poſtulant, immo ægris ſuæ ſalutis negligentioribus extorquent. Quod ſibimet ipſis mutuo medeantur, HIPPOCRATICUM *b*) illud ſpondet, *dolorem dolore ſedari*, velut fluxum fluxu, vomitum vomitu compeſci ſuperius eluxit. Habet pharmacia & chirurgia adparatum remediorum, quæ ſine dolore ægros vix levant. Venam ſecare, ſcarificare, hirudines, ſetacea, cauteria adplicare, trepanatione, paracenteſi, lithotomia uti, & centenis aliis non minoris ſævitiæ, medelæ ſunt per & inter dolores efficaces. Ex his per cauteria inferioribus partibus inuſta hemicraniam H. MERCURIALIS, *c*) in cervice vel nucha ophthalmiam F. PLATERUS, *d*) per veſicatoria pone aures atrocem odontalgiam I. HEURNIUS, *e*) per ſetacea graves ad pectus deſtillationes G. F. HILDANUS *f*) ſublatas eſſe aiunt. Ob ſimiles ſucceſſus hirudines in hæmorrhoidibus cœcis P. BORELLUS, *g*) cucurbitas cum ſcarificatione dorſi pedis in podagra I. F. BAVERUS, *h*) fonticulos in iſchiade I. H. SCHULT-

b) *de loc. in hom. LI. 6. p. 394. conf. diſſ. H. Volkameri de dolore doloris remedio* Altorf. 1739.
c) L. *de aff. capitis C. 5.*
d) L. *de dol. Cap. 2. p. m. 293.*
e) L. *de morb. ocul. aur. naſ. dent. & oris C. XI.*
f) *Cent.* I. *cur.* I. *Obſ.* 41.
g) *Cent.* I. O. 61.
h) *v. diſſ. de ſcarif. certo & ſecuro remed. antipodagr. Altorf.* 1739.

SCHULTZIUS *i*) extollunt. Adnuit G. F. HILDANUS, *k*) & omnes a peſte immunes eſſe dixit, qui fonticulos geſſerunt, cui congruit F. PLATERI *l*) adſertum, a contagio ipſaque peſte præſervatos fuiſſe, quibus loca quædam corporis inuſta vel eroſa fuerint. Ars imitando hos dolores ſalutares excitat, Natura præeundo. Scripſit HIPPOCRATES, *m*) dolorem ſupernarum partium ſeu gravem cephalalgiam ad ſubnatos coxæ vel genuum dolores cedere, idem etiam iis evenire, qui longo alui profluvio detinentur. Hinc adeo non ſopiendi ſunt novi dolores, ſicubi in corpore adflicto emergunt, ut in multis morbis e. c anginis ſpei nihil ſit ſine manifeſto dolore. *n*) Solemus ex hac ratione bubonibus minus dolentibus cucurbitas admovere, & *ſphacelum metuimus, ſi ſubito carbunculorum dolor ſilet.* An autem GALENO *o*) adſentiendum eſt? qui non dolores ſanare ait, quos ſatius eſſet abeſſe, ſed unice medicamentorum virtutem inter dolores agentem. Verum propriam hic medendi virtutem non ubivis excludimus, qua vel corrigunt morbi cauſſas, vel revellunt, vel evacuant. Quis neget fonticulum, dum ſalſa & acria per dolores adlicit, vi propria internos dolores placare? Dolor hæmorrhoidum avertit utiliter, quæ congeſta ad caput vel pectus gravant, *pruritus* cum exanthemate ſcorbutico viſcerum orgaſmos pulchre ſedat, & *ubicunque humores ſubſiſtunt, decubitus* ad loca dolentia opportune levat. *Qui nervorum in corpore* poteſtates expendit, horum miniſteria ſenſu doloris prudenter intendit, languentes motus excitat, ſic cauſſam morbi magis ſubigit, & ad ſalutares evacuationes vel metaſtaſes diſponit. *In* catarrho ſuffocatiuo & *morbis ſoporoſis* quæ certior quam hujus per dolores medicinæ virtus eſt? qua eroſa colluvies principem vitæ

i) *Eph. N. C: D.* 1. A. 3. *O.* 146. *p.* 267.
k) *Obſ. chir. cent.* 4. *O.* 23.
l) *l. c.* C. 2. *p. m.* 290.
m) *Op. T.* 1. *Epid. II. S. VI.* 47. *p.* 710. *it. de iudicat. ib. p.* 447. *XII.* 7. 8.
n) *Hipp. Op. T.* 1. *coac. III.* 116. *p.* 556.
o) *Comm. in 6. Epid. Hipp. S.* 2. *c.* 9. *Edit. Iuntin. Cl. III. p.* 161. G.

vitæ ſedem occupans ad loca excitati doloris decumbit. Id autem ultro largimur, quod illa per dolores in primis durabiliores medicina non omni morbo nec loco congruat, ſæpe ob nata inde pervigilia, convulſiones & virium diſpendia noceat, teneris maxime, macilentis, hecticis aliisque ad ſuſtinenda hæc mala minus præparatis.

§. IX.

Inter hæc, quamvis abunde conſtet, mutuo morborum conflictu non contemnendum ægrorum numerum ex præſenti periculo evadere; attamen hujus medelæ obſcurior adhuc ratio videtur, & juſtus metus eſt, ſi modum ejus neſcis, ne imitandi audacia in varios ſcopulos impingat. Velut minime omnibus morbis competit, lædendo reſtituere, ita hos etiam, qui multis ſalutem præſtant, aliis exitium parare minime diffitemur: ut adeo interſit, ſalubritatis momentum non niſi ex mutua morbi ſanandi & ſanantis ratione oppoſitisque viribus diſcernere, quod ſolis attentioribus, immo nec his ſæpe, niſi ſub quodam veritatis crepuſculo adparet. Lædunt tot laudatæ excretiones, niſi bona tolerantia oſtendit, noxium per eas excerni, nec febres ſpem implent probæ coctionis, niſi ſolvendi lentoris gradibus juſto virium ſuorum moderamine reſpondeant. Ex dictis autem liquet, maxime inter vitalis motus augmenta morboſum nunc coqui & corrigi, nunc ad loca ignobiliora tanquam tutiores ſedes transferri, nunc inſueta evacuatione, quæ a naturali multum deflectit, adeoque triplici morborum forma prodeſſe. Vis illa quæ coquit, ſolvit, ſubigit & violatas circulationis ſecretionumque leges inſtaurat, patet maxime in morbis ſoporoſis aliisque magnis viſcerum obſtructionibus, ubi ad tot obſtacula inſurgens febris reſerat occluſas vias, functionesque ab iis læſas reſtituit, & vetera ac difficillima mala, ut paralyſin, epilepſiam, aphoniam, impotentiam veneris, aliave mirabili ſæpe ſucceſſu exſtirpat. Vis illa, quæ transfert noxam ad loca externa & tutiora, conſpicitur in porrigine poſt cephalæam, ſcabie poſt empyema, abſceſſibus poſt peripneumoniam, ictero poſt febres, & ipſa podagra poſt magnam, quæ

interioribus nervis incumbit, labem. Vis demum, quæ evacuat, reliquis fere major, certe crebrius ſalutaris illuſtratur exemplo vomitus in vertiginoſis, diarrhœæ in maniacis, coryzæ in pituitoſis & mucoſis, hæmorrhoidum in melancholicis, ſpontaneæ ſalivationis in rheumaticis, fluxusque aquoſi per multiplices novasque vias in hydropicis. Inter quæ magnum Naturæ præſidium eſt, dejectiones in uno loco nimias per augmenta aliarum reprimere, velut vomitum in peſte reprimit ſudor, & dyſenteriam largius lotii profluvium. Hæc omnia a majori vitali motu pendent, ipſe vitioſorum humorum ſtimulus per leges fabricæ humanæ excitato hoc vigore motuum, ſecretionum excretionumque vindicat corpus contra periculum, & inter ipſas turbas, quas excitat, arma præbet, quibus conficitur. Nec vero præſidium omne in augmento vitalium motuum, ſed & interdum diminutione conſiſtit. Iuvat ægros Natura, dum languentiſſima videtur, & in contumaciſſimis hæmorrhagiis fugientem animam per ipſas lipothymias remoratur, velut crebro iis contigit, quibus funeſta ex gravi vulnere hæmorrhagia imminebat, ubi collapſum vaſis & coalitum ſub deliquiis illis animi ſperandum lacerant e contrario cardiaca, quæ improvida manus ad vires refocillandas exhibet, quippe in hoc ſtatu, quo levis vitæ umbra tutior eſt, cum cruore effuſuras animam. Hoc in omni gravi hæmorrhagia *p*) maxime uterinis imminente abortu adparet luculentius. Ceterum cum morbus ſemper in parte, quæ laborat, functionum exercendarum impotentiam ſupponit, neceſſe eſt conditiones paulo ſolertius evoluere, quæ ad functiones illas requiſitæ vel deſint vel impediantur. Illas vix reſtituet motus, qui inter majora coctionum & excretionum præſidia inſurgit, has vero ab impedimentis felicius ſub gradu oppoſito liberabit, de quibus qui ſigillatim diſpicit, plenius ſatisfaciet argumento.

§. X.

p) Exemplum utilis in gravi hæmorrhagia deliquii animi dat *L. Riverius* L. 1. O. 48.

§. X.

At magna cautione opus eſt, ne dubia Naturæ medentis veſtigia ars premat inconſulto. Non fingendum aut excogitandum eſt, ut BACO ait, ſed inveniendum, quid Natura faciat aut ferat. Multa latent altis tenebris merſa, multa ſuperant captum noſtrum, & titubat neceſſario gradus artis, ſi facem Natura nullam prætulerit. Quæſtio non ſemel agitata eſt, an etiam Medico morbos excitare fas ſit? quemadmodum de febre artificiali I. D. MAIOR *q*) & de variis morbis arte introducendis A. BRENDELIUS *r*) inter præcepta non contemnendi uſus diſſeruerunt. Tutiori tramite incedit, qui hic Naturam ſequitur, præire non audet. *Natura enim indigentiæ ſuæ optime gnara ſecundum veras* corporis opportunitates tempeſtive ſuſcitat morbos & dirigit, haud medici oculus pari acumine penetrat in complexum conditionum illarum, ſub quibus morbus ſalutaris oriri poſſit. An febrem ſi excitet, certus erit, morbo exacte reſponſuram eſſe? accendet *fortaſſis citius quam exſtinguet.* An audebit arthritidem toties ſalutarem producere? Vix tentabit ſine injuria, at Naturæ auxilio natam recte ſic diriget, ut vitalium viſcerum labem avertat, conſumta in extremis materia morboſa. Temerarium eſt, dum tuta ſuppetunt, excitare, quæ nocere poſſint, vel certe, quorum moderamen & directio pro ſingulorum temperie in facultate noſtra non ſit poſita. Immo nec illa facile, quæ arbitrii noſtri ſunt, ſpe ambigua illecti ſuadebimus, ut ebrietatem *s*), quod aliquando quartanam, vel iram, quod podagram *t*) & paralyſin *u*) *diſcuſſerit.* Suo medicus ſatisfaciet muneri, ſi ſolemnia in morbis

q) *vid. diſſ. de febr. artif. Kilon.* 1666. Extat quoque diſp. de arte febrem inferendi *Præſ. A. F. Danckwerts Reſp. I. W. Martini Helmſt.* 1735.

r) v. diſſ. de eo, quod & quomodo multi morbi curentur per morbum arte introductum *Reſp. I. G. Reichel Vitteberg.*

s) *Eph. N. C. D.* 3. *A.* 9. 10. *O.* 114. *p.* 202.

t) *v. Barthol. Cent.* 6. *hiſt.* 22.

u) *Eph. N. C. D.* 2. *A.* 5, *App. p.* 23. *it. Marc. Donat. hiſt. mirab. L.* 6. *C.* 5. *p.* 640.

morbis Naturæ præſidia notat promovetque, & obſtacula a ſiniſtro potiſſimum regimine aëris, victus, motus pendentia removet. Multa præſtat Natura ſola, in aliis artis ſuppetias requirit, his etiam in quibusdam rem totam committit. Ante omnia probe attendendum eſt, qualis ſit morbi, a quo medelam exſpectes, indoles, an vere oppoſita ei, quem ſuperare cupis? an vires morboſum corrigendi, transferendi, evacuandi in ſe contineat? an vero ipſo morbo ſanando deterior ſit, & magis animalem œconomiam labefactet? Sic cœcitas cephalalgiam ſuſtulit *x*), in alio epilepſiam *y*), ſi ſphacelus melancholiam *z*), polypus utrisque naribus excreſcens vertiginem diſſipavit *a*), fluor albus narium catarrho ſucceſſit *b*); non nimis ejusmodi morborum medelis adplaudendum eſt. C. F. Paullini *maniam recenſet, quæ enterocelen* diſcuſſit *c*), R. Lentilius paronychiam, ad cujus ortum cardialgia deſiit *d*), Ol. Borrichius pleuritidem, quæ quartanam profligavit *e*). Verum in his nihil eſt, quod ars imitari poſſit, vel ſi poſſit, ut debeat· Quodſi autem conſtat, leviorem morbum & indolis oppoſitæ eſſe, facinus foret, amoliri aut temere cohibere, quæ conſilio Naturæ parantur. Nihil turbet medicus vano *metu*, nullo errore ſufflaminet hos medicatricis Naturæ conatus, & quieſcat *potius* tanquam ſalutaris exitus certus. Alioquin interdum fiet, ut *adverſus duos hoſtes Naturæ pugnandum ſit.* Sentiet, eam ſuis opibus locupletem, *ſuis viribus abunde inſtructam*, ſuo optime ingenio edoctam ſæpiſſime ſine ope artis eluctari. Ita cataractam, ut Celsus *f*), marcorem, ut N. Tulpius g) adno-

x) *v. Bresl. Geſch.* 31. *verſ. p.* 310.
y) *Eph. N. C. D.* 1. *A.* 6. 7. *O.* 50. *p.* 84.
z) *ib. Vol.* 3. *O.* 66. *p.* 212.
a) *v. Spindl. Obſ.* 12.
b) *v. Ried. Cur. med. Cent.* 5. *Caſ.* 404. *p.* 241.
c) *ib. D.* 2. *A.* 10. *O.* 190. *p.* 369.
d) *ib. O.* 187. *p.* 364.
e) *Act. Hafn. Vol.* 5. *O.* 71. *p.* 174.
f) *L.* 6. *C.* 6. *n.* 35.
g) *Obſ. L.* 2. *C.* 9.

adnotarunt, ſponte ſanavit, & calculum, ut L. HEISTERO *b)* obſervatum eſt, in veſica fractum cum lotio fruſtulatim eduxit. Hæc illuſtrat pauperum ratio, qui inter magnas Naturæ non impeditæ criſes rarius ſuccumbunt, quam opulentiores per intempeſtiva medentum officia. Neque tamen nulla hic eſt artis poteſtas: præterea enim, quod attenta ad morbi vitæque vires acutius pugnæ exitum perſpiciat, tum quoque impeditam vel oppreſſam ſubinde Naturam, ut non perficiat criſes, e. c. hæmorrhagias, diarrhœas aliasque, ſed inchoatas abrumpat, novit erigere, & remediorum congruente virtute ſuſtentare. Ita olim pro hæmorrhagia, ad quam imperfecta Naturæ criſis fruſtra tendebat, acceleranda, *nunc naribus* ſetas intrudebant, nunc more Aegyptiorum *ſcarificabant nares*, *nunc capitiluvia ordinabant*, ut HIPPOCRATES in *Metone*. Bene tunc medicus vias, ad quas Natura ducit, ut promtius ſuſcipiant, aperit, materiam, ut eo decumbat, mobilem reddit, motum, qui mobilem jam materiam ad loca diſpoſita ſalubriter determinat, moderatur, & pro indigentia corporis *nunc auget nunc minuit*, *nunc alio divertit*. Non enim illud ſuſpicatur, Naturam errare in opere ſuo, & ſanitatis cauſſam male agere, ſed culpa inſtrumentorum & materiæ movendæ miniſterium artis requirere, quod gradus temperet, & aberrantes dirigat, in omni autem progreſſus ſui momento, quaſi proprio judicio diffidens, ad nutum & adſenſum Naturæ conſtanter reſpiciat. Videmus, peripneumonicos Natura duce *nunc ſputis* expurgari, nunc beneficio alvinæ vel *renalis excretionis*. Ibi *ars vigilat*, *ut aër calidiuſculus & humidus halitusque* ejusdem *generis ore & naribus attracti* oſcula bronchialium aperiant, & materiam ſputi promtius transmittant, rejecta venæ ſectione, per quam dilatata vaſcula magis ſe contrahunt, vel uſu purgantium & ſudoriferorum, quibus diluens ſputi vehiculum diſſipatur. Si vero deprehendit criſin alvinæ excretionis, *fomenta* abdomini adplicat, & vias relaxat pro admittenda facilius, quæ ſuperne decumbit, materia peccante. Si vias renalis excretionis Natura præmonſtravit, fomentis in regione lumbari, clysmate, quo nihil magis

b) Act. Philoſ. Angl. N. 417. *p.* 13.

magis renes juvat, & potu leniter diuretico ars utitur. Nusquam vero temere ſuadebimus, quod ſub obſcuro nexu fortuitorum caſuum aliquando profuit. A. BENIVENIUS *i*) architectum altero pede claudum ex eminente turri ruentem recte deinceps ambulaſſe ait. Sit fides penes auctorem, nobis exempli normam haud præbet. Bene hic SENECA *k*): multos fortuita ſanant, nec ideo remedia ſunt. Si FABIO MAXIMO pugnandi ardor quartanam diſcuſſit, ſi vulnus nonagenario teſte R. DODONAEO *l*) amiſſum viſum reſtituit, hos improviſos eventus exoptatæ ſalutis arbitror ad inſtruendam artem & locupletandam parum valere. Quodſi aliquando inſtruunt, non tam ad illos quam ad Naturæ tunc opitulantis vim attendimus. Dum ulcera capitis epilepſiam ſanaſſe toties legimus, non coarguimus quidem CELSI conſilium, qui ignem & ferrum in occipite probat, vel morum Italorum, qui varia capitis loca ferro inurunt; inter hæc tamen an decreſcat primarius morbus, ubivis expendit Medicus, alioquin non probabit abſceſſus, quos fœcundas impurorum morborum cauſſas eſſe monet P. *de* MANCHETTIS *m*). Operæ certe pretium non ludet, qui in ſingulis operoſior limites ſalubritatis ex genio morbi & medelæ curatius definit. Adlicere vero plures poteſt diffuſi argumenti nec inter varia tentamina exhauſti utilitas, ut plenius conſtet de legibus, ſecundum quas ægroti per morbos ſanitati concilientur.

i) *de abd. morb. cauſſ. O.* 55.

k) *de benef. L.* 9. *C.* 8. *p. m.* 789. Addit, *& in flumen alicui cecidiſſe frigore magno cauſſa ſanitatis fuit, quomodo quorundam flagellis quartana diſcuſſa - - - Nec ideo quicquam horum, etiamſi ſaluti fuit, ſalutare eſt.*

l) *Medic. Obſ. p. m.* 210.

m) *de fiſt. ani Cap.* 4.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
TUSSI,
PUBLICE PROPOSITA
GOTTINGÆ, D. 2 SEPT. 1747.
RESP.
JO. BERNARD. MARTINI,
HANNOVERANO.

§. I.

In opere reſpirationis, quidquid impedimenti naſcitur, crebro tuſſim comitem habet & periculi monitorum, quin & vindicem. Placida naturalis exſpirationis indoles, quæ ſine impetu, ſine convulſione, ſine ſono, ſine fatigatione aërem tantum cum levi madore ſub quodam ipſius voluntatis ad id attentæ moderamine expellit, quoties involuntaria, *a*) violenta, ſonora, crebra evadit,

a) Fruſtra opponunt tuſſim voluntate effictam, quæ vera dici non magis poteſt, quam ſomnus, quem vigilantes fingunt, licet utrinque ars minus attentis illudat. Dormientem ſe aliquis ſimulabat, cum cujus uxore iocabatur *Maecenas*, at alteri eadem audenti: *perdite*, inquit, *an neſcis, me ſoli Maecenati dormire?* Ita tuſſim arte expreſſam inter ſigna, ex quibus amantes ſe intelligunt, numerat *Syrus* apud *Terentium*, ſimul autem *Clitiphonem* ſcite monet, quam ad has res perſpicax pater ſit. *Heaut. Act. II. ſc.* 3. *v.* 132. Lepide iuvenis apud *Plautum*, ut amica ſola fruatur, id poſtulat, ſi tuſſire occoepſit, ne ſic tuſſiat, ut cuiquam in tuſſiendo linguam proferat, i. e. baſiola iactare videatur. *Aſinar. Act. IV. Sect.* 1. *v.* 50. Quidquid huius artis eſt, nec Natu-

dit, aëremque cum ſputo aliisque contentis vel eiicit, vel eiicere ſeditioſo motu nititur, Tussis adpellari ſolet, actio ſæpe vehemens, verum ex Naturæ inſtituto ſalubris, dum noxia & aliena, tanquam reſpirationis obſtacula, in iſtis locis non ſine infeſta virtute hærentia, auctis exſpirationis viribus per laryngem extrudit, & ſedem vitalis viſceris ab imminente labe vindicat. Nempe id, quod inimica vi irritat ad tuſſim, eadem vi ſtringit organa reſpirationis, ut inde aër per loca anguſtiora pulſus denſatusque rapiat plerumque & auferat ſecum ipſam morboſi ſtimuli ſui cauſſam, licet ob tenacitatem ſuam & interiora latibula haud primis protinus concuſſibus, immo aliquando nullis auſcultet.

§. II.

Primum tuſſis ſtadium eſt, *b*) quo aer copioſe hauſtus, aliquamdiu retentus & rarefactus, premit latera viarum, quas per laryngem ad veſiculas usque pulmonum ingreditur & implet. Diaphragmati tum per deſcenſum complanato adnexum mediaſtinum & pericardium ſimul protenduntur, unde creſcit diſtantia a iugulo & pectoris cavitas. Tenduntur ſimul adhærentes deſcendenti diaphragmati coſtarum cartilagines, tenditur venter inferior, tumet ac dureſcit. Alterum ſtadium eſt, quo tot partes tenſæ, remittente cauſſa tendente, ad priſtinos ſitus ſui limites vi elateris ſui renituntur, laxatum diaphragma eleuatur, & reſtituto elatere coſtarum, contractilitate mediaſtini & pericardii, muſculorumque abdominalium actione ſurſum pellitur, aër per majores viarum anguſtias pulſus obvia ſoluit, abſtergit & ſecum abripit, cum ſonoro impetu per reciprocos exſpirationis ſuccuſſus.

ram plene exprimit, nec ſæpius luſit impune. Hinc tuſſim inter ſervorum crimina recenſeri, *Macrobius Libr.* 1. *Satur. c. II.* & in carcere inquiſitionis eccleſiæ Romanæ ſeveriſſime captivis prohiberi *Philipp. a Limborch. Hiſt. inquiſ. Libr. II. c. 18*, adnotarunt: adeoque ob tuſſim artis proditricem etiam veræ tuſſi non ignouit legum rigor, cuius ſingulare exemplum enarrat *Limborch* l. c. p. 162.

b) *H. Boerhaau. Inſtit. medic.* §. 636. *cum comment. Ill. Halleri T. V. P.* 1. *p.* 238. ubi in primis *Senacus* & *Winslouius* conſulendi.

ſus. At hæc quidem in tuſſi vitalis reſpirationis momenta ſunt, quæ niſi motus convulſiuus accedat, non ſufficiunt. Hic vero dum accedit, & virtutem exſpirationis animalis a muſculis pendentem convellit, præcipuum tum exprimit tuſſis characterem. Idem ſpaſmus fibras ſeu villos motrices aſperæ arteriæ, bronchiorum & veſicularum pulmonalium ſtringit, pulmonesque magis arctat, ut tanta vis ægre poſſit a muſculis vitalis inſpirationis ſuperari, jam ſurſum directa ad aſperam arteriam dejectione, quemadmodum fit in vomitu, *c*) per inverſum fibrarum motum periſtalticum. Inter hæc laryngem in primo conatu expulſionis clauſum conſideramus, quo ipſo aëris impulſi ad detergendam bronchiorum ſuperficiem actio creſcit, deinde apertum rurſus, ut promptum exitum reperiat, quidquid iſto abſterſum collectumque molimine ſine novo moræ indultu excutiendum erat. Atque id pulchre illuſtrari videas mutationibus in tuſſientium corpore conſpicuis, quibus viæ alioquin obliquiores rectiori jam tramite in os patent. Mentum movetur extrorſum, & glottidis rimulam nonnihil dilatat, lingua exſerta ſimulque deorſum tracta adnexam epiglottidem anterius ducit, ut & ſic glottis tegatur minus, ac duo loculi laryngis, quos ventriculos vocant, muco ſecreto pleni ſub depreſſa & retracta epiglottide prominentes & ad omnem tuſſis ſtimulum ſenſibiles contenta pronius effundant. *d*)

§. III.

Tanquam ſedem mali coarguunt multi pulmonem. Verum dudum GALENO *e*) patuit, tuſſim quoque integris pulmonibus naſci, imo his admodum læſis aliquando abeſſe. CHRISTOPH. ROESLERUS *f*) infantis meminit, qui dyſpnoea ſine tuſſi periit, &

c) quem ideo *Galenus* cum tuſſi comparat 2 de ſympt. cauſſ. 3.
d) conf. *Io. de Gorter Medic. Dogmat. c.* 3. § 2. *p.* 164. & 165.
e) *Galen.* 2. *de Sympt. cauſſ.* 4. & 5. conf. *Alex. Maſſarias in Pract. med. L. II. c.* 1. *p.* 193. & 194. Fruſtra *Auerroes* 4. *colliget.* 1. 52. tuſſim inter proprios adfectus pulmonum refert.
f) *Eph. N. C. D.* 1. *A.* 3. *O.* 137. *p.* 549. *cum. Schol. G. C. Wincleri.*

& in cujus dextro pulmone copia albi ichoris inſtar puris reperta eſt. Et quis non videt? tuſſim in ſaniſſimis naſci eo momento, quo micula panis, vel aliud quodcunque ſuperne in meatum ſpiritus decumbit, ubi nulla laborantis pulmonis ſuſpicio locum reperit. Non igitur ſuſcitari tuſſes niſi adfectis bronchiis, ſemperque eam canales animæ offendere, vel per ſe vel per conſenſum, concinne ſcribit ANT. MENIOTIUS, *g*) additque, nec tunicam pulmonis vel ejus parenchyma, nec morbos vaſorum pulmonalium, nedum mediaſtinum, pleuram, muſculos thoracis vel diaphragmatis vitia proprie, id eſt, primum & per ſe ad tuſſim irritare. Nimirum quidquid ad illam impellit, vel hæret in ſummo larynge, vel in aſpera arteria & bronchiis majoribus, vel profundius in *ultimis horum finibus ſeu veſiculis*, ut in phthiſi, hæmoptoe & peripneumonia notatur. ALEX. MASSARIAS *h*) tuſſis ſedem ad omnes partes & inſtrumenta reſpirationis extendit. At diſtinguenda ſunt loca, in quibus primus tuſſis impulſus eſt, ab iis, quorum in conſenſum tractorum miniſterio ipſa per tuſſim expulſio adiuvatur. Ceterum facile largimur, cum per pulmonem maxima pars tubi aërii diſpergatur, adeoque irritamenta *illa* ad tuſſim in ſinu quaſi hujus viſceris germinent, hinc domeſtica pulmonum vitia vix magni momenti eſſe poſſe, quin locis ad confinia ſua in *omni puncto* poſitis labem ſuam adſpergant.

§. IV.

Cauſſarum dictis *locis irritantium ſcrutinium nos propius* ducit ad cognitionem tuſſis idiopathicæ. Manifeſta cauſſa & intellectu facillima eſt, quæ cum aëre ſubiens internam laryngis ſuperficiem irritat. Immo ipſe aër his viis, quas conſtanter ingreditur, adeo familiaris, exceſſu qualitatum ſuarum, ut vocant, tuſſim proritat, in primis frigidior humidiorque, cui IAC. HOLLERIUS

g) *Diff. Pathol. P. II. p. m.* 476. & 477.

h) *Pract. med. L. II. c.* 1.

RIUS *i*) ſiccam & exaſperantem addit. GALENUS *k*) ubivis fere intemperiem frigidam pectori inimicam arguit, ſub qua aër liquida bronchiorum figit, ſpiſſat, accumulat, eo certiori tuſſis effectu, quod huic pariendæ potus gelidus vel pedum laterumque refrigerationes, adeoque iniuriæ frigoris ex remotioribus locis infeſtantes ſæpe ſufficiant. Nec calidum aërem, qui diſſipata lympha ſiccitatem aliquando irritantem relinquit, plane excuſamus, quamvis omnino ſub fervente æſtate, ut *Pet. Salius Diverſus l*) monet, immo ipſis ardentibus febribus rarior tuſſis ſit. Maxime pro anni & ventorum temporibus aër nunc inhibita perſpiratione *m*) tuſſim parere poteſt, nunc quod ipſe infectus adeoque malignior inſpiretur. Si autumno poſt æſtatem nimis ferventem humidiori frigus ſupervenit, vix perſpirabile acre retentum ſine ſtimulo ad tuſſim ad pectus redundare poteſt, neque tuuc in malignitate aëris, ſed unice in noxa retenti perſpirabilis

i) *Oper. Edit. Paris. p. m.* 154.

k) *Galen. Comm. V. aph.* 24. *it. de ſympt. cauſſ. L.* 1. C. 4. *Ed. Iunt. Cl. III p.* 2. H.

l) *Annot. in L. Donat. Ant. ab Altomari c.* 47. Recte etiam ex hac cauſſa dubitari poſſe, an tuſſis ſit per ſe βηχοποιος? indicat *Ant. Meniotius l. c. p.* 484. At de tuſſibus in febre ardente & ſynocho vid. inter alios *Plater L.* 1. *p.* 404.

m) Fruſtra ex pondere corporis non diminuto diebus frigoris admiſſi & tuſſis orientis pugnat contra originem tuſſis ex *læſa perſpiratione Iac. Keilius in Diſq.* 1. *medic. ſtat. Brit. adiect. p. m.* 21. cum partim dubitari poſſit de conſtantia hujus obſervationis, partim augmento aliarum ſecretionum ſive ſenſibilium ſive inſenſibilium in illo caſu locus ſit, certe nihil argutiarum illarum experientiam tam crebræ poſt ejusmodi refrigerationes tuſſis eneruare valeat. *Ged. Harueus in ſua Arte curandi morb. per exſp. c.* 27. *p. m.* 177. perſtringit eos ſimiliter, qui in tuſſi ſtatim frigus & poros cutis occluſos crepant, cum vel is, qui toto anno in hypocauſto lateat, tectus probe veſtibus & ab omni frigore defenſus diverſis anni vicibus tuſſi, gravedine, odontalgia ſimilibusque, quæ frigori tribuuntur; ſit laboraturus. Nihil hæc probant, ſi probant quidem, quam non omnem tuſſim a refrigeratione pendere. Hanc vero ut cauſſam præ aliis frequentem bene G. E. *Stahlius in Not. ad illam Satyr. G. Haruei. p.* 179. vindicat.

bilis, ratio tuſſis quærenda eſt. Ab hac vero licet communi cauſſa plures raro laborant: præterea enim quod robuſtorum hominum perſpiratio a tempeſtate hac humida & frigida non protinus lædatur, tum quoque retentum perſpirabile non eadem in omnibus excedit copia, nec eodem lædit corruptelæ gradu. At ſi æſtas præceſſit calida & humida, qualis ad putredinem euehit, vix ſubitum frigus, in primis cum humiditate conjunctum, ingruere poteſt, quin crebras tuſſes autumnales, easque epidemicas & malignas pariat, quas pauci effugiunt. Nam præcedens calor exaltavit humores noſtros, hinc a ſuppreſſa poſtmodum perſpiratione nocentiores bronchiis incumbunt. Exaltavit etiam vitium corruptarum partium in aëre hærentium, quæ deinde ſub ingreſſu frigoris per altiora loca minus diffuſæ inſpiranti ſe offerunt propius, unde major tam in aëre quam in corpore noſtro corruptela malignitatem illam tuſſis epidemicæ gignit. Talis quoque ob magnas a primo vere natas caloris frigorisque viciſſitudines in his locis & vicinis per totam æſtatem elapſam vehementer ſæviit, & paucis familiis pepercit, omnium minime infantibus, inter tetras exanthematum ſpecies magna ſtrage occumbentibus. *n*) Verum ab epidemicis malis ad illa tranſimus, quæ aëri etiam puriori ſub momento inſpirationis ſe aliquando miſcent, ut pulveres tenues, quales errhini, vel qui ex lino, dum pectinatur, aut tritico, dum cribro excutitur, ſurgunt, halitus vini vel

n) Qualem ſtatum tuſſium epidemicarum *A.* 1695. circa Ulmam, cum longa & anceps hiems nebulis pluviisque ſine Martii ſolveretur, nulli fere infanti parcentium deſcribit *I. Francus Eph. N. C. D.* 3. *A.* 3. *O.* 75. *p.* 103. Similis tuſſis epidemicæ infantilis Eperienſis *Reimannus*, Erfurtenſis *Vogelius* meminerunt, ille in *Bresl. Geſchicht, Verſ.* 35. *p.* 312. hic ibid. *Verſ.* 37. *p.* 302. conf. quæ *Th. Sydenham in Ep. Reſp. ad Rob. Brady de tuſſi epidem. A.* 1675. habet. *Oper. p.* 310. *ſq.* & *Th. Bonetus in Sepulch. Anat. L.* 2. *Sect.* 3. *O.* 32. *cum ſchol. p.* 489. de tuſſi *A.* 657. Neocomi in Heluetia per æſtatem ſæviente, a qua vix puer aliquis immunis manſit. Valet de plerisque ſpeciebus, quod *D. Metzger* dixit *in ep. Dold.* haud ſibi ſupereſſe in pharetra remedium, vel quod *I. N. Binninger C. III. O.* 30. cenſuit, nec evacuantibus, nec bechicis, nec uterinis nec cephalicis, nec alexipharmacis cedere eiusmodi tuſſes.

vel aceti calentis, fumi ſulphuris, vapores minerales & metallici, ſales volatiles, ſpiritus acidi vel fermentati, aliaque multa, ex quibus qui tuſſit, vix cauſſam ejus neſcire poteſt. Neque ſtillantem, quæ intra oris & faucium lacunas colligitur, materiam catarrhoſam excipio, qua illa HIPPOCRATIS *o*) ſententia illuſtratur, *infantibus*, quorum vua major eſt, tuſſim in ſuctu inſtare. Poteſt ad latera glottidis, non impediente epiglottide *p*), quippe catarrhoſis humidiora deſcendere, quod ad tuſſim ſtimulet, unde ante deſcenſum illum mucilaginoſa lente deglutita inviſcant acria & leniunt tuſſim. Præter hæc, quibus externe aditus in laryngem patet, ſunt etiam aliena in cavo meatuum aëri patentium nata. Nunc enim ventriculi laryngis muco, calculo, thrombo, immo aliquando vermibus oppleti reperiuntur, nunc nimia harum partium ſiccitas eſt, ut in acutis, & lympha laryngem oblinens concreſcit, & ſua duritie irritat, urgente tunc tuſſi inter eiecta duriuſcula. Tota tubi aërii membrana lacunis muco plenis prædita eſt, cujus vel acrimonia vel concretio in corpuſcula grandinoſa & ſpeciem calculorum non caret ſtimulo ad tuſſim. Eadem membrana, quæ fauces gignit, aſperam quoque arteriam interne inveſtit, utrisque locis in coryza vel gravedine humor acris irritans ſecernitur, quem olim ſtillicidio cuidam capitis tribuebant, quod ſimul caput gravari, osque & nares ſtillare animadverterent, cum tamen etiam in propriis ſedibus ob congenerem fabricam idem vitium facile ſcaturiat. Non omitto inflamma-

o) *de dentit. vid. Edit. Lind. T.* 1. *p.* 591. *II.* 14. Nempe hic copia acrioris muci, qui ſuctu agitatur, cauſſa æque eſt vuæ prolongatæ, quam tuſſis. Hinc etiam tuſſes in tonſillarum deſtillatione aluo amplius ſubducta ſolui *Hippocrates* docet. *Op. T.* 1. *p.* 591. *III.* 10.

p) Concinne *Plutarcho Op. T. II. p.* 698. *C. Sympoſ. L. VII.* epiglottis quidem dicitur καθαρὸν τῷ πνεύματι δρόμον φυλάττουσα, at & ibidem μέταυλος κλίσιν ἐπ' ἀμφότερα λαμβάνουσα, quod non modo inter loquendum oſcitandum ridendum fit, ſed inprimis ex morboſa, quam adluens catarrhus inducit laxitate, vel etiam ſenili illa & contractiori calloſitate, quæ minus perfecte glottidem claudit, unde immedicabilis ſenum tuſſis.

flammatam internam laryngis membranam, in anginoſis ſicca & clangoſa tuſſi moleſtam. Conſtans fibris motricibus & vaſis, hinc inflammationis & irritationis capax idem patitur, quod aliæ partes phlegmone vel eryſipelate adfectæ, dum agitantur: unde difficultas, moleſtia & dolor, ſputumque nullum vel ſubuiride tuſſientium, quale HIPPOCRATES in anginoſis deſcribit. Quæ demum ex magna vociferatione, cantu riſuque tuſſim gignunt, dum crebra inſpiratione, varia laryngis conſtrictione & aëris concuſſione irritant, pariter ad cauſſas domeſticas refero. Atque hi quaſi proprii limites ſunt tuſſis idiopathicæ & primariæ, ampliorem etiam ambitum habet ſympathica & ſymptomatica. Proxima loca, quæ laceſſunt vias aëris, ſunt in pulmone, cuius infarctus inflammatorii *in peripneumonia & pleuritide*, cruda tubercula, vomicæ, abſceſſus, & hinc natæ phthiſes & empyemata, nec minus hydatides, varices, aneuriſmata, ſcirrhi cum lapidea ſubinde pulmonum duritie vix concipi poſſint ſine irritamento ad tuſſim, ut omnino mireris, in duce Venetorum FR. CANRARENO *q*) levem adeo nec continuam tuſſim fuiſſe, in cuius tamen pectore libræ quinque aquoſæ materiæ repertæ ſunt, dexter pulmo mucoſo humore plenus, ſiniſter in ſaniem reſolutus. Quid vitia pericardii, meſenterii, pleuræ, diaphragmatis, effuſa in cavum pectoris *vel abdominis humorum colluuies*, coſtæ fractæ, vertebræ luxatæ valeant ad *gignendam tuſſim*, conjectu difficile non eſt. Hepatis, lienis, ventriculi aliarumque partium vitia etiam remotiora, partim per commercia nervorum, partim per communes circulationis leges, transferunt ſimiles ſtimulos ad tuſſim. Maxime hic reſpicio acrimoniam humorum in toto corpore peccantem, ut in cachecticis & ſcorbuticis, ubi ſecretionum fontes omnes inquinati etiam tuſſim, quam habitualem vocant, pariunt. Metaſtaſes ex ſcabie, podagra, ulceribus vel fonticulis con-

q) conf. *Th. Boneti Sepulch. Anat. L. II. Sect.* 3. *O.* 3. *p. m.* 475. Verum hoc confirmat, quod ſuperius diximus, labem pulmonum inter proprios cancellos ſubinde ſubſiſtentem non ſemper neceſſario ad vicina bronchia vim furoris ſui convertere.

conſolidatis, refrigeratis pedibus, diſcuſſo oedemate, repulſis acribus per ſtaſin humoribus ingentem rurſus tuſſium varietatem condunt. Quid ex nervorum conſenſu fiat, intelligi maxime poteſt ex nervo paris vagi & intercoſtali, quorum multæ propagines ad laryngem abeunt, & ſub communi capſula ad alias partes, quæ hinc plus laryngi conſentiunt. Hæc omnia veluti illuſtrari obſervationum copia poſſunt, ita vix pedem cohibeo, quin in earum ſyluam undique patentem pro dictis confirmandis nonnihil excurram.

§. V.

Sic enim in promptu erit ad recenſitas claſſes revocare, quæ ſpeciatim tanquam tuſſium cauſſæ ab auctoribus recenſentur. De illapſis in tracheam vel ibidem genitis & tuſſi iterum eiectis multa ſuppetunt, ex quibus quædam attingo. AL. HERM. CUMMENUS *r*) tuſſientis & macie jam confecti meminit, qui non niſi poſt eiectum *fruſtulum putaminis nucis avellanæ* ante tredecim menſes in tracheam delapſum priſtinæ valetudini redditus eſt. P. BORELLUS *s*) ducem Rothomagenſem nominat, cui fruſtulum nucis myriſticæ eadem via illapſum pariter longam tuſſim & extremam maciem peperit, donec magno conatu extuſſiret moleſtam moleculam. Pertinet huc obſervatio I. L. HANNEMANNI *t*) de tuſſi ſabuloſa molitoris: his enim hominibus, ut lapicidis, crebrum aſthma cum tuſſi eſt ex inſpirato illo pulvere, *in* ſabuloſa & lapidoſa fruſtra per pituitæ *vinculum* ſenſim denſato. De eiectis vermibus I. FERNELIUS *u*), de calculis M. TILINGIUS

r) *Eph. N. C. D.* 1. *A.* 3. *O.* III. *p.* 181. De *nucleo avellanæ inter ridendum illapſo & bimeſtri ſpatio hærente conf. T. Barthol. c.* II. *Hiſt.* 27. *p.* 217.

s) *Cent.* 4. *O.* 63.

t) *Eph. N. C. D.* 3. *A.* 5. *&* 6. *O.* 63. *p.* 126.

u) *L. VI. Pathol. c.* 10. conf. *Galen.* in calce *L. IV. de loc. adfect.* it *A. Beniuen. de abd. morb. cauſſ. c.* 24. *&* 77. *& Aloyſ. Mundell dialog.* 4. *N.* 42.

GIUS *x*), de ossiculorum fragmentis F. LACHMUND *y*), de nucleo cerasi crusta lapidea obducto EM. KOENIGIUS *z*), de calce pilis vaccinis mixta, quali fabri murarii utuntur, I. M. MULLERUS *a*), de globulo crystalliformi ex gypsea pituita ad magnitudinem auellanæ coeunte ZAC. LUSITANUS *b*), de aliis mirabilioribus, hinc fide non semper dignis, alii testantur. Quæ velut ex parte etiam e corrupto penu pulmonum promuntur, ita hic crebras tussium causas illustrant HIPPOCRATES *c*) de varice pulmonum, TH. WILLISIUS *d*) de lutulentis pulmonum humoribus, R. *de* GRAFF *e*) de pulmonum vasis & parenchymate flatu distentis, TH. BONETUS de lapidea pulmonum duritie, qui etiam de crudis eorum tuberculis vel abscessibus vel lobis accretis exempla hinc orientis tussis collegit. *f*) Quod de ipso pulmonum parenchymate & venis reiectis V. A MÖLLENBROCCIUS *g*),

TH.

x) *Eph. N. C. D.* 1. *A.* 6, *&* 7. *O.* 132. *Schol. p.* 176. Cui convenit observatio *I. D. Dorstenii ibid. D. III. A.* 3. *O.* 63. *p.* 153. *G. H. Welschii ibid. D.* 1. A. 1. *O.* 158. *p.* 337. *&* *I. Schmidii ib. A.* 9. *&* 10. *O.* 55. *p.* 143. *&* *I. Nic. Pechlini L. II. O.* 4. De lapillis electis conf. *P. Aeginet. L.* 3. *p.* 31. *Alex. Trallian L. V c.* 3. *R. Dodon. Obs. medic. c.* 23. *P. Forest. L.* 14. *O.* 16. *in schol. W. Hoefer Hercul. med. L.* II. c. 2. *I. Franc. in Eph. N. C. D. III. A.* 3. *O.* 71. *p.* 88. *A. Stegmann. ibid.* A. 4. *O.* 109. *p.* 228.

y) *ib.* D. 1. *A.* 4. *&* 5. *O.* 175. *p.* 136. *&* *O.* 24. *p.* 26. Ita *Columbus L.* 15. *de iis, quæ raro in Anatome fiunt*, ossa in pulmonibus *Fr. Capelli* non parua reperit. De osficulo in tracheam impacto, mortis causa vid. *Th. Boneti Sepulchr. Anat. l. c. O.* 16. *p.* 482.

z) refert ex ore *Barbeyrac* Medici Monspelienfis de femina scorbutica per quinque menses tussiente, quæ post electam hanc molem ita conualuit, ut reiuueneſceret. *Eph. N. C. D. II.* A. 6. *O.* 9. *p.* 100.

a) Quod de ipso filio enarrat. *Eph. N. C. D.* 9. *&* 10. *O.* 63. *p.* 371.

b) de sene cum suffocationis periculo tussiente & illo globulo reiecto convalescente. *med. princ. Hist.* 37. *L. II. O.* 8.

c) *de morb. int. Text.* 5.

d) *Pharm. Rat. P.* 2. *Sect.* 1. *c.* 3.

e) *de succ. pancr. c.* 2. §. 182.

f) *Sepulchr. Anat. l. c. O. XI. p.* 478. *conf. O. XV. p.* 481. *& XVII. p.* 482.

g) *ibid. O. IX. p.* 477. *de tuberculis crudis instar cotyledonum vaccinarum; de absc. & lob. accret. O. XIV. p.* 481.

Th. Bartholinus *h*), N. Tulpius *i*), & alii plures recenſent, iuſtos iis ſcrupulos mouent, qui anguſta loca ingreſſus in bronchia cum tali mole comparant, & pro ſanguine in bronchiorum truncos effuſo, ad figuram ramoſam concreſcente, ſenſimque contracto & tunc ad exitum mobiliori interpretari malunt. Tuſſim ex vitio pericardii, mediaſtini, diaphragmatis, non minus quam a ſpina incuruata & abſceſſu ſub axilla ſiniſtra Th. Bonetus *k*), ab aqua in cauo pectoris I. Iac. Wepferus *l*) & in primis Vratislauienſes exemplis illuſtrant. De tuſſientibus ſpleneticis Aetius *m*), de hepaticis Bonetus *n*) iterum conſuli poſſunt. Ex catarrhis milienos tuſſire G. E. Stahlius *o*), ex dentitione difficili puerilem tuſſim exſurgere alii adfirmant, ſine dubio, *quod largius tum per ambitum oris ſecreta lympha irritet* quoque laryngem, immo aliquando in eum depluat. I. C. Grimm *p*) puerum ex dentitione per novem hebdomades tam graviter tuſſientem deſcribit, ut notabili intervallo aliquando reſpiratio deficeret. At ſtatim & fere per faſcinum emergentibus dentibus tuſſis evanuit. *Creberrimæ tuſſes poſt repreſſas excretiones*, & per metaſtaſin ingruunt. Obſervavit I. P. Albrecht *q*) ex podagra introverſa tuſſim & phthiſin, Chr. Gottl. Reusnerus *r*) tuſſim ferinam ex ulcere brachii ſanato, quo tamen iterum exorto tuſſis ſiluit, cui fere convenit, quod Chr. de Hell-

h) *Eph. N. C. D.* 1. *A.* 2. *O.* 91. *p.* 266.
i) *Cent. III. Hiſt. Anat.* 98.
k) *Obſ. L.* 2. *c.* 12. *&* 13. *conf. Zac. Luſit. L.* 1. *Prax. Admir. O.* 110.
l) de mediaſtino inflammato *l. c. O.* 24. de pericardio inflammato *ib. O.* 25. de iisdem cum diaphragmate inflammatis *ibid. Obſ.* 18. de ſpina incuruata *O.* 21. de abſceſſu ſub auxilla *O.* 19. agit.
m) *Eph. N. C. D. II. A.* 10. *O.* 171. *Schol. p.* 327. vid. *Hiſt. morb. Vratisl. ab A.* 1699. *ad* 1702. cum nova præf. *ill. Halleri p.* 435. *&* 458.
n) *L. XV. Tetrabibl.* 3. *Serm.* 3.
o) a fervore hepatis *l. c. O.* 29.
p) *l. c. in Satyr. Haru. p.* 179.
q) *Eph. N. C. A.* 9. *&* 10. *O.* 88. *p.* 162.
r) *ibid. D.* 3. *A.* 5. *&* 6. *O.* 26. *p.* 59.
s) *ib. Cent.* 5. *O.* 9. *p.* 25.

HELLWIG *s*) circa excoriata loca femoralia notavit, a quibus conſolidatis repulſum acre ſerum mictum cruentum peperit, & hoc ceſſante vehementem tuſſim. Illa, quæ poſt variolas ſuperſtes in tabem deſinit, obſervante G. FRANCO a FRANCKENAU *t*), & poſt morbillos tam ſuſpecta cum aliis VITO RIEDLINO *u*) habetur, non minus malignum metaſtaſium genium arguit. Ex uſu purgantium draſticorum *x*), ab eſu nucum iuglandum *y*), ex vino *z*) ſimilibusque, qui ortam notarunt tuſſim, eam diffuſis adſumtorum ſtimulis tribuunt. Quod certe in cacochymia humorum acri magis metuendum eſt. Latentioris indolis tuſſes ſunt, quæ nervorum conſenſui debentur. Talem ex acrimonia ceruminis aurium ortam SIGISM. SCHMIDERUS *a*) memorat, & conſenſum *laryngis cum auribus per ramum nervi* acuſtici evincit. Ex ſimili conſenſu inter thoracem & genitalia vidit ſedatam iuvenis tuſſim, inſecuto tumore teſtium, quod hi vinculum ex communi nervo habeant, qui ad laryngem abit. Atque id dudum, HIPPOCRATI *b*) conſtitit, qui a dolore forti in teſtes irruente tuſſim ſiccam ſolui, & alio loco *c*) teſtium inflammationem tuſſi ſuperveniente ceſſare docuit. Nec forte ſtomachalis tuſſis alia ratione nititur. An a lumbricis ſtomachum infeſtan-

t) *ib. Obſ.* 60. *p.* 100.
u) *ib. D.* 3. *A.* 4. *O.* 1. *p.* 2.
x) *lin. medic. A.* 6. *Iul. O.* 13. *p.* 776. De tuſſi prodromo in morbillis infantum agit in *Eph. N. C. D.* 3. *A.* 4. *O.* 11. *p.* 25.
y) *lin. med. A.* 3. *Maj. O.* 31. *p.* 349.
z) *ib. A.* 6. *Iul. O.* 16. *p.* 1218. Non minus *Plinius* nuces iuglandum tuſſientibus inimicas vocat *Hiſt. Nat. T.* 1. *Ed. Hard. p.* 319. *LXXVII.* 6. it. nuces pineæ *ib. p.* 378. *LXXIV.* 7. palmas *p.* 311. *L. I.* 2.
a) De vino hiſpanico *Sam. Ledelius in Eph. N. C. D.* 2. *A.* 6. *O.* 29. *p.* 83.
b) *Eph. N. C. Cent.* 3. *O.* 82. *p.* 203. Scribit, cum de tuſſi feminæ cogitaret tam contumaci & nullis remediis auſcultante, divinaſſe cauſſam, cum eo tempore ſibi ipſi aures penna vellicando tuſſim excitaret. conf. *I. R. Camerar. Memor. c.* 13. *p.* 61.
c) *L.* 2. *Epid. S. V.*
d) *L.* 2. *Epid. S. I.*

feſtantibus tuſſis pendet? adſeruit TRALLIANUS, negavit GALENUS *d*) tanquam rem nec ratione nec experientia nitentem. Nos neque hanc adverſam reperimus, neque illam in conſenſu nervorum leviter ſtabilitam, ut docent pectoris morbi, qui ſæpe vomitum, & vitia ventriculi, quæ ſæpe tuſſim excitant. Mirabile exemplum eſt I. LANGELOTTI *e*) de IO. FRIDERICO Archiepiſcopo Bremenſi, quem ſcribit tuſſi ſicca & continua laborantem & inter hæc contabeſcentem pro conſummato phthiſico a medicis ſuis habitum occubuiſſe. In cadauere vero pulmones intemerati adparuere, at ventriculus corruptus putridusque, qui levi attactu in ſquamas & membranulas abiit, tanti foetoris, ut præſens chirurgus olfactum omnem perderet & nunquam recuperaret.

§. VI.

Mala a tuſſi metuenda plenius cognoſcuntur ex indole partium, quas *illa ſtringentis vel concutientis motus ferocia nunc propiori nunc remotiori contactu lædit.* Prima vis in pectore tanquam propriis ſedibus ſentitur, & varicoſam ex tuſſi diuturna pulmonum dilatationem, quæ periculoſa & formidabilis aneuriſmatis ſpecies eſt, *ſpadon* dicta, relinquit, teſte IO. RIOLANO. *f*) Dum cauſſa irritans partim villos bronchiorum contrahit & contenta agitat, partim muſculos ad pectus ſtringendum conſpirantes in conſenſum ſævioris ſpaſmi vocat, *ſanguinis* æque ac ani-

e) *L. 6. Epid. S. 2. Comm. 17. & 24. millies absque tuſſi lumbricos os ventricusi infeſtaſſe vidimus, inquit Cl. III. p.* 163. *D.* Adſentitur *P. Sal. Diverſus*, & tuſſientes quidem laborare interdum lumbricis largitur, at cum non ſint in partibus ſpiritalibus, negat cauſſam tuſſis eſſe poſſe. *vid. Annot. in Altomar. c.* 47. Vermes ad fauces adſcendendo laryngem ad tuſſim ſtimulare, docet *H. de Saxonia præl. Patau.* 1. *Qu.* 26.

f) Teſtatur id ex ore eius, qui a ſecretis principis fuit, & fœtorem illum puridiſſima quauis aura olentiorem fuiſſe adſeveravit. *Eph. N. C. D.* 1. *A.* 6. & 7. *O.* 6. *p.* 16.

g) vid. *Enchirid. Anat. L. III. c.* 6. *p. m.* 212.

animæ meantis ſummæ ſunt anguſtiæ, quæ nunc in peripneumonias, nunc urgente ſanguine in rupturas vaſorum, hæmoptyſes, vomicas, phthiſes, immo aliquando, quod peſſimum eſt, in ſubitas ſuffocationes deſinunt. Simul aer per anguſtatas fauces truſus ſæpe anginam ſuo impetu, ſæpe abraſo partium illarum naturali glutine raucam vocem gignit. Præterea tuſſis tum quaquaverſum humorum motum *g*) tum maxime in baſin cranii & contenta encephali *h*) intendit: unde tuſſientium oculi intenſiori colore ſuffunduntur, facies ad livorem rubet, caput dolet pulſatque, & ad ſenſum quaſi finditur, ſcotomiæ, vertigines, hæmorrhagiæ, quin & ruptis vaſis apoplexiæ ſequuntur. GOTTFR. DAV. MAYERUS *i*) puellæ mentionem facit, quæ violenta tuſſi *in ſanguinis fluxum per os nares & oculos incidit, ac tabe conſumta periit.* FRID. FERD. ILMER a WARTENBERG *k*) rupta a tuſſi ferina non modo pulmonum ſed & cerebri vaſa commemorat, unde poſt cephalalgiam deliria, convulſiones & mors. Dum denique quatiens tuſſis premit contenta abdominis, hæc in locis minus ſuffultis extruſa pariunt hernias ad umbilicum, ſcrotum & inguina, ubi peritonaei coercentis robur debilius vim illatam *retundit*, vel procidentias uteri, vaginæ & inteſtini recti, quæ loca apertiora, *ſuis firmata tantum ſphincteribus*, cedunt ex ſede ſua & ad majorem *impulſum protruduntur. Ita tuſſi ſciſſam tunicam* inteſtinorum, & hæc *in ſcrotum devoluta legimus* de puero ſexenni apud A. BENEVENIUM *l*). Huc periculum refer *abortus*, quandoquidem uterinæ fibræ ad excludendum fœtum con-

h) Quam augeat tuſſis motum humorum, vel in iis adparet, quibus ex vena ſecta ſanguis non fluit, at ſi tuſſim excitas, obiecto naribus aceto, pleno alueo exundat.

i) Vnde *Galenus* dixit, tuſſibus vehementibus caput repleri, *L. VI. de morb. vulg. Comment. II.* Ipſos ſinus cerebri in tuſſi elevari notat *Adr. Slevogt de dura matre Nr.* 50. qualem agitationem in hominis viventis ablato cranio *cl. Saltzmannum* conſpexiſſe teſtatur ill. *Hallerus in Inſt. Boerhaav. T. V. P.* 1. *p.* 239.

k) *Eph. N. C. Cent. VI. O.* 67. *p.* 325.

l) *ibid. D.* 1. *A.* 1. *O.* 68. *p.* 169.

i) *de abdit. morb. cauſſ. Obſ.* 64. *p. m.* 466.

conſtringuntur fortius, quàm ſtrictum os uteri reſiſtit. Illud etiam hic notabile malum eſt, quod alui & veſicæ officium adeo inſigniter labefactat. SAM. LEDELIUS *m*) natam inde eſſe involuntariam alui deiectionem ſcribit, ſive toro ſive foro ſive templo verſaretur. G. W. WEDELIUS *n*) feminæ meminit, quæ inter tuſſiendum profudit lotium, ut alii eodem tempore cibum ex ventriculo vel ſanguinem ex naribus. Inter quæ omnia corpus diu noctuque agitatum, nec quiete & ſomno refectum, ſenſim exhauſto omni vigore laborat univerſæ coctionis vitiis. Crudi humores intra laxata vaſa congeſti in hydropem, cachexiam & tabem prona via tendunt. Si reſpicimus partes per conſenſum & metaſtaſin adfectas, novus malorum campus ſe pandit. *Hic morboſum in alia loca ferri, ibi perſiſtere in loco priori*, & nervorum membranarumque ex eadem capſula emergentium communione alias partes in mali ſocietatem trahere, jam monuimus. Ita vero ſingultus & cordis tremor per conſenſum eſt, arthritica labes metaſtaſi debetur. Tenuis humoris frequentior metaſtaſis eſt, verum etiam promptior ad priſtina loca, per longam iniuriæ adſuetudinem magis diſpoſita, regreſſus.

§. VII.

Ut tuſſi præ ceteris animalibus obnoxii ſunt homines *o*), ita inter hos magis laborant, quorum gibboſum pectus anguſtius eſt,

m) *Eph. N. C. D.* 3. *A.* 9. *&* 10. *O.* 64. *p.* 128.

n) *ibid. Dec.* 1. *A.* 9. 10. *O.* 84. *p.* 220. *cum ſchol. G. Schultzii*, qui ſimile exemplum adnectit: quale etiam exhibet *C. F. Paullini* de muliere ad levem tuſſiculam ſubito mingente, hinc pudendo veſicam adligante. v. *ibid.* D. 2. *A.* 5. *O.* 78. *p.* 51.

o) Inter problemata *Ariſtotelis* eſt *Sect.* X. *Quæſt.* 1. *Oper. T. IV. p. m.* 991. cur homo tuſſiat, non bos & alia animalia? idne fiat, quod homo humidioris cerebri ſit, an quod animalium mucoſæ ſordes aliorſum pronius decumbant? Adde, an erectus hominis ſitus plus faueat retinendæ & figendæ pituitæ? Verum generatim conſtat, animalia rectius quam hominem ſecundum præcepta Naturæ vivere, ac minus adfligi morbis, hos etiam natos a nobis negligentius obſervari. Vide tamen de tuſſientibus bovibus *Th. Bartholini Hiſt. Anat. VI. Cent. O.* 97. *p.* 374.

eſt, ac pulmo minus explicabilis. Hos difficulter ſpirare, ſtridulam faucium aſperitatem habere, & tuberculis circa pulmonem duris crudisque plerumque laborare, in quo rationes tuſſis non ægre adgnoſcis, HIPPOCRATES docuit *p*). Præ ceteris id mali ſuſtinent debiles tenerique, quibus familiares ſunt ſuppreſſæ perſpirationis noxæ, ad pulmonem ruentes, vel qui *læſarum* coctionum vitio humoribus viſcidis & acribus per totum ſenſim corpus, adeoque & aeris meatus, diſperſis ſcatent. Nec minus huc pertinent, qui in morbos convulſiuos, quibus adeo adfinis tuſſis eſt, proniores ſunt, ut viri hypochondriaci & feminæ hyſtericæ. Aetatem ex dictis canſſis primam maxime & poſtremam tuſſis adfligit. Senes certe qui non tuſſiunt, rari *ſunt*, & rarus artis, *quæ illis conſulat, ſucceſſus.* Nempe languidiori eorum motu nata pituita per longam ſtaſin & hinc orientem acrimoniam perennes renovat tuſſium cauſſas. Adde minus perſpirare ſenes, & eorum a retento perſpirabili bronchia oppleri, Præterea ut ſenum membranæ rigeſcunt, ſic perit ſenſim illa epiglottidis mobilitas, qua opus erat ad occludendam & ab illapſu defendendam laryngis rimulam *q*), in quam proinde deglutiendo facilius jam deſcendit, quod tuſſim movet: neque id ſolum de cibo & potu, ſed & de ipſa ſaliua & muco oris, in primis dum decliuiori ſitu *ſomnum captant, moleſte irruentibus* intelligendum eſt. Infantum corpora, *etiamſi parum quoque* perſpirent, & ob inertiam ac laxitatem pituita oppleri ſoleant, robore tamen ætatis illæ ſenſim cauſſæ imminuuntur & evaneſcunt, quæ in ſenibus *plus noui* incrementi quotidie capiunt, quippe in quibus perſpirationis *læſæ & creſcentis rigiditatis noxas* corrigere velle, quid aliud eſt, quam ipſius ætatis medelam moliri? In eo autem plus pueris metuendum eſt, quod ob tenerum nervorum ſyſtema in convulſiones procliviores triſti convulſiuarum tuſſium fato præ aliis occumbant. In media ætate præter debiles frigidos

Dudum ſulphur ut remedium pro tuſſientibus bobus laudavit *Vegetius de re veterin. L. III. c.* 68.

p) *De artic. T. II. p.* 794. *XXXVII.* 6. 11.

q) *v. ſupra p.* 10. *Not. b.*

gidos pituitoſos haud illos prætereo, qui in declamando vociferandoque modum non tenent, vel in cachinnos effuſi intendunt molimina reſpirationis, vias aereas plus concutiunt, & lymphæ rivos vix ſatis iterum diſſipandos adliciunt.

§. VIII.

Tuſſis, quam pro variarum cauſſarum ſede ut idiopathicam & ſympathicam, primariam & ſymptomaticam conſideravimus, plures ſub ſe ſpecierum differentias comprehendit. Generatim ratione indolis ſuæ in benignam, quæ lenius adfligit nec diu durat, remediis autem cito auſcultat, & in malignam, quæ contumacius perſiſtit, medicaminum vim eludit, & ſæpe epidemicarum tuſſium exemplo occidit, diſtingui ſolet. A quo parum diſcedunt, qui tuſſim in mitem & ferinam diſpeſcunt, modo quod hæc vehementiam arguat, non ſemper malignitatem, cuius occultæ inſidiæ lenitatis aliquando larva opprimunt. Ferinæ ſpecies eſt convulſiua. Quamvis enim uti vomitus ita tuſſis vix ſine veſtigio convulſionis ſit, in hac tamen maxime ad ingentem anxietatem ſtricto pectore & liuente facie prope ſuffocantem reſpicimus. Corripit hæc convulſio non ſolum muſculos animales, ſed & vitales, ut qui alterne laxari & ſtringi debebant, nunc in perpetua fere conſtrictione perſiſtant, & vix tempus inſpirandi ſuppetat, continuus autem pergat exſpirandi nixus, etiam ubi aëris, qui expelli poſſit, parum vel nihil reſtet, unde impedita renovatione aëris & circulatione per pulmones nunc deliquia animi imminent, nunc ſubita ſuffocatio ſpem omnem iugulat. Chr. Menzelius puellæ trium annorum meminit, quæ vegeta & cum ſorore ludens improviſa tuſſi tam valide oppugnata eſt, ut uno ſpiritu eliſo nullo per inſpirationem redeunte rueret in matris gremium, mox ſanguine in vultum ſuffuſo ſeſe præcipitaret ſub menſam, & ſub ea confeſtim ſuffocata exſtingueretur. Diſſecta paulum ſub larynge craſſæ pituitæ fruſtum inſtar piſi arctiſſime impactum exhibuit, quod tuſſi elidi impos præcluſit uno velut momento

to ſpiritum *r*). Cuius tuſſis ſpecies eſt, quæ Gallis Quinta vel Quintana dicitur, forte ob clangoſum ſonum, tono muſico eius nominis non multum abſimilem, vel ob eundem quinis circiter horis nova vi inſultare ſolitum. Nondum, inquit Gu. Ballonius *s*), auctorem legi, qui de ea tuſſi verba faceret, quæ ſic irritat pulmonem, ut niſus ille excutiendi moleſtum nec admittat ſpiritum, nec viciſſim reddat, & æger tumens quaſi & ſtrangulatus hærentem faucibus ſpiritum premat. Vulgare magis diſcrimen tuſſium eſt in humidas & ſiccas. Humidas a catarrho ex ſacra Palladis arce in pulmonem ſubiectum depluo Ios. Lanzonus *t*) deriuat, at cujuscunque ſint originis, materiam in viis aeriis hærentem & cedentem impulſui cum levamine plerumque indicant. Tuſſis ſicca & inanis raro ſine omni ſputo *u*) eſt, certe ſenſim vi urgentis motus humidior evadit. Solet illa ſiccitas tuſſis admodum torquere ægros a membrana laryngis interna inflammata, comitatur morbos acutos & epidemios multos, eosque, qui ex conſenſu tuſſim cient, inprimis tecta pulmonum vitia, tubercula cruda, vomicas, varices, hydatides & ſimilia. In omni enim hoc caſu peccans materia non adfluit ad vias aereas, ut tuſſis eam expellere poſſit, idque pariter de tenui & acri deſtillatione valet, quæ expellenti virtuti ſe ſubducit *x*). Illæ autem in primis tuſſes ſiccæ

r) *Eph. N. C.* D. 11. *A.* 4. O. 62. *p.* 135. D. Præſidis frater G. F. RICHTERUS Profeſſor olim Lipſienſis ſic Leidenſroſtiam ſuam amiſit, quæ ex abortu debilis poſt noctem ſatis commode peractam, cum mane corporis ſitum commodius quietura paululum mutaret, & prius aliquid, quod in pectore hæreret, eiicere tuſſi tentaret, hac vehementer correpta protinus cum ſtupore præſentium & opem fruſtra quærentium ſuffocata eſt.

s) *Eph. L.* 2. *p. m.* 239. cauſſam coniicit in pulmone eſſe, quia poſt majores conatus ſenſim copia ſemiputridorum eiicitur.

t) *Oper. T. II. p.* 137.

u) Hinc Græci tuſſim βῆχα nuncupant, a βήσσειν, quod *Hippocrati* non modo tuſſim, ſed & ſputum tuſſiendo eiectum, uti βῆγμα eidem tam tuſſim qnam ſputa ſignificat conf. *Aut. Meniot Diſſ. pathol. P. II. p. m.* 476.

x) *Galen. I. morb. vulg. Comm. I.*

cæ humeſcunt, in quibus inueterata mala vim bronchiis inferunt, & morboſum ruptis cataractis admittunt, ut in phthiſi, empyemate, peripneumonia, pleuritide aliisque huius generis adparet. Qui durationem tuſſis ſpectant, diſtinguunt in continuam & intermittentem. Illa ſtabilem ut plurimum in pulmone vel viſcerum infarctu vel communi humorum corruptela ſedem habent, ut cauſſa tuſſiendo non eiici, certe non exhauriri poſſit. Intermittens vel vaga eſt, ut in ſcorbuto, vel periodica *y*), ut in paroxyſmis febrium vel intervallis chyli ad pulmones delati. Inter tuſſes, quæ adfecta loca proprius deſignant, eſt pectoralis, ſtomachalis, hypochondriaca, ſplenica, catarrhalis, rheumatica, & aliæ, quarum partim ratio ex dictis conſtare poteſt, partim in medela plenius conſtabit.

§. IX.

Illa ſpecierum, cauſſarum & eventuum varietate, quæ in tuſſientibus plus vel minus ad illud malum diſpoſitis ſe offert, nititur, præſagiorum fides. Benigna tuſſis, in qua Natura digerendo expellendoque ſibi ſufficit, pulmonem ſæpe ſalubriter moderato motu & inter mobilia ac cocta ſputa expurgat, certiori fide vernalis quam autumnalis. Quamvis enim major ſit pulmonis dignitas, quam ut emunctorii vices gerat, hoc tamen adſuetis obſtruendum temere non eſt, nec derogat nobilitati viſceris vilitas miniſterii toti corpori ſalutaris. Præſtat tuſſis humida, quæ conſumit vel minuit mali cauſſam, præ ſicca, quæ nihil ejus excludit. Quævis tamen tuſſis diu perſeverans & ſæpe repetens phthiſin minatur, maxime ſi corrupto & ulceroſo fomiti aditum parat, & inter acres catarrhos, hæmoptoen, dyſpnoeam, agrypniam & febres luculento obruti pulmonis ſigno infeſtat. Triſte hic leuamen eſt, partem mali extuſſire inter perennes, qui ad-

y) Talem periodicam tuſſim G. *Hauniæus* notavit in ſocero *D. Luja*, quem illa per binas hebdomades hora veſpertina concuſſit, & vale vomitu dixit. v. *Eph. N. C. D.* 2. *A.* 7. *O.* 148. *p.* 291.

adfluunt, novæ corruptelæ rivulos z). At etiam funeſtius eſt, flebile hoc tuſſis & ſputi beneficium ſupprimi, niſi metaſtaſes ad aures vel vias lotii contingant, quia ſuffocatio imminet, vel rubentes in cute puſtulæ emergunt, ante obitum ex præſagio HIPPOCRATIS *a*) exaſperatæ. Ita IOD. LOMMIUS *b*), ſi humida tuſſis in ſiccam tranſit, pectore nihil levato, febres putridas vel hecticas ominatur. Ubivis ſputi indoles & ſymptomatum ſatellitium prognoſin firmat. Tuſſes ſiccæ non ſine ſpe ſalutis tempeſtive humeſcunt, ut in febre ardente, pleuritide, peripneumonia, angina aliisque. Ubi & illud noto, HIPPOCRATEM *c*) in febre ardente a tuſſi ſicca & levi diminutam ſitim derivare, quod aridæ fauces iſto ſtimulo humectentur. Pertinaciſſimæ tuſſium ſpecies ſunt a ſcirrho pulmonum vicinarumque partium, vix autem aliæ funeſtiores & citius ſuffocantes, quam in cynanche, in primis ſi cum larynge ſimul oeſophagus laborat. Hydropicorum etiam, qui ex hepate adfecto tuſſiunt, teſte HIPPOCRATE mala tuſſis eſt *d*), gibboſis autem ex anhelitu & tuſſi ante pubertatem exitium impendet *e*). Tuſſes a repreſſis exanthematibus natæ his revocatis tolluntur, aliæ a tumore pedum ſolvuntur, *f*) aliæ, ſi dolor fortis ad coxas vel crura vel teſtem irruit *g*). V. RIEDLINUS tuſſim notat arthritide ſolutam *h*). Metuenda vero omnis a repulſione tuſſis eſt, ſive ex ſcabie, ſive ex tumore pedum diſcuſſo, ſive abſceſſibus & fonticulis intempeſtive conſolidatis noxium intro vergat. Nam ſemper mala metaſtaſis eſt a locis inferioribus ad ſuperiora, ab externis ab interna, ab ignobiliori-

z) Nota tamen hic illud G. E. *Stahlii in Satyr. Haru. c.* 27. *p.* 186. raras purulentas tuſſes eſſe, & male ad illas referri pulpoſas & ſubuirides, quæ tenuibus & acribus plus levant.

a) *Coac. Prænot. Op. T.* 1. *p.* 543. *II.* 162.

b) *Obſ. med. L.* 11. *p.* 120.

c) *Sect. IV. aph.* 54. *Op. T.* 1. *p.* 87.

d) *Op. T.* 1. *p.* 106. *XLVII.* 1. conf. *Galen. in l. c.* 1. *it. p.* 707. *v.* 24.

e) *Sect VI. aph.* 46. *Op. T.* 1. *p.* 101.

f) *Hipp. Op. T.* 1. *p.* 687. *I.* 44.

g) *ib. p.* 707. *v.* 23.

h) *Lin. med. A.* 5. *Maj. Obſ.* 24. *p.* 519.

bilioribus ad nobiliora, denique a locis facilioris excretionis ad loca difficilioris. Neque hinc tuſſim metaſtaſi ad pedes ſolutam nimis laudamus, quia loca hæc & nervis abundant, & excretionis opportunitate carent. Tuſſis infantum convulſiua non ſine crebra ſtrage eſt, quod tenellum corpus tantis injuriis ægre reſiſtat. Senum tuſſis mitior eſt, ſed comes plerumque ad mortem usque. Sæpe poſt febres tuſſi & ſcreatu viſcido magis laborant ſenes, ſed hos bono animo eſſe iubet *i*) Th. Sydenham, modo eorum vires cardiacis reficiantur. De ſingularibus noxis tuſſium, herniis, gibbis, abortibus, hæmoptoe aliisque ſupra diximus.

§. X.

Mitem & benignam tuſſim in corpore puro impune licebit genio ſuo permittere, cito enim deflagrat, quod ſine fomite eſt. At malam tuſſim ut pectore expellas, cunctandum non eſt inter tot noxas per moram metuendas. Quæ ſpecifica iactantur, in illa cauſſarum varietate ſpem noſtram nimis eludunt. Th. Willisius in tuſſi ſine febre nil præſtantius eſſe ait, quam tincturam ſulphuris cum ſyrupo violarum vel hederæ terreſtris mane & veſperi propinandam. Exinde vero aliquoties ſanguinis ſputum natum eſſe teſtatur Chr. Helwich *k*). Dulcia communi fere conſenſu laudantur, at Ios. Lanzonus *l*) male ſpem ſalutis in dulcium rerum virtute poni, quin & morbum inde immedicabilem reddi iudicat. Galenus *m*) ſcyllam, lentiſcum, marrubium, helenium & alia laudat. Celsus *n*) hyſſopum, Dioſco-

i) *Oper. p.* 66.
k) *Eph. N. C. D. III. A.* 5. & 6. *O.* 195. *p.* 455.
l) *Anim. ad medic.* 60. *Op. T. III. p. m.* 455. At ſui mox oblitus in *T. II. conſult.* 6. & 65 laudat ipſe in tuſſi ſyrupos de hyſſopo, liqueritia, capillis veneris &c. Gravius *Gid. Harveus* ſacchari fallacem lenitatem damnat, mox rodentiſſimæ acrimoniæ ream, quam ſic vindicat *G. E. Stahlius*, ut ſaecharum nec nocere multum nec iuvare cenſeat. vid. *Not. in Satyr. Haru. p.* 188.
m) *Cl. ſp. p.* 95. *D.* 90. *F.* 88. *D.* 91. *H.* &c.
n) *Med. L. IV. c.* 4.

DIOSCORIDES *o*) acetum, PLINIUS *p*) cochleas crudas cum aqua tepida tritas. At in his nihil eſt, quod conſtanter immo quod crebro profuit. *Quercetanum*, qui ſyrupo hederæ terreſtris tuſſim cum pulmonum ulcere ſe toties ſanaſſe gloriatur, mendacem vocat GED. HARVEUS *q*), quin & mali doli arguit *Foreſtum*, *Valleriolam* & alios, qui conſervas roſarum & ſimilia extollunt. Et quam fidem G. BAGLIVIUS *r*) merebitur, qui oculos cancrorum commendat, ſi tuſſis nulli medicinæ auſcultet? In his inquam & centum aliis, neglecta tuſſis indole & cauſſa, plus fortuiti eſt quam certi & ſolidi præſidii. At ſingularibus tuſſibus ſingularem medelam accommodare nimis diffuſus labor eſſet. Liquere exiſtimo, tuſſim ab aliis morbis pendentem non niſi his ſublatis cedere, ſic in tuſſi acutarum febrium, quæ anginas, pleuritides & peripneumonias comitantur, unice convenire, quæ his medentur, ſectionem venæ, clyſmata, fomenta, potus diluentes, & halitus ad os pulmonesque admiſſos; in phthiſi ſi quid ſpei eſt, in ulcere per expectorantia repurgando, per reſinoſa ac balſamica conſolidando & puris corruptela inhibenda conſiſtere; in luxata vertebra, quæ ex mutato ſitu ſpinæ dorſi colligitur, vel coſta fracta intus prominente non quieturam tuſſim eſſe, niſi utraque in ſitum priſtinum reſtituatur. In his & ſimilibus cum ad primarium morbum tota tuſſis medela pertineat, ſuis tractandam locis relinquo.

§. XI.

Species quasdam ſigillatim intueri liceat. Tuſſis catarrhalis cum coryza, grauedine capitis, gravitate & laſſitudine corporis coniuncta multum eiicit mucoſi, eoque exhauſto plerumque ſponte

o) Cuius hoc de aceto iudicium: *βῆχα χρονίαν πρᾴυνει, τὸν δὲ πρόσφατον ἐρεθίτει de mat. med. L. V. c.* 21. Idem daucum vocat *βηχῶν χρονίων πρᾳυντικόν l. c. L.* 3. *c.* 83.

p) *Hiſt. Nat. L.* 30. *XV.* 14.

q) *l. c. cap.* 27. *p.* 148. *&* 186.

r) *Prax. med. L.* 1. *p. m.* 115.

re definit. Non id frigori solum debetur, stasin in glandulis membranæ pituitariæ, & decubitum deinceps in partes proximas parienti, sed & morbi chronici dantur cum miro deliquio humorum huc vel illuc decumbentium. Lacrymantur oculi, destillant nares, saliva os occupat, nunc etiam ventriculus vel aluus vel lotium simili exundant colluuie. Qualis lympha si acrimoniæ expers ad tracheam decumbit, sputum copiosum sine memorabili tussi parit, at pro maiori gradu susceptæ acrimoniæ humida tussis crebrius sollicitat. Nihil in tali humorum deliquio præstat, quam roborantibus illud sistere, partim inspirato halitu mastichis & thuris soluta siccare, partim a pulmonibus ad exteriora deriuare. Tussis rheumatica species ferinæ est curatu difficilior. Velut rheumatismus acutus & chronicus inter morbos diuturnos & ægre sanabiles pertinet, sic tussis ex acri rheumatico nata medentum auxiliis peruicacius resistit. Iuuat rheumatismum & tussim huius originis in corpore robusto & debili ob medelæ varietatem distinguere. Nam in robusto nascitur ex frigore ad corpus æstuans & exercitatum admisso; in debili ex præcedentium morborum, ut scorbuti, residua labe. Cum in robusto quidquid est humoris excrementitii, plus acrimoniæ per motum vitalem adquisierit, hinc si naturali lege viis consuetis non expellitur, sed ingruente subito frigore retinetur & figitur, partes, quibus incumbit, gravius mulctat, & tunc circa loca spiralia internamque tracheæ membranam, quippe frigori plus expositam, excitat tussim pertinacem & siccam, quæ nihil fere mali stimulo isto excutiet. Circa mobiles artus & tenuia ligamentorum vasa horrendos illos dolores rheumaticos gignit, ubi tenue illud & noxium in novis sedibus irritans, nec more aliarum inflammationum in pus abit, nec ita attenuatur, ut perspiret. Tussis hæc rheumatica robustiorum ob sæviorem impetum ad pectus & caput vix sine febre est, hinc ut impetus compingens remittat, & acre irritans eluatur, post iteratas venæ sectiones & alui purgationes serum lactis cum sale polychresto summæ utilitatis est, vitato esu carnium, aromatum & vini, exhibitoque vesperi leni paregorico. At debiles rheumatici, quos a prægressis morbis relicta labes occupat, velut sæpe morbi acuti chronicorum semina relin-

quunt, haud venæ ſectione & purgantibus in illa virium inopia iuuantur, licet, ſi ſemel & modice utroque remedio ab initio utaris, non repugnemus. Plus autem ſpei erit in veſicatoriis & epiſpaſticis, vel etiam diaphoreticis, quod mobilis materia extrorſum ſit derivanda, & ſimul contra internæ corruptelæ progreſſum balſamicis & roborantibus pugnandum. Ex neutra parte malum bechicis & mollibus cedit, quibus ſi tota obduci poſſet interior tracheæ ſuperficies, acre illud intra vaſcula membranæ latens non exuet ſtimulum. De ſtomachali tuſſi illud urgeo, quidquid mollium & mucilaginoſorum eſt, quæ pectoralium nomine laudantur, hic appetitum & cibi coctionem magis deſtruere, menſtruum ejus hebetare, & tuſſim huius originis magis confirmare. Colligimus illam ex *nauſea*, *cardialgia*, *vomitu*, quo poſtremo vix *ventriculus* euacuatur, cum ſæpe cedat tuſſis. Igitur qui ventriculo plus diſtento tuſſiunt, vel colo infarcto vel meſenterio, poſt liberatas per vomitus, clyſteres & purgantia primas vias, tonicis & ſtomachicis egent, qualia ſunt radix zedoariæ, gentianæ, myrrha & alia. Non ab hac claſſe multum abeſt tuſſis hypochondriacorum & hyſtericarum, quæ tamen conuulſiua magis antiſpaſmodicis & paregoricis vincitur. In ſplenicorum tuſſi, quam *male a catarrhis* derivari Gu. Ballonius notat, idem iubet repurgatum *corpus lacte aſinino & balneis renutriri*. Erit ſi ad generaliora attendimus, *plus lucis in ſingulis*.

§. XII.

Humidam tuſſim exinde natam, quod iners mucus relaxata laryngis & tracheæ latera obſidens cumulari, ſtagnare, corrumpi, & ſic ſenſim ſtimulis in tuſſim armari incipiat, cum ſucceſſu oppugnant halitus ore & naribus admiſſi, quos pulveres olibani, maſtichis ſimilesque, vi ſiccandi roborandique & corruptelæ progreſſum inhibendi prædiți ſuper prunis candentibus exſpirant. Siccam tuſſim halitus potius *bullientis* aquæ per os ad partes ſiccas humectandas cum aere inſpirati corrigunt. Plus ægris fiduciam conciliat, ſi aqua ejusmodi inhalanda cum herbis *mollibus* & pectoralibus prius cocta ſit, licet ex his nihil fere virtutis aquam ad-

adſcendentem ſequatur. Si tuſſim ſiccam acutiora ſymptomata comitantur, dolentis capitis, rubentium oculorum, tumentium venarum cum magno æſtu & flamme a urina, nihil fere par eſt ſectæ venæ præſidio. Præterea enim, quod niſi vaſa detumeſcant, pronior ſit in hæmoptoen ex ferocia concutientis tuſſis tranſitus, tum quoque hic opportune oppoſita venæ ſectio temperat in æſtuante corpore impetum, lentorem minuit, & cauſſæ denſantis ſiccantisque avertit iniurias. Id tamen ad tuſſes epidemicas malignas catarrhales, quas Sennertus ſcribit omnes fere ægros poſt venam ſectam peremiſſe, ideo nolim ſine diſcrimine collaudare, quod tenues illos ſtimulos ad excretiones cutaneas ſalubrius determinandos introrſum magis rapiat & figat intempeſtive adminiſtrata venæ ſectio, *in primis cum in illis corporibus rara ſint inflammationum in maioribus vaſis veſtigia.* Sane in epidemiis illis malignis certum medicamen nequit deſignari, genius diverſæ nimis malignitatis ſollicita obſervatione eruendus & eneruandus eſt. *Ubiuis medici attentio ſedem irritantis ad tuſſim materiæ & opportunitatem excretionis per has vel illas vias expendit.* Si tuſſis materiam primæ viæ ſuggerunt, præ omni bechico purgans convenit, cujus alioquin uſus, ſi vitium in pectore hæret, ſuppreſſo ſputo potius noceret. Plus etiam *in priori caſu* emeticum prodeſt, ſi ſaburra ventriculum gravat, partim quod hanc cito evacuet, omni coctioni, quæ probos humores pectori parat, rebellem, partim quod ſputum in trachea tenacius a *concuſſu illo* ventriculi & vicini oeſophagi mobilius reddatur. *At id in ſtomachalis tuſſis ſpecie jam paulo ante patuit.* Ipſi pectori laboranti *iuſtius* exhibentur diuretica & diaphoretica. Conſtat, in morbis pectoris lotium craſſum & ſaturati ſedimenti non ſine levamine ſecedere, ipſum aliquando pus nato in pectore abſceſſu cum lotio ſalubriter evacuatum eſſe. Et quis diaphoreticorum non adgnoſcat uſum, cum tuſſis catarrhalis ex *inhibita* perſpiratione tam frequens ſit. Quanto plus *huius* humoris, cujus acrimonia arguitur, per cutem exhalat, tanto minus reſtare videtur vitii pulmones irritantis. Quandoquidem vero acria fortiora & craſſiora ob ſpaſmos cutaneos exhalant minus, ideo artis opus non contemnendum eſt, vias nouas parare, epiſpaſticis & veſicatoriis

toriis ad crura admotis. Rodentem ſæpe acrimoniam produnt, quæ effluunt his viis, miteſcente ſtatim tuſſi. Id vero a perenni fonticulorum actione rectius exſpectes, ubi acris humorum cacochymia omnes ſecretionum fontes inquinans tuſſim continuam parit, quam habitualem vocant. Spem alunt nimis dubiam, qui acria illa craſſis, mollibus, mucilaginoſis, pinguibus, oleoſis involuere & obtundere nituntur. Et quid horum facile acceſſerit ad acrimoniam in trachea tanquam præcipua ſede hærentem? non ex cavo oris, unde in laryngem nihil horum per naturam admittitur, niſi quod blandus linctus aſperitatem in ſupremis ipſo tranſitus momento nonnihil demulceat; neque ex arteriis & nervis, unde nihil incraſſantis ad loca adfecta ſeparatur. Quod ipſum ſi fieret, plus eſſet a *virtute illa obſtipante*, & *loca*, *quæ attingit*, *relaxante periculi*, & major foret metuendus infarctus & colluuies peior. Neque illa remedia, quæ hoc nomine traduntur, quaſi acribus inertiam concilient, talia vero ſunt, uti mel, ſacharum, ſuccus liquiritiæ, ſyrupi pectorales, & alia, quæ ſaponacea abſtergunt & reſoluunt. Saccharum detergit inflatum oculis, mel auribus infuſum reſolvit concretum cerumen, ſic neutrum caret acrimonia, nedum alienam corrigit. Craſſiores autem pinguedines olea & balſama non modo labefactant vim coctionis primarum viarum, ſed & *in corpore calente*, vel recepta *inter longas moras transmittente ranceſcunt*, & *ex miti genio aſperum* adquirunt. Sagacior quoque Natura his ipſis per exilia lacteorum ora præcludit aditum, eo magis, quo plus ſuſceperunt per corruptelam alieni ſtimuli. Neque anodyna excuſatius commendamus in nimia viſciditate & acrimonia per languorem interni motus nata, & ad tuſſim impellente: plus enim inde vires cadunt & inter torpentes juſtæ excretionis ſtimulos morboſum accumulatur. Quis vero neſcit, vulgaris medicinæ uſum haud aliis crebrius armis, quam infidis illis & ſuſpectis adverſus tuſſim pugnare? ut inter præſcriptas formulas oppido paucæ ſint, quæ craſſorum pinguium & narcoticorum nomina tanquam triariorum non gerant in fronte.

DISSER-

DISSERTATIO

DE

TENUITATE HUMORUM TEMERE LAUDATA,

PUBLICE PROPOSITA

GOTTINGÆ, D. 25 APR. 1750.

RESP.

EDUARD. JAC. LUPIN.

RATISBONENSI.

§. I.

Blandos esse inquilinos corporis nostri humores oportuit, ne perenni motu suo per vasa tam tenera lædant: lentos præterea esse & in concretionem pronos, ne nimis celeriter dissipentur. Uterque character est humoris nutritii, qui locis reparandis nutriendisue applicari sine offensa, & sub amico amplexu solidescere debuit. Igitur non tam solicite scrutamur partium aquosarum, salinarum & terrestrium, quibus fluida nostra constant, proprias dotes, quam novas illas sub mutuo vinculo emergentes, quarum ope tam benigne permeant corpus & tam dextre reficiunt. Hic totus naturæ scopus est, ut alimenti capiendi, quod utrasque dotes complectitur, desiderium in nobis accendat. Carnes animalium, quam manifestum gluten habent? frumenta & legumina, quantæ tenacitatis sunt? atque ex his proprie reficientis chyli suppetiæ intro feruntur. Pergit naturæ providentia & expres-

ſum ex dictis chylum adhuc tenuem nimis & diffluentem actione vaſorum & cocti compactique humoris miſcela denſant, roburque corporis, quod ſemper ſolutis humoribus diſſoluitur, hac lege ſuſtentat. Potentius nihil putredine diſſoluit, ad quam cum totius corporis in ſolidis fluidisque partibus tam præceps via ſit, ſapientiæ naturæ congruentiſſimum erat, inhibere hujus deliquii periculum, & ſalutarem humoribus ſpiſſitudinem, quam tamen leges communis fluxilitatis ferrent, conciliare. Hinc tenuis chylus, qui vim interni motus fortius compingentis aliquamdiu ſuſtinuit, in lac abit, ad caſeoſum illud coagulum proclive, cujus ignarus chylus erat. Lac ſub continuata vitalis motus actione in ſerum tranſit, cuius in ferverte aqua, quæ lactis fluorem non ſiſtit, momentanea naſcitur & immeabilis ſpiſſitudo. Serum denique inter protractas easdem compingentis vitæ rationes, dum in ſanguinem convertitur, quanto iam majorem concreſcendi niſum exerit? ſub ſola nimirum quiete, ſub qua ſerum nondum fluidi naturam exuit. *a*) Id certe ex dictis evincitur, ut corpus noſtrum contra putredinis cauſſas quotidie ingruentes perſiſtat, ut damna perpetuo attritu illata reparet, ut denique præmaturum fluidorum ex vaſis ſuis, in quibus ad miniſteria corporis præparantur, diffluxum cohibeat, opus omnino fuiſſe ſpiſſioribus fluidis, quæ non niſi ſub moderato calore motuque vitali fluant intra vaſa, extra illa facile & ultro concreſcant.

§. II.

a) G. W. WEDELIUS ſanguinem ramoſum fibroſumque ſub microſcopio delineat *v. Eph. N. C. D. II. A. V. Obſ.* 56. F. RUYSCHIUS exhibet membranam ex proprio ſanguine, quem ramulo foliis minoribus prædito quaſſavit, conſectam. *v. Theſ. Anat. VI. Nro.* 7. & in primis ipſam *Fig. VI. in T. III. Theſ. VII.* Addit, dum talia ex ſanguine producuntur, multos, qui excretiones vterinas, hanc vel illam formam ex mora adeptas viderint, pro monſtris vel alia ſolidiori maſſa habuiſſe. Mirabile eſt, quod P. BORELLUS *Obſ.* 93. *Cent. IV.* de craſſitie ſanguinis habet, potuiſſe nimirum in quodam homine non niſi ex vulnere trium digitorum transverſorum inflicto, elici, licet vaſa ampla & apparentia eſſent.

§. II.

Non illud repugnat ideæ ſalutaris ſpiſſitudinis, quod ſanguis majora vaſa occupans, omni ſeriei decreſcentium vaſorum deliquio partium ſuarum tanquam ex communi penu proſpiciat, debitumque iis commeatum largiatur. Nam rationem ſi inire placuerit minorum vaſorum, humores, qui illa intrant, minime deflectunt ab eadem, quam paulo ante poſtulavimus, iuſtæ conſiſtentiæ norma. Ita ſtructum eſt corpus noſtrum, ut ex tot ordinibus fere infinitis vaſorum, primus ordo omnem vitæ theſaurum continens, pro reliquis laboret, lentaque & ſucceſſiua molecularum ſuarum reſolutione id, quod tenuius eſt, in ordinem vaſorum gradu proximum transmittat, hic ſimili officio tertium impleat, hic quartum, & ſic per coctionum ſecretionumque definitas operas ultimis tandem, quod tenuiſſimum & mobiliſſimum dici poteſt, committatur. Hæc ſanitas corporis eſt, communione, fluxuque & refluxu elaboratiſſimorum humorum internas externasve omnium partium functiones ſtabiliens. In qua quidem non diffitemur, craſſiores primorum vaſorum humores ex ſinu ſuo ſenſim præbere, quæ per tot gradus majoris ſemper tenuitatis ad minima vaſa penetrent; id vero ſimul aſſerimus, eandem etiamnum proportionem perſiſtere inter minora vaſa & propria iis liquida, quæ fuit inter maxima vaſa & ſanguinem: quod inviolabilis illa naturæ lex, quæ compingit humores, nuspiam in vivente corpore deficiat. Si in ſubtiliſſimis liquidis definiri nequit, quid materiæ & virium ſub molecularum ſuarum volumine gerant? quem niſum habeant concreſcendi? merito tamen a communi cauſſa in omnes corporis partes influente, ad communem effectum argumentamur. Rem certe illuſtrant illa, quæ in opere ſecretionis tam tenuia ſunt, ut ſenſum fugiant, mox accumulata ſenſibilem craſſitiem produnt. Reſpicio hic potiſſimum ad gluten illud, quod partes tantum non omnes corporis pro motu lubricat, mutui attritus damna & iniuriæ ſenſum arcet, cum-

cumque vicinis concreſcere prohibet. *b*) Non in ore ſolum, pharynge, oeſophago & inteſtinis, tanquam locis ab ingreſſu crudorum acriumue magis defendendis, vel in viis reſpirationis tenue illud gluten exſudat, ſed & interioribus partibus, veſicæ, urethræ, muſculorum vaginis & oſſium iuncturis adſpergit, ut eo deficiente, varia mala germinent, tormina in inteſtinis, ſtranguria in urethra, deletus olfactus in naribus, crepitatio oſſis cum rigiditate circa ligamenta & tendines articulorum, lippitudo ab affectis limbis palpebrarum & alia. Machinulæ in hunc uſum tam ubertim per corpus diſtributæ confirmant, illa etiam ſecreta, quæ in momento ſecretionis vix tenuiſſimum halitum referunt, ex partibus ejusmodi, quæ facile inter ſe coëunt, immo ſi extra vitalem motum poſitæ ſibi relinquuntur, ſenſim dureſcunt, conſtare. Et quid mirum, ſecretorum proprietates iis, quæ in ipſo ſanguine deprehenduntur, ex quo emanant, eſſe congeneres, & hinc blandam illam indolem, quæ nullo ſtimulo offendit, retinere?

§. III.

Igitur dum animus eſt, nimiam humorum tenuitatem accuſare, tanquam ab inſtituto naturæ abhorrentem; ſponte patet, me illam intelligere, quæ celeri fluidorum e vaſis continentibus elapſu, horum in denſando, coquendo, aſſimilando operam eludit, & neceſſariis ſuppetiis defraudans, marcores, conſumtiones & interitum corporis minatur. Neceſſe ſane eſt, ut humor, qui intra vaſa ſua mouetur, iuſtam moram nectat, nec viribus illis vaſorum ſalubriter mutantibus, & inquilini humoris characterem imprimentibus, ſimulque ad ſervitia in minoribus vaſis præſtanda præparantibus haud temere ſe ſubducat. Non audiendi ſunt THEODORUS CRAANEN, CORN. BONTEKOE & tot alii, quibus cum ſpiſſitudine humorum perpetuum bellum eſt, & in attenuantium remediorum uſu omne propemodum artis decus & præſidium collocatur. Huic nempe ſcopo ſi ſatisfecerint, omnia ſibi videntur circulationis obſtacula remouiſſe, quæ tanquam vni-

b) *Confer. ill. van* SWIETEN *Comment. in aph. Boerhaav. T. I. p.* 95. & 111.

vnicam morborum cauſſam conſiderant. Quidni, ſi id ſperent, ſola aqua tam meabili tutam ab omni offendiculo circulationem, adeoque perennem vitam promittant? *d*) Non attendunt, quam bene procedat circuitus humorum in exercitato ſaniſſimorum ruſticorum corpore, cui, ſi ſanguis detrahitur, placenta ſtatim eſt, quæ vix guttam ſtillat. Neque illud reſpiciunt, dum debili puellæ & de valetudine ſua perpetuo querulæ ſanguinem extrahunt, quam tenuis, aquoſus diluteque ruber ille ſit, in quo nulla videatur deſiderari poſſe iuſtæ fluxilitatis conditio. Eiusmodi vero puella ad leviſſimum motum languet, anhelat, & ſudoribus diffluit: illi e contrario inter vehementiſſima exercitia, quas ſummo virium robore per integros dies ſuſtinent, vix leviſſimum cutis madorem ſentiunt, nec ſub onere ſuo deficiunt, nec obſtructionum laborant vitio.

§. IV.

Contra illos igitur homines dum ſtruenda eſt acies, abſit in contrarii erroris ſcopulos impingam. Noxiæ ſpiſſitudinis humorum cauſſam minime tueor. Viderunt illam adverſarii noſtri perſpicacius, quam tenuitatis, cui tantopere applaudunt, damna. Veriſſimum eſt, lenta ex naturæ decreto liquida noſtra, ſi maior lentoris gradus accedit, vix meabilitatem ſuam per tam anguſtos corporis meatus vindicare. Motus ſane & calor naturalis, ſi nimis elangueſcit vel gravius intenditur, utrinque coagula ſanguinis producit. Prius in crebra ſyncope adparet, qua velut ab externa quiete coit ſanguis, unde diriſſimæ cordis palpitationes ſequuntur, ex ſanguine nimirum in majoribus alveis circa cor & vaſa ejus ſtagnante & polypeſcente. Ita Marc. Malpighius ex

d) H. Boerhaavius, *ſi fieri poſſit*, inquit, *ut totus ſanigus aqua eſſet, homo animal eſſet ἀνεροβιον immo vero ὠροβιον. Neque enim ſanguis in vaſis rubris retineretur ab anguſtia vaſorum minorum, ſed efflueret undique ad citam mortem, neque quidquam ad cor rediret. vid. Comm. ill.* Halleri T. VI. p. 47.

ex terrore, qui ſubitam ſtaſin parit, polypos cordis deduxit. Quorſum ipſum frigus pertinet, ſimilem humoribus quietem inducens, plus etiam per ſpicula glacialia figens: unde ipſæ partes ſolidæ a congelatis humoribus duræ & fragiles evadunt. Poſterius in morbis acutis conſpicitur, quorum initio ſanguis adhuc probus fluidusque, unius autem vel alterius diei intervallo denſiſſimus reperitur, & tenaci cruſta obductus. Tantum poteſt validior motus intra tam breve tempus efficere, dum tenaci diſcuſſo reliquum compingit. Patet inde origo difficillimæ reſpirationis, anxietatis, comatis, deliriorum, ſimiliumque phœnomenorum, ex impedito videlicet tranſitu ſpiſſioris jam liquidi per vaſa arctiora pulmonum maxime & cerebri. Spectat huc, quicquid excalefacere corpus & exſiccare ſolet. Combuſtio in quam ſciſſilem maſſam ſanguinem ſerumque ſtatim reducit, ut nulla in reſolutione ſpes ſuperſit? Illa vero æſtiva itinera cum potus penuria in regionibus calidis tam vehementer ſiccantia, quam graves ibidem abdominis hypochondriorumque infarctus pariunt? quam copiam melancholicorum & maniacorum, veterum Græcorum nobis monumenta hic exponunt? Neque in his ſubſiſtunt pericula creſcentis ſpiſſitudinis humorum. Ab acido foſſili grave metuendum humorum coagulum eſt, quippe cuius paucæ guttæ in venas viventis animalis iniectæ inter ſummas anxietates ſuffocant, dum ſanguis, ab illarum attactu in craſſiores ſtatim thrombos coiens, circa anguſtias pulmonum ſiſtitur. Quod etiam de auſteris valet, in quibus acidum ſub terreſtri vinculo adſtringit potentius, ut in alumine & vitriolo elucet. Bene eſt, quod & acidis illis & auſteris viæ ad interiora minus pateant, & quod ad ſtimulos illos lacteorum & abſorbentium vaſorum oſcula ſe contrahant. Juſtior metus in ſpirituoſis eſt, quæ admittuntur facilius & multorum gulæ blandiuntur: unde in illis, qui ſpirituoſis fermentatis abuti ſolent, viſcera ſcirrhoſa & indurata reperiuntur. *e)* Omitto abſorbentia, olea & alia, quæ humoribus ultro concre-

e) vid. Hiſt A. R. S. 1706. *Obſ. phyſ. V. p.* 28. Feminam 45. annorum vino vulgari & aquis vitæ adſuetam, cum his aliquando admodum ebria poſt duodecim horas exſpiraret, ſecuit cl. LITTRE. Reperit ſangui-

creſcentibus nova vincula iniiciunt. Sic minime inficior, nocentiſſimæ ſpiſſitudinis diſcrimen inter has cauſſas corpori noſtro imminere. Supra gradum conſiſtentiæ, quæ naturalis eſt, facile humor obſtruit, infra illum facilius diſpergitur.

§. V.

Hæc itaque nihil impediunt, qnin ſpiſſitudinem humorum, licet gradu aliquando excedere & morboſa fieri poſſit, magis convenire naturæ ſcopo quam tenuitatem eorum contendam. Agnoſco aquam, cui tanta vis diluendi eſt, principatum tenere in humoribus noſtris: agnoſco, ſales, quibus virtutem ſolvendi attenuandique nemo negat, iisdem inhærere: ab utrisque neceſſariam humorum tenuitatem & naturæ congruentiorem pendere, nondum agnoſco. Latent ſubacti ſales, nec niſi per inchoantem putredinem evoluti diſſolvunt humorum vincula. Adeo latent, *f)* ut ſanguis cum reliquis humoribus fere inſipidus ſit, & neque oculum tam ſenſibilem, neque crudum vulnus offendat. Aqua ſub reliquarum partium connubio plurimum priſtinæ tenuitatis amiſit, *g)* & ne futiliter argutemur, refragante experientia, ipſe ille ſanguis, ex cuius duodecim unciis facile decem aquæ deſtillando obtinebis, externa quiete in placentam penitus cohærentem, nec

nem nigrum, craſſum, coagulatum; *lienem*, *pancreas*, hepar, pulmones & magna glandularum agmina exſiccata, ſcirrhoſa & maiori parte veluti petrefacta. F. CLAUDERUS meminit ſenis, ſpirituoſi potus amantioris, unde non modo corpus exſuccum redditum, ſed & ſumma mentis ſtupiditas & memoriæ læſio nata. *v. Eph. N. C. Dec. II. A.* 8. *Obſ.* 220. *p.* 542.

f) Latent intricati, ſopiti, inertes, etiam *inſpiſſato* iam ſanguine, niſi violento igne extorqueas. *v.* BOERHAAV. *Elem. Chym. P. II. p.* 357.

g) F. HOFFMANNUS *in diſſ. chym. p.* 208. aquam ſanguinis citius avolare ait, quam aliam aquam in ſimili quantitate loco & vaſe. At impar in humano corpore eſt cohæſionis gradus, & aquæ a reliquis partibus difficilis ſæpe ſeceſſus, ut in robuſtis poſt magna exercitia. Capta experimenta hic non quadrant, quod ſanguis, qui ſub prelo cordis agentis & arteriæ renitentis plus ponderis & ſoliditatis acquiſivit, quam erat in

nec niſi pedetentim liqueſcentem, conſtanti in ſaniſſimis hominibus experimento coit. Quis oſſa & cornua vetuſta animalium negat ſolidiſſima & ſicciſſima eſſe? ſed ex iisdem quantam aquæ copiam ignis extorquet? Eadem aqua ſpecie etiam pura, dum conglaciatur, manifeſte ſolideſcit. Certe ratio non ſuppetit, quæ ex prædominio aquæ in fluidis noſtris contra aſſertam horum ſpiſſitudinem tuto concludat. Addo, maximam partem aquæ & ſalium chylo tantum, ut commodius faciliusve tranſeat, vehiculum præbere & ſtimulum, quibus rite peractis celeriter ſatis cum lotio elabuntur, vel aliis etiam excretionum viis diſſipantur. Par erat, ut abundaret aqua ad tempus pro acribus, attritis, effœtis partibus eluendis, quo officio crudi potius, qui corruptorum lixivio ſeruit, quam *inquilini humoris nomen meretur.*

§. VI.

Propius vitia illa inſpiciemus, quibus tenuitas humorum laborat. Primum illo hominem robore ſpoliat, quod vigorem omnibus functionibus inſpirat, & in iisdem diu ac ſine laſſitudine exercendis optabilem conſtantiam parit. Hæc enim H. BOERHAAVIO *b)* princeps ſignum eſt corporis ad firmam ſanitatem magnamque longævitatem diſpoſiti, pro cuius durabiliori compage opus erat eodem iudice *i)*, inter alia ſanguine craſſo, qui extravaſatus concreſcit cito & ſatis valide in molem tenacem, nec minus reliquis humoribus tenacibus, copioſis, blandis *k)*. Illi, quibus id beneficii per naturam non contingit, in primo fere opere, quod aggrediuntur, feſſi ac anheli deſiſtunt. Palam eſt, robur

chylo, iam vena elicitus & a cauſſis prementibus liber ſub maiori volumine ſit levior, ſolubilior & aquoſi ſeceſſus promtior.

h) Inſtitut. med. §. 883.

i) loco cit. §. 885. *n.* 6.

k) Inde ſine dubio in ipſis melancholicis tanta laborum conſtantia notatur, quod ſanguis tenax parum ex ſe ſecernat, & mutationis vix capax nullam fere laſſitudinem, quæ a conſumtione eſt, pariat.

robur corporis maioribus maxime vasis & densiori in iis sanguini deberi, quippe cuius a corde propulsi motus ad omnes decrescentium vasorum ordines proportionato gradu pertingit. Quis non agnoscit, nullum esse in minoribus vasis motus momentum, quin a maioribus defluat? Igitur, si vis cordis sanguinem parcum & tenuem arteriis infundit, non ea vi expandet earum latera, quo contenta in horum vasculis liquida iusto impetu propelluntur. Ut parcum considero sanguinem illum, cuius ob exiles moleculas longa in maioribus vasis mora ad suscipiendas inquilini humoris dotes esse nequit. Dum vero ut tenuem considero & levem, patet iam talem esse, qui motum, cordis actione in arterias plenas elasticas & convergentes impressum, cito amittit. Mensura enim motus velocitas & densitas est. Quo densior igitur sanguis, quo plus materiæ & ponderis, eo etiam plus virium & actionis habet, & eo constantius vim motus impressi adversus obvia obstacula tuetur ac continuat. Quandoquidem vero ex his virtus coquendi, subigendi, assimilandi & a corruptis repurgandi pendet, ab hac viciſſim magna corporis contra morborum causſas resistentia nascitur; palam est, quantum præsidii naturalis in statu opposito pereat.

§. VII.

Nondum illas corruptelas attingo, quæ humoribus tam tenuibus imminent, dum actioni vasorum coquentium & mutantium se fuga tam præcipiti subtrahunt. Ponam tantisper blandos & innoxios esse, nec alius vitii quam tenuitatis reos. Hæc sola inter subita dispendia exhaurit: quid enim gradum sistat liquidi tam mobilis, quin per lateralia exhalet? Non, quod adversarii aiunt, idea salutaris fluxilitatis, sed consumtionis, nulla fere arte cohibendæ, inde oritur. Nascuntur διαπνοὴ & πνευμαγγεία, quæ exsiccant corpus, & fecibus alui liquidis, saliva, lotio, sudoribus, maxime nocturnis, exinanitum ad funesti marcoris limitem deducunt. Signa corporis hoc vitio adfecti obscura non sunt: ipsis enim sensibus se præbent solida, tenera & laxa, humores soluti & fluxus continui, subsequente emaciatione vasorumque collapsu.

Pallor adeſt & pulſus paruus, in fine convulſio & ſyncope. Neque iacturas illas ſarcire licet ob virium moventium & coquentium penuriam: hæc enim novas ſuppetias eadem lege transmittit, ut intro admiſſæ cito diſſipentur, certe ut e maioribus vaſis elapſæ hæreant & ſtagnent in minoribus. Cachexiæ nimirum, quæ humores nutritios corrumpit, duplex ſpecies eſt: altera corpus emaciat & extenuat, altera implet & diſtendit: alteram macies & conſumtio, alteram tumor & colluvies, diſtinguunt. Ibi ſufficit adhuc motus ad elapſum iuvandum: hic adeo languet vis propulſionis, ut fluxilis per ſe humor extra illam conſtitutus ſtagnet & accumuletur, ad hydropem usque univerſalem.

§. VIII.

Neque vero diſſipati tenuis illum effectum reticebo, qui ſpiſſamentum obſtruens relinquit. Certum eſt, tenuiſſimis etiam humoribus partes adhuc inhærere, quæ in mutuum contactum magis nituntur, & inter illa continua diſpendia relictæ eo ſe arctius, tanquam a ſuis proditæ, complectuntur. Tenue etiam lac ſub ſuo deliquio partes caſeoſas ſiſtit, quæ diffluente ſero preſſius colliguntur. Poſt ſudores *l*) lentor ſæpe creſcit ac reſidui immeabilitas, nec ſecus poſt diarrhœas, Saliva improba conſuetudine vel abuſu nicotianæ ubertim reiecta infarctus abdominales parit in hypochondriacis etiam & hyſtericis metuendos, quoties ſub graviori paroxyſmo lotium tenue copioſius elabitur. Non dicam de ingenti fluxu poſt deciduas aphtarum cruſtas, nec alias commemorabo liquidorum iacturas, quæ etiam corpore, cui damnata nobis humorum tenuitas obiici non poteſt, aliquando contingunt. In exemplo phthiſicorum hic adquieſcimus, quibus, quicquid ingeritur, nulla vi pulmonum viſcerumque affectorum

l) Docet TH. SYDENHAM *S. V. C. II. p. m.* 231. quamdiu ſudores victis iam febribus durant, ægrorum vires non reſurgere, multos in tabem incidiſſe. Addit, ſuccos recens advectos, dum non poſſunt vi corporis languentis aſſimilari, i. e. coqui & denſari, ideo ſudoribus expelli. Hinc vinum annoſum malacenſe ſingulis auroris & noctibus ſumtum commendat.

ctorum compactum, per relaxata cutis vasa dilabitur. His nempe nocturno sudore exhaustis mox surgunt pustulæ rubræ in cute, stagnantis hic & obstruentis materiæ non obscuro argumento.

§. IX.

Frequentius longe & magis exitiale est utriusque vitii, tenuitatis & acrimoniæ, connubium. Nam corruptela humoribus animalibus familiaris, ad quam ultro tendunt, est acrimonia alcalina, eo hic facilius oriens, quod vis motus vitalis, quæ cohibere illam poterat, hic nimis elangueſcat. Proinde mirum non est, in tot morbis chronicis debilium hominum, ut phthisi & scorbuto, non modo tenues sed & acres humores reperiri. Communes putredinis causſæ, quoties humorem extra circulationis coctionumque præsidia deprehendunt, quoties stagnantem & suo genio permissum in loco tepido offendunt, ex compacto tenuem, ex blando acrem, ex fixo volatilem reddunt. Gelatinosum illud & in filamenta ductile, in quo iam veterum doctrina humoris nutritii dotes agnovit, dissolvunt, & amicam naturæ hanc tenacitatem destruunt: in nostro etiam casu, ubi huius gelatinosi coctique parum est, eo citius penetrant, quo solutior humorum compages resistit minus. Docet vero observatio, ut albumen ovi sic serum sanguinis, si semel ad putredinem vergunt, non amplius, ne ipso quidem igne, coagulari, sic vero nutrientis humoris indolem prorsus perdere; hinc in omni morbo, quem putris fomes interne alit, perire ægros atrophicos, inter sudores plerumque nocturnos & putridos alui fluxus. Quis nescit, urentissimos esse & summa vi solvendi erodendique instructos sales alcalinos, quos ideo inter venena febres excitantia DIOSCORIDES posuit? Non dicam hic perfecte alcalinos esse, sic enim primo attactus sui momento omnia destruerent: sufficit alcalescentes concipere, quibus ad tenera vasa sensim rumpenda virium satis est. Fines vasorum sanguiferorum capillo centies minores non patent nisi armato oculo: quid minoribus longe & tenerioribus vasis contra hanc injuriam munimenti erit? quæ ideo circa loca vitalia sine sensibili destructionis vestigio, quod peste defuncto-

rum examen illuſtrat, deleta ſubitam mortem pepererunt. In aliis locis effuſa ruptis vaſculis liquida brevi vel per corruptum pus, vel malignos ichores, latici communi humorum affuſos, perimunt, ut ſic converſis undique in ſuum exitium armis corpus ſuccumbat. Mala illa, quæ ex ſuppuratione vel gangræna & ſphacelo cum febre hectica emergunt & ſæpe eroſis meſeraicis diarhoeas funeſtas excitant, illis ſuperius recenſitis opponimus, quæ ſimplici tenuium liquidorum difflatione in aliam tabis ſpeciem, cum ſyncope & convulſionibus, tranſeunt.

§. X.

*Inter ipſos inſigniores morbos, quos nocentiſſima illa humo*rum tenuitas comitatur, putridas febres refero, quibus id nominis impoſitum eſt a corruptela illa humorum noſtrorum, quæ in veram putredinem tranſit, licet ante illam natam & conſumatam perimat. Nunc tendunt in ſpiſſitudinem inflammatoriam, nunc contra in diſſolutionem nimiam. Utraque febris continua eſt, & cum magna functionum læſione humores corrumpit. Altera craſſo & immeabili ſanguine majora vaſa opplet, cum ſignis validæ inflammationis, magno æſtu duroque pulſu; altera ſpecie mitior, re ipſa malignior, *remiſſiori calore & impetu, molliori*que pulſu in putridam humorum ſolutionem cum ſubita & inexſpectata virium ſtrage humorumque variis viis elapſu tendit. Ibi ex fide obſervationum, ſecta ſæpius vena, mitia cataractica & clyſmata, diluentia ac ſine orgaſmo ſolventia, ut nitroſa & acida & quicquid methodus antiphlogiſtica præſcribit, proſunt. Hic infuſa aromatica penetrantia, ut rutæ, ſcordii, angelicæ, ſimiliumque, quæ vulgo alexipharmaca vocant, vires erigunt & latens illud malignum, epidemico ſæpe contagio ſuſceptum, obortis plerumque ſtatim ſudoribus diſſipant: ubi locum minus reperit, quicquid novas virium ruinas aliarum excretionum copia & impetu minatur. Obſcure definiri poteſt ſtimulorum illorum, qui corpus noſtrum in variolis, morbillis, peſte & ſimilibus morbis malignis epidemicis ingrediuntur, natura: at viribus illis, quibus

vel

vel inſpiſſant vel diſſolvunt *m*), æſtimata ſuppetias artis indicat. Crebro ſatis ſtimuli illi attenuant inter iacturas ſubitas humorum & virium. IO. IAC. WEPFERUS in febribus malignis & petechialibus hæmorrhagias narium, uteri renumque enormes, ob ſanguinem tenuem, fluxilem & extrema referantem, noravit. *n*) Vidit miſſum ſecta vena ſanguinem, diu etiam ſibi relictum & quocunque loco repoſitum, nunquam concreviſſe *o*). Id poſtea obſervavit in peſſimis variolis, toties per hæmoptoen & mictum ſanguinis in primo etiam morbi ſtadio funeſtis. Propterea TH. SYDENHAM in peſſima confluentium variolarum ſpecie periclitantes ægros fere unice ſervavit ſpiritu vitrioli, cuius vis eſt putre cohibendi, tenue inſpiſſandi, ubertim exhibito *p*). Nec ſpiritus vini, qui inſigniter diffluxum humorum compeſcit, ſpem meden-

m) *vid.* THEOPH. LOBB *of the ſmall pox praef. p.* 15. Ubi ob medelæ oppoſitæ diſcrimen ſedulo attendere ad inſpiſſantis vel ſolventis miaſmatis indolem jubet.

n) *vid. Hiſt. & nox. cicut. aquat. p.* 52. Ubi ideo in virgine leto vicina non niſi ichtyocollam in iuſculo carnium dedit & emulſiones amygdalinas pro ſcopo incraſſandi.

o) Ideo venæ ſectionem fere nunquam niſi primo die, idque in plethoricis & adſuetis ſuaſit. *ibid. p.* 53.

p) *v. Op. S. V. C. IV. p. m.* 237. Ubi hunc ſpiritum in tali morbo ſpecificum vocat, qui omnia ſymptomata ad miraculum fere compeſcat. Sic vero paulo ante deſcripſit variolas confluentes, quod puſtulæ earum fuligine nigredinem æquarent, & ad eas maturas vix potuerit præ foetore accedere. Laudat amiciſſimum ſibi D. CAR. GOODWALL, qui in febre continua, qua inter cruentos mictus petechiæ ſubfuſci coloris collum, pectus, carpos, denſe inſidebant, ſcopo refrigerandi & incraſſandi panatellas & oryzam, interne tincturam ex floribus roſarum & cortice interno quercus ſemineque plantaginis cum aqua & ſpiritu vitrioli paratam, dedit, cereviſiæ quoque ſpiritum vitrioli miſcuit, denique conſervas roſarum boloſque præſcripſit. *v. Diſſ. Epiſt. ad* GUIL. COLE *Op. p. m.* 383. Ibidem *p.* 384. ſimilem ſemper medelam commendat, ubi ſanguis, nimia attenuatione, per vaſculorum ora quaſi vi exigitur. E contrario vetat eo ſpiritu uti in morbo, cuius medela purgantibus nititur. *v. Sched. monit. de novæ febris ingreſſu. Op. p.* 523.

medentis in his morbis fefellit. SACHSIUS cum FONSECA *q*) ſpiritum vini vocat præſtantiſſimum in febre maligna remedium. CRATO *r*) aquam vitæ compoſitam in peſte medicamentum regium appellat. IO. PET. ALBRECHTUS *s*) viri meminit, febre maligna, gravi delirio & ſiti inexplebili laborantis, copioſo potu ſpiritus vini, quem appetit, penitus reſtituti. Nec diſpar exemplum febris ardentis, ſpiritu vini ſanatæ, habet IO. LUD. HANNEMANN *t*). Uſum vini, etiam ſpirituoſi, plus commendat auctorum conſenſus *u*). In peſte Bredana, qua teſte F. *van der* MYE *x*), immani hæmorrhagia intra quadrihorium perierunt ægri, & ſanguis infectorum lividus, fœtidus, nec unquam concreſcens adparuit, multa occurrunt huius loci. Poſſunt denique huc referri febres aliæ, *maxime bilioſæ*. Conſtat, bilem icterico*rum* ad interiora redundantem vi ſua ſaponacea craſſiores humores ad hydropem usque liquare, quid non metuendum eſt, dum febrilis motus adjuvat vires ſolventes, & bilem ipſo æſtu plus corrumpit & exaſperat? Cholera ipſa, inter dolentiſſimas ſurſum

q) *Ampelogr. S. VII. c. II.*

r) *Conſil.* 275.

s) *Eph. N. C. D. II. A. VII. O. 168. p.* 405. Sed hallucinatur, dum vim diſſolventem ſpiritui vini tribuit. *p.* 408.

t) *Eph. N. C. D. II. Obſ.* 53. *p.* 87. Sic REINER. SOLENANDER *Conſil. Med. S. V. Conſ. XV. O.* 13. Medici meminit, qui in vomitu, fluxu & intenſa febre derelicto ægro & iam morituro uncias tres dedit aquæ vitæ, & interpolatis horis vinum odoratum, unde intra triduum convaluit.

u) G. E. STAHLIUS *in Obſ. med. pract. Cent. I. O. IV.* dyſentericum, pro deperdito habitum, vino reſtitutum memorat, & ſpirituoſo quidem. Laudat vinum generoſum in quantitate moderata, magis, ſi abſit febris, imo ſi vel maxime adſit. *ibid. p.* 116. LAUR. DONCKER pariter *feb. petech. C. XII. M. V. p.* 405. fuſe vinum commendat. Ipſum HIPPOCRATEM in ardentibus febribus vinum permiſiſſe ANT. LINDANUS docet *in Sel. med. Exerc. VII.* ipſe etiam exemplo illuſtrat.

x) *De morb. & ſympt. popul. Bredan. p.* 3. 13. *Aegrot. XIII. & p.* 14. *Aegr. XVI.*

ſurſum deorſumque bilioſorum dejectiones, quam cito funeſta eſt? Fervidum æſtate cœlum humores fundit teſte SYDENHAMO *y*), robuſta etiam corpora una aliquando hora ſolvit inter ſummas dejectiones, animi deliquia, convulſiones & frigus extremorum. Videtur ad cenſum bilioſorum pertinere morbus, cujus quinque ſpecies HIPPOCRATES *z*) ſub nomine typhi recenſuit, & ex quibus primam *perill.* G. *van* SWIETEN *a*) febribus continuis putridis, non ſpiſſitudine inflammatoria, ſed diſſolutione humorum peccantibus, adnumerat.

§. XI.

Dum putridæ diſſolutionis a maligni miaſmatis ingreſſu mentionem feci, congeneris naturæ virus a morſu venenatorum animalium non eſt prætereundum. Quisquis ille ſtimulus eſt, qui tunc corpus ingreditur, non alium hic attendimus, quam eundem violentæ diſſolutionis effectum. Haud Africa ſolum morborum ferax, in qua toties plena veneno occurrit ſerpens,

Oſſaque diſſolvens cum corpore tabificus ſeps,

quo corpora tam ſubito in putrilaginem ſunt liquefacta, quam

Nix reſoluta cadit vel ſolem cera ſequetur b);

ſed & America inter Peruviani regni limites ſerpentum talium progenie infeſta horrendas inde vidit corporum humanorum ſtrages.

y) *Op. S. IV. C. I. p. m.* 171. *ſq.*
z) *de affect int. Edit. Lind. T. II. p.* 65. *XLII.* 2.
a) *Comment. in Aph. Boerhaav. T. II. p.* 422. Nempe eſt morbus æſtate corripiens, χολῆς κινηθείσας ἀνὰ τὸ σῶμα, cum ardore febrili, impotentia motus, & dejectionibus inter tormina graveolentibus. Conjecturam firmat medela, qua ſorbitiones frigidas, imo vinum rubrum vel album auſterum, ipſaque lintea frigidæ immerſa, partibus ardentibus impoſita, commendat HIPPOCRATES. Notati etiam EROTIANO ſunt πυρετοὶ τυφώδεις.
b) *v.* LUCAN. *Pharſal. L. IX. v.* 396. 722. 783.

ges. Puella octodecim circiter annorum, quinquaginta a domo ſua paſſibus ad ſcaturiginem aquarum tendens, iisque urnam implens, a ſerpente *c*) inter herbas hujus loci latitante pungitur. Adcurrit ad clamorem medicus herbas in vicinis paſcuis cum amico colligens, & ob cognitam violenti veneni indolem, acciri ſtatim parochum jubet, ut animæ ſalutem curet. Hic ex proximo loco properans, non mortuam ſolum, ſed & putrilagine adeo abſumtam reperit, ut panno involuere & ad ſepulturam deferre oportuerit. Alia etiam venena, ut aconitum, quod PLINIUS venenorum ociſſimum vocat, intime ſolvunt ſanguinem, idque maxime de alcalinis valet. Fuit, qui Venetiis in lixivio calcis vivæ cum ſale incidit: dum extrahere tentant, ſceleton extractum fuit *d*).

§. XII.

Inter morbos chronicos maxime illi ante oculos verſantur, in quibus vaſa ſanguinem continent, ad deliquium partium ſuarum proniorem. Semper enim notabile eſt duplex illud in miſcela humorum vitium, quo eorum moleculæ nunc arctiori nunc laxiori amplexu inter ſe coëunt. Diabetes, qui CELSO *e*) mictus vocatur ſupra modum potionum cum macie, ex judicio TH. WILLISII *f*) poſt ARETAEUM *g*) hujus deliquii reus eſt. Non illum in acutis intelligo, quo potulenta cito & vix mutata malo omine exeunt, & inflammatum ſanguinem, qui aquoſi contactum fugit, in ſua denſitate relinquunt; ſed illum, qui deſtructa ſanguinis compage lotii longe plus evehit, quam pro natura aſſumtorum: hinc corpus non ſuperfluo liquido, ſed ipſo vitali ſuo commeatu privatum emaciat. Poteſt interdum copia tenuis

c) Vocatur *Serpent.* a *Sonnettes.* Ex medici ore recenſet LUD. FEUILLE'E *v. ejus Journal des Obſ. phyſ. math. & Bot. T. I. p.* 417.
d) *v. Comment. ill.* HALLERI *in* BOERH. *inſt. T. VI. p.* 389.
e) *de Med. L. IV. C. XX. circa finem.*
f) *Pharm. rat. P. I. S. IV. C. III.*
g) *morb. diut. L. II. C. II. p. m.* 51.

nuis lotii elabentis, dum reliquarum excretionum ſarcit penuriam, diu ſine noxa tolerari; at ſi originem a liqueſcente ſanguine habet, ſitim tabemque æque parit, quam chyloſum vel lacteum iisdem viis profluvium, quod alimoniam corporis, non ſubactam ſatis & denſatam, etiam citra vitia renum, ſenſibiliori jactura expellit. Quare in utroque diabete recte CELSUS frictiones in ſole, vel ad ignem, exercitationes vinumque auſterum commendat. Diarrhœæ ſeroſæ, catarrhales, bilioſæ aliæque non minus frequenter liquefactam vitalem undam ad tabem uſque effundunt. Maxime colliquativas vulgo dictas hic ſpecto diarrhœas ſudoresve, ex fonte putri interno viſcerum, nunc ichore cancroſo glandularum, ſimilique ſpurca ſanie ad illa excretionum loca pleno rivo, & imminente jam morte, exundantes. In omni morbo chronico adultiori, ut phthiſi, purulenta & ichoroſa effuſa, dum attenuantur magis per moram caloremve & reſorbentur, interiora viſcera eorumque contenta ſimili labe inficiunt & diſſolvunt, inque fluxus illos tabificos terminantur. Prætereo alias excretiones nimias, ut ipſius liquoris genitalis cum tabe dorſali. Pauciſſimis adhuc attingo retenti tenuis acris, quod natura ejicere nititur, ſimiles noxas, exemplo iſchuriæ. Hic enim illud, ipſo motu vitali acrius, cerebri anguſtiſſimos meatus tenui ſuo ſtimulo penetrat, & inter ſopores, tanquam ſigna læſi corticis, deinde convulſiones, tanquam ſigna læſæ medullæ cerebri, necat.

§ XIII.

Enarrata morboſæ tenuitatis humorum damna genium diverſæ cauſſæ ſatis adumbrant, & hinc præſagii fidem varie limitant. Delectantur multi victu potuque tenui, acri & ſalino. Diabetes olim rarior, hodie frequentior morbus eſt ex calidæ aquæ abuſu; ſcorbutus ex ſalinorum appetitu. Ibi relaxantur vaſa & vim denſandi ſanguinem amittunt. Hic ſtimuli intra vaſa oberrantes ſolventesve per totum corpus, maculas, echymoſes, hæmorrhagias, pariunt. Citior mali progreſſus eſt in corpore tenero, laxo, otioſo, humido. Tale eſt, quod ea, in quibus aquæ prædominium eſt, non modo affatim ingerit, ſed & ob vaſorum debilita-

tem retinet: cum corpus ſiccum & robuſtum aquoſa, etiam largius ingeſta, ſtatim diſſipet. Iuvenile corpus durat aliquamdiu, agilis, at fere momentanea vita eſt, periculo hæmoptoes aliarumque ſubitarum effuſionum, quæ cito perimunt, obnoxia. Ideo cum herbis ſolſtitialibus comparantur, quæ mane florent, ſub veſperam areſcunt. Robuſtum etiam corpus ſimili diæta vincitur, dum ſanguinem denſum ſæpe detrahi, aquoſa, ut ſerum lactis, continuo ingeri, crebra balnea, maxime vaporoſa, adhiberi, prohibita corporis exercitatione jubes. Sub animi etiam pathematibus, ut metu & puſillanimitate, dum vaſa tono ſuo privant, humores liqueſcunt *b*). Verum dictis cauſſis tantum damni nondum tribuimus, quam ſi humores interni in gravioribus morbis per ſtaſin & calorem degenerant, corrumpuntur, & eroſis vaſis in ſaniem tranſeunt tenuem putremve, quæ per venulas ſanguini remixta & liquans interne omnia, comite febre hectica, ad funeſtam tabem propero pede deducit. Vires venenorum vel miaſmatum malignorum, quam celeri paſſu deſtruant, jam indicavimus.

§. XIV.

Non licet tam variæ ſævitiæ morbos ad unam medendi legem revocare. Aliter venenis occurrendum eſt, aliter maligno morborum miaſmati, aliter morſibus animalium venenatorum, aliter morbis illis chronicis, ex quorum ulceroſo vel putri fomite teter halitus ſanguini adſpergitur. In his enim, etſi humorum tenuitas peccat, concurrunt tamen illa, quorum non minor, imo interdum potior ratio habenda eſt. Hic nobis generalis idea tenuium humorum figenda erit, quos diſſipari in corpore, nondum cum aliis malis colluctante, & vaſorum majorum, quæ robur omne, calorem & commeatum reliquis vaſis impertiuntur, functiones, adeo ſalutares & neceſſarias, periclitari metuimus.

b) Concinne apud Joſuam C. 7. v. 5. de Iſraelitis tergum in pugna vertentibus legis: וימס לבב העם ויהי למים i. e. liquefactum eſt cor populi & factum aqua.

ruimus. Hic uſu inſpiſſantium inter exercitia corporis omnis medela abſolvi videtur. Abſint ante omnia, quæ morbum fovent: victus tenuis, humidus, ſalinus, vita tranquilla & iners, triſtia pathemata animi. His enim jam laxum corpus & debile plus tono ſuo orbatur, circulationis & coctionum vigor ſuccumbit, inque minoribus vaſis colluvies humorum, in corruptelam ſuam ultro tendentium, creſcit. Corpus iis inſtruendum eſt dotibus, ut ſub prelo cordis fortius impellentis & arteriæ renitentis ſanguis plus ponderis & ſoliditatis acquirat, impreſſumque motum durabiliori actione propaget. Si chylus intro delatus motu ſuo per vaſa eorumque renixu, quippe jam debiliori, non ſubigitur ſatis & in globulos lacteos, mox flavos, denique rubros cogitur, majora vaſa pro rubro & concreſcente ſanguine aquoſum, pallidum vel ſubflavum vehunt, ut in chloroſi feminarum adparet. Pallor hic eſt ob ſolam rubri ſanguinis inopiam: ab ejusdem vaſa majora minus diſtendentis inertia debilitas eſt cum pulſu parvo, unde ex motu in minoribus plus decreſcente nequit ſpontanea hic hærentium humorum corruptio inhiberi. Globuloſus ille contextus ſanguinis, a quo maxime mobilitas pendet, mutatur diminuta ejus copia, laxato vaſe, & languente motu *i*). Convenit igitur non modo victus ſiccior ſolidiorque cum parco potu vini, maxime meraci & auſteri, ſed & præcipua medici cura corporis per juſtos gradus movendi exercendique opportunitatem captat. Pro victu quidem multi carnes aſſas juniorum animalium cum pane biſcocto laudant, alii, qui in animali alimento novas ſemper putredinis ſolventis inſidias formidant, lacteum & farinoſum præferunt; non blandum & gelatinoſum, ſive ex animalibus, ſive ex vegetabilibus cibum cum vinoſis & leniter aromaticis, quæ torpentis coctionis vires erigunt, ſuademus. Tali vero victu ſenſim & repetitis viribus ægrum uti jubemus, & tumentia, ſi forte ſunt, loca ſimul faſciis de die in diem ſtrictius involvi. Inter medicamenta tonica & adſtringentia non prorſus contemnimus cornu cervi uſtum, terras ſigillatas, cortices tamariſci capparidumque, & quicquid ſiccandi adſtringendique moderatas vires poſſidet. Par vero

i) H. Boerhaave *de cognoſc. & curand. morb.* §. 116.

vero nihil eſt chalybi, cujus & corticis peruviani infuſa vinoſa laxas partes & diffluentes humores optabili ſucceſſu coërcent. Nec ſpirituum acidorum foſſilium vel etiam vini, quæ vincula fluidis ſolidisque nova iniiciunt, ut ſuperius vidimus, ſub juſtis indicationibus uſum adſpernamur. Igitur nunc replemus inanita vaſa idoneo alimento, quod ex partibus gelatinoſis & facile inter ſe coëuntibus conſtat, nunc ut major a vaſorum actione denſitas accedat, primum frictu, aliquoties de die calidis linteis iterando, utimur: deinde, ſi vires plus ferunt, lenes ambulatiunculas ſuademus, quibus incaleſcat æger, non ſudet: tandem vectione & equitatione vires fulcimus, Gradus horum motuum, qui roborent laxa, non vires diſpergant, prudentia Medici dirigit, vimque viſcerum, *quæ compingit humores*, reſtituit, nec cito deſiſtit ab opere, nec niſi lento pede ad fortiora adſcendit. Ita redit craſſities humorum naturæ legibus conveniens, cum vigore & conſtantia functionum; redit color vivus ruberque, & calor per corpus æquabiliter diffuſus, ſub quibus ſignis bene conſultum eſſe ægro edocemur.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
CARDIALGIA
PUBLICE PROPOSITA
GOTTINGÆ, D. 19. JUL. 1750.
RESP.
CAROLO SALOM. KOELERO,
ALTORPHINO.

§. I.

A parte læsa & præcipuo, quod illam infestat, symptomate non inconcinne morborum nomina petuntur. Verum in definiendis læsæ partis limitibus velut non raro recentiorum sententia ad maiorem sæculi sui lucem fluctuat; ita excusatius longe veterum aliquando aberravit conjectura. Ne igitur vocem cardialgiæ, quæ ἄλγος τῆς καρδίας, seu cordis dolorem proprie notat, scrupulose nimis, si quo vitio laboret, coarguamus, iusta antiquitatis reverentia prohibet. Perspexerunt acutissimi viri, in hoc morbo cor ipsum, fontem vitæ & caloris, omnino periclitari. Senserunt, in loco, quem cordis scrobiculum vocant, sævire dolores illos, & sub hac sævitia cor ipsum palpitare, angi, & virium deliquia pati. Ita suspicio, cordis ipsius, vitio suo laborantis, facile nomen illud suggessit, quod tamen, cognito pedetentim loci errore, sic emendarunt, ut καρδία tam cordis, quam siniſtri ventriculi orificii commune nomen esset *a*). Sufficit profecto, etiamsi sensum dolo-

a) Καρδίαν non modo τὸ κατὰ τὸν θώρακα σπλάγχνον, σφύξον ἐξ ἑαυτοῦ sed & τὸ τῆς γαστρὸς στόμα notare, neminem veterum lectioni

doloris proprie cordi non convenire, *b*) nec mali huius, cuius jam evolvenda nobis natura eſt, ſedem in corde quærendam eſſe, largiamur; ſufficit, inquam, cor per conſenſum tunc graviter ad-

adſuetum, imo mediocriter eruditum ignorare GALENUS cenſet, idque teſtimoniis *Nicandri*, *Thucydidis*, *Hippocratis* aliorumve, quamvis ex parte ambiguis, illuſtrat. *de Hipp. & Plat. decret. L. II. C. 8. Op. Edit. Iuntin. Cl. I. p.* 240. *B.* Neque vero diffiteri audet, alterum vocis ſenſum, quo os ventriculi ſignificat, per abuſum, catachreſin & conſuetudinem ſumi. Cor ita ſitum eſt, ait, ut prope os ventriculi eſſe videatur, hinc ducto a ſitu partis argumento initium mali a corde eſſe, imo cor ipſum morderi, arbitrabantur. *Comm. in Hipp. L. II. de morb. vulg. Op. Cl. III. p.* 198. *C. D.* Sic cardialgiam ARETAEUS. διὰ τὸ πρὸς τὴν καρδίην γειτόνημα explicat, *morb. diuturn. L. II. C.* 6. Et nonne ipſa *Hippocratis* verba: καρδιωγμὸν οἱ ἄνθρωποι καλέουσιν, arguunt a plebe eſſe hunc καρδίας ſenſum? *IV. de morb. Op. Edit Linden. p.* 131. *XIII.* 6. Nihilominus illo etiam improprio ſenſu antiquior & frequentior vox eſt Galeno καρδία quam στόμαχος. Veteres omnes, inquit, καρδίαν adpellabant, ut noſtra ætate ſtomachum, *de loc. adfect. L. V. C.* 6. *Op. Cl. IV. p.* 32. *E. it. de compoſ. pharmac. ſec. loc. L. III. C. I. Op. Cl. II. p.* 187. *F.* Vero quam ſimillimum eſt, antiquius & in anatome rudius ævum, non nobiliorum quidem viſcerum, at exiliorum partium, qualis os ventriculi, nominibus diu deſtitutum, vocem cordi propriam ſenſim ori ventriculi tribuiſſe, notata utrinque tam mirabili malorum communione, licet græcæ litteraturæ divitiis derogare videatur, res tam diverſas, uno nomine complecti. Stomachatur certe CAEL AURELIANUS, dolorem oris ventris a plurimis idiotis cordis dolorem, id eſt, cardialgiam vocari. *de morb. ac L. II. C.* 35. *p. m.* 158. Nos etiamnum cum plebe vocamus *Hertzensangſt, Hertzweh, Hertzdrücken, Hertzbeklemmung, Hertzwurm, Hertzgeſpann.* Quanto id minus vitio verti veteribus poteſt, quibus cum *Eraſiſtrato, Aſclepiade* aliisve, ipſo, ut *Cælius* ait, nominis teſtimonio nixis, locus proprie adfectus cor viſum eſt? Eſt & inter recentiores *Ph. Iac. Hartmann*, qui veram cardialgiam vocat ſyncopen ex polypo cordis. *Eph. N. C. D. II. A.* 10. *O.* 160. *p.* 254.

b) Cor rem ſolidam & denſam vocat & propterea non dolentem. *L. IV. de morb. Op. T. II. p.* 117. *X.* 5. Nemo, GALENUS inquit, in doloribus reliquisque tam animi quam corporis adfectibus cor ipſum morderi unquam ſenſit, *de Hippocrat. & Plat. decret. L. II. Op. Cl. I. p.* 240. *B.* Id quod recentiores ulterius illuſtrant, dum nervis animali non vitali functioni ſervientibus, ſi tenduntur, dolorem tribuunt.

adfligi, & noxam, quæ huc redundat, illa, quæ ori ventriculi, ſeu ſtomacho e) tanquam natali loco incumbit, etiam atrociorem & periculi pleniorem eſſe.

§. II.

e) στόμα & στόμαχος (ut μόνος & μόναχος) nativo ſenſu non differunt, quo patens in maius cavum os vel hiatus intelligitur. Non alieno, ad corpus vero humanum magis adſtricto ſenſu, collum omni ventri præpoſitum & iſthmi inſtar anguſtum ſtomachus veteribus audivit, teſte GALENO *de uſu part. corp. hum. L. IV. C. I. Op. Cl. I. p.* 135. *G.* Ideo *Hippocrates* uteri & veſicæ non minus quam ventriculi collum ſeu cervicem vocat ſtomachum, e. c. στόμαχον τῆς κύστιος, τῆς μήτρης, τῶν μητρέων, τῶν ὑστερέων, τῆς αἰδοίης, & ſic τῆς γαστρὸς vel κοιλίας. *v. Oecon. Hipp. Foeſii p.* 355. Mirum non eſt, ventriculi ſtomachum, ut ceteris inſigniorem amplioremve, uſu prævaluiſſe, reliquis ſtomachis ſenſim oblitteratis. Adeoque ſtomachus idem jam fuit quam œſophagus, communis nempe cibi ad ventriculum via, modo quod propria vox, quæ illam notat, eſſet œſophagi, communis vero ſtomachi, quippe ad alia, ut vidimus, loca olim adplicati. *v. Gal. de uſ. part. L. IV. C. I. Op. Cl. I. p.* 135. *G.* Quis non videt, *Galenum* de œſophago agere, dum ſtomachum ventriculi ſcribit ſpinæ vertebris invectum permeare totum thoracem, ſub tali ſitus ſtabilitate & ſecuritate, ut nec cordi nec pulmoni nec aliis partibus thoracis negotium faceſſat: ad perpendiculum quatuor primis dorſi vertebris extendi, ad quintam digredi dextrorſum, ut aortæ cedat, a qua tamen ex parte in communem vertebrarum ſedem admittitur: denique ubi phrenes contigit, ſuper aortam progredi, & ad lævam ori ventriculi infigi, *ib. L. IV. C. V. & VI. Op. Cl. I. p.* 149. *D. E. F.* Hoc iter ait habere στόμαχον τῆς κοιλίας, ἣν οἰσοφάγον ὀνομάζουσιν. *ib. L. VI. C. I. Op. Cl. I. p.* 147. *H. it. p.* 149. *G.* Id vero omni ambiguitate non caret, quando œſophagum ante, ſtomachum poſt ævum *Ariſtotelis* (qui ipſe utraque voce promiſcue uſus) de illa parte valere ſcribit, quæ inter fauces & os ventriculi media eſt. *ib. L. V. C. V. Op. Cl. IV. p.* 32. *A.* An igitur excluſo ore ventriculi? an ſic diſtincto, uti apud *Hippocratem*, qui τὸ στόμα & στομάχε de utero habet? *de ſuperfoet. Op. T. II. p.* 656. *XVII. g.* Ab excludente non multum abeſt *Galenus*, etiam dum admittit. Nam connivendo quaſi præcipit, per ſtomachum non modo eum intelligi debere, qui hoc nomine proprie donatur, ſed & os ventriculi. *Com. VI. in Aph. Hipp. Op. Cl. extr. p.* 50. *G.* Adeo vero non excludunt verba *Hippocratis*, quæ apud *Foëſium* rectius quam *Cornarium* leguntur, ut œſophagum, ubi terminatur in ventriculum, vocari etiam ſtomachum, di-

§. II.

Præſtat inſpicere, quid re ipſa cardialgia ſit? Eſt dolor exquiſitus ſiniſtri oris ventriculi, nec infrequenter dextri, quin ex ipſius

ſerte tradere videantur. Ὀισοφάγος, inquit, ἀπὸ γλώττης τὴν ἀρχὴν ποιέυμενος, ἐς κοιλίαν τελευτᾶ, ὃν δὴ καὶ ἐπὶ στπτικῆς κοιλίας στόμαχον καλέυσιν, *de reſect. Op. T. I. p.* 288. 11 13. 14. *Edit. Foeſ. p.* 9. 6. *C.* Vix vero ſub voce ſtomachi antiquior uſus os ventriculi comprehendit, quando HOMERUS *Menelaum* ait haſtam impreſſiſſe *Euphorbi* gulæ, κατὰ στομάχοιο, *Iliad. L. XVII. v.* 47. *Agamemnonem* fauces apri, στόμαχον κάπρε, *Iliad. L. XIX. v.* 266. & agnorum fauces στομάχες ἄρνων, ferro abſcidiſſe *Iliad. L. III. v.* 292. Quem ſenſum antiquum fere retinet *Celſus*, dum faucibus ſubeſſe ſtomachum, *Med. L.* 4. *c.* 5. & *Cicero* dum eum ad linguæ radices hærere ſcribit, *de nat. Deor. L. II. C.* 54. Sic *Iul. Pollux*, dum ſtomachum ait bronchum quoque & pharyngem vocari, *onomaſt. L. II.* 5. *C.* 4. *ſegm.* 42. Ut brevis ſim, ſtomachus nunc totum oeſophagum, nunc ejus ſuperiorem partem, nunc inferiorem tantum, ſeu os ventriculi ſignificat, qui fere totus eſt ambiguitatis limes. Hoc *Harduinum* video ad illum *Plinii* locum inculcare, quo ſummum gulæ fauces, extremum ſtomachum vocat, & paulo ante, fauces ad gulam, ſtomachum ad ventrem tendere ait, *v. Hiſt. Nat. L. XI. C.* 37. *Ed. Hard. p.* 624. 625. Id certe palam eſt, excuſſis probe & inter ſe comparatis Galeni locis, ſtomachum nil aliud illius ævo, quam os ventriculi indicaſſe. *Vocamus*, inquit, *noſtra tempeſtate os ventriculi ſtomachum, quia is uſus apud vulgus, de cauſſ. pulſ. L. IV. C.* 23. *Op. Cl. IV. p.* 103. *C. conf. de pulſ. ad Tyron. c.* 2. *p.* 46. *C.* An apud ſolam vulgus? *non modo populares ſic vocant*, rurſus inquit, *ſed & τῶν ἰατρῶν δοκιμώτατοι. de loc. affect. L. II. C.* 8. *Op. Cl. IV. p.* 12. *H.* vel alio loco: *non modo medici ſed univerſi homines. ib. L. III. C.* 7. *Op. Cl. IV. p.* 20. *H.* Id tamen deflectere ab antiquiorum uſu, his verbis adgnoſcit: *per abuſum vocant ſtomachum os ventris, non modo populares ſed & medici probatiſſimi. ib. L. II. C.* 9. *Op. Cl. IV. p.* 12. *G.* Poſſis vero antiquitatem etiam exemplo *Eraſiſtrati* tueri, qui apud *A. Gellium* ex altera fiſtula ab oris faucibus deſcendente, adeoque oeſophago eſculenta omnia & potulenta deduci in ſtomachum, inde in ventriculum, ſeu τὴν κάτω κοιλίαν ferri docuit. *v. Gellii noct. Attic. L.* 17. *C. XI.* Hodie in hoc ſenſu, qui ævo Galenico fuit, doctiores medici fere adquieſcunt, licet non ignari, vulgo pro ipſo ventriculo ſtomachum ſumi, & paſſim a ſcripto-

ipſius ventriculi a communi labe adfecti, circa ſcrobiculum cordis & vicina conſiſtens, ex gravi irritatione corruptorum & mordacium humorum, vel alterius ſævioris cauſſæ, proveniens, cum angore, reſpiratione difficili, inquietudine & nauſea, vel etiam vomitu, infeſtans, in progreſſu vero ob ſumma cum nervis capitis & cordis commercia, ibi per cephalalgias, vertigines, deliria, aliquando & convulſiones, hic etiam per deliquia virium & ſyncopen cum ſudoribus frigidis, ipſam vitalitatis arcem oppugnans. GALENUS *d)* ſuccincte oris ventris infeſtum ſymptoma vocat, a ſuccis mordacibus proveniens. Dum os ventriculi adpellat, more omnium Græcorum & Arabum, non niſi os ſiniſtrum intelligimus, quod œſophago continuum, & perforata diaphragmatis parte carnea lateſcens, ad angulos pene rectos ventriculo inſeritur, propinquius ſpinæ dorſi, quam cartilagini enſiformi. Hoc exquiſitioris ad injuriam ſenſus eſt, nec facile pars occurrit in univerſo corpore, ſub præſtantiori nervorum cum nobiliſſimis viſceribus conſenſu *e)*. Nervus enim paris vagi, ad ventriculum quaſi ultimam metam delatus, ad hoc oſtium, ut WILLISII verbis utar, plexus inſignes, imo quoddam quaſi reticulum, quo totus ejus ambitus cingitur, conſtituit *f)*. A. C. THEBESIUS feminæ multis annis cardialgicæ meminit, quæ intenſiſſimorum dolorum cauſſas in mortua indagari vivens juſſit. Deprehenſum eſt in orificio ſiniſtro foramen, nucis myriſticæ magnitudinem excedens, in cavum ventriculi & œſophagi, in quibus effuſi puris copia hæſit, hians *g)*. G. F. HILDANUS juve-

ribus latinis ſumtum eſſe. Quo novo gradu dum cecidit, honore videtur adſcendiſſe. Ita enim *Serenus* regem corporis ſtomachum adpellavit. *Med. p. m.* 153. *Helmontius* animæ ſedem ibi collocavit. Cum dictis confer *I. Gorræi definit. med. p. m.* 595.

d) De ſympt. cauſſ. L. I. C. 7. *Op. Cl. III. p.* 18. *E.*

e) Nullum membrorum inquit *Galenus, aut ſenſus tam exacti eſt, aut ita utrumque principium cordis & capitis una ſecum adficit. de ſympt. cauſſ.* L. I. c. 7. *Op. Cl.* III. p. 17. G.

f) Pharm. rat. P. I. S. I. c. 2. p. m. 11.

g) *Eph. N. C. Cent. III. & IV. O.* 120. *p.* 275. Ubi tota ſæviſſimi mor-

juvenem robuſtum a lauto convivio doloribus ſtomachi correptum memorat, illis ſenſim vehementer auctis, cum febre & gravi dolore capitis, poſt menſes XVIII ſuccumbentem. Vidit HILDANUS, in eodem orificio fœtidum ulcus, ventriculum corruptis plenum, & libras circiter duas limpidæ aquæ, in cerebri ſinus, effuſas *h*). Adeo a primo illo fonte non vicina ſolum, ſed & remotiora gtaviter & brevi tempore adfliguntur. Geminum ſteatoma internæ parti orificii ſiniſtri adnatum, unum ovi magnitudine, alterum digiti longitudine ex PRAEVOTIO Io. RHODIUS *i*) recenſet. HERCULES A SAXONIA in puero cardialgico maculam ex rubro liveſcentem a punctura majoris lumbrici reperit: in alia vidit XXXIII vermes, omnes dodrantales, dicto ori ventriculi adeo tenaciter adhærentes, *ut vix avelli poſſent k*). REIN. SOLENANDER ſecto corpore Poloni, qui maximum iisdem locis ardorem perpeſſus erat, maculas rubras, tanquam formicarum morſus in ſuperficie exteriori oris ventriculi deprehendit *l*). Gravem & inauditum dolorem oſtii hujus, quod acumen cordis a cibo ſumto per annum compreſſit, deſcribit ANT. a POZZIS. Cor fuit bovino majus repertum, compreſſis pulmonibus fere omnem thoracem replens, ipſum binis polypis oppletum, una impedito per aſciten diaphragmatis motu *m*). Scirrhos & carcinomata, ipſosque *in peſte anthraces his locis inter ſummos dolores* inſediſſe teſtantur paſſim *auctores, quo etiam ex calloſitate*, vel ſarcomate *n*), vel ſimilibus cauſſis natas anguſtias, cum angore tamen magis, quam acuto dolore conjunctas, & fame ut plurimum

bi ſcena cum alio etiam foramine in oppoſito oeſophagi fine, puri exitum præbente, ſimulque putri colluvie abdominali, vaſisque circa plexus ſtomachales & meſentericos tumidis lividisque fuſe deſcribitur.

h) *Cent.* III. O. 20. p. 200. Conf. C. V. O. 36.

i) O. 63. C. II. Conf. *Boneti Anat. pract.* LIII. S. 8. O. 16.

k) *Prælect. pract.* P. II. c. 7. §. 4.

l) *Conſil.* 16. S. 5.

m) *Eph. N. C. D. I. A. IV. & V. O.* 31. *p.* 32.

n) ipſe *Galenus* βλάσημά τι σαρκώδες κατὰ τὸν στόμαχον notavit *de ſympt. cauſſ. L. III. c.* 2. *op. Cl. III. p.* 25. G.

rimum perimentes, referre licet, ut apud G. C. SCHELLHAMMERUM *o*) Io. FERNELIUM *p*) & exaſciate apud illuſtrem virum, D. W. TRILLERUM *q*) legimus. At & crebro in cardialgicis pylorus laborat, qui verſus dextrum latus adſurgit in medio hypochondriorum loco, qua ſinuata nonnihil introrſum pectoris cartilago ſterno adhæret, & cavum anterius pectori ſubjicit, quam foveam cordis vulgus nuncupat. Hic ſævientes dolores ſuperiori orificio, ſeu ſtomacho, fruſtra imputari Io. VESLINGIUS cenſet *r*). Atque hoc dextrum orificium ventriculi ſiniſtro tenuius & anguſtius, nervorum ſenſibilium copia ſimiliter obvallatum, prominentem annulum oſculo uteri ſimilem exhibet, quem robuſtus carnearum fibrarum faſciculus cum nervea & villoſa membrana efficit *s*). GU. ROLLFINCIUS pylorum ait non minori artificio & reticulato plexu nervorum coronari, at dolores ejus crebros & acutos per communem conſuetudinem ſiniſtro orificio tribui.

o) *Op. L. II. S. II. c. 9. §. 3. p.* 130. *Vidi*, inquit, *hic loci tantas a ſcirrho anguſtias, ut rejectis omnibus fame interierit æger.*

p) *Pathol. L. VI. c. I.* Gravida ob durum & ingens tuberculum in ore ventriculi nil potuit ingerere, quin tacto illo remearet. *Sic* maximo canatu, bimeſtri tempore, quidpiam deglutire impos ſub febre & deſipientia poſt excluſum partum occubuit. Quale Io. RIOLANUS de tuberculo pylori habet, unde æger per XI menſes vomuit & extenuatus interiit. In cadavere locus adeo obturatus fuit, ut vix liquor tranſiret. v. *part. meth. med. S. III. p.* 175. *b.*

q) In eximia *Diſſert. de fame lethali ex calloſa oris ventriculi anguſtia, Witteb.* 1750. Fuit nobilis gurges, qui ingeſta primum ſine offenſa deſcendere, dein immota hærere extra poteſtatem propellendi ſenſit. Hinc menſas opiparis dapibus onuſtas appetiit non minus quam exhorruit, clauſo demum omni itinere cibario ob negatam vitæ fulturam extabeſcens. Repertum eſt os ſuperius durum & cartilagineum, imo fere oſſeum, ſpecilli acumen omni vi ægre admittens, quo etiam diſcindi vix potuit. Illuſtrat *Vir illuſtris* caſum inſignioribus exemplis de oeſophago calloſo ex *Nic. Sampſonio* & *I. G. Beckers*, *Io. Rhodio*, aliisque §. 33 & 34.

r) *Syntagm. anat. C. III. p.* 27.

s) WINSLOV. *Exp. Anat.* T. III. *p. m.* 315. *Morgagnii Adv. Anat. III. p. m.* 6.

tribui. Adſtruit orificiorum viciniam, dolorum ſimilitudinem & nervorum utrobique æqualem multitudinem, adeoque parem orificiorum dignitatem *t*). Boni inſtar janitoris nihil transmittit pylorus, cui patere non debet, & oblique in duodenum protenſus motu ventriculi periſtaltico ſoluta lente admittit, ſalubriter in ſulcis ſuis retinet & quaſi luſtrat, paullatimque ad inteſtina per divisas moleculas propellit. Promptum vero judicium eſt, ab iis, quæ vitioſa ingeruntur, & per ſiniſtrum os plerumque momentanea mora elabuntur, plus ſiſti circa pylorum, & inter novas corruptelæ in ventriculo cauſſas ei nocentius circumfundi: quemadmodum & retro pancreatis, hepatisque labes & alia tetro turbine irruunt, ut mirum non ſit, judice HENR. MEIBOMIO *u*) & FR. HOFFMANNO *x*) *in iis, quos interemit cardialgia, toties in pyloro ſcirrhos, ſphacelos*, abſceſſus, inveſtigantium oculis ſeſe obtuliſſe. Ab anguſtiis pylori in hypochondriacorum corpore crebris GUIL. BALLONIUS *y*); ab herpete circa pylorum DOM. PANAROLUS *z*); a ſcirrho ejus PHIL. SALMUTH *a*); a pyloro ſteatomate oppleto IO. SCHENCK *b*); ab eo gypſea materia intus et extus incruſtato NIC. *de* BLEGNY *c*); ab eodem

t) *Diſſert. anat. L. IV. c. 38. Caſp. Hofmannus* Inſt. med. L. II. c. 30. dextro tribuit cumulum nervorum *inſignium, unde tam exquiſite ſentiat*, ſiniſtro ſubſtantiam glanduloſam, quæ muſculi vicem *magis obit. Cæc. Folius in Epiſt. 62. Cent. I. Th. Barthol. p.* 253. ex eo, quod carnoſa & glanduloſa utraque orificia ventriculi ſint, ideo apoſtematibus & exulcerationibus maxime ſubjecta eſſe, neminem ſanæ mentis negare credit.

u) *diſp. de cardialg.* §. 8.

x) *med. ſyſt. rat.* T. IV. *P.* II. *S.* II. *C.* 2. & 3. *p.* 222.

y) *Conſ.* 24. *L. III.*

z) *Pentecoſt. I. O.* 43.

a) *O.* 20. *c.* 13. Simile occurrit apud *Laz. Riverium* C. I. O. 90. Fuit aurifaber Monſpelienſis, continua cardialgia ad ſummam maciem deductus. Scirrhus in pylœro & parte vicina, *ipſo* pancreate & meſenterio exſtitit.

b) *Exerc.* 7. *L. I. S.* 2. *c.* 33.

c) *Zodiac. A. I. O. III. p.* 46.

dem per nummum argenteum occluſo THEOD. KERCKRING *d*); denique ab occalleſcente & cartilaginoſo reddito ISBR. DIEMERBROEK *e*) cardialgias cum vomitu commemorant. Nec vero orificia ſolum, ſed & totum ſimul ventriculum pro principe morbi ſede declaravimus. An enim ille concipi poteſt nihil hujus mali ſuſtinere, quod in ſiniſtrum vel dextrum orificium decumbit? an vero ſenſus tam hebetis eſt, ut ad ſimiles cauſſas, quas ſæpe in ſinu ſuo & ſulcis tenacius retinet, parum commoveatur? Sane TH. WILLISIUS *f*) nerveam ventriculi tunicam vocare veram cardialgiæ ſedem non dubitat. AVICENNA quoque & veteres Arabes hic generatim dolores ventriculi accuſant. Inter recentiores etiam mavult GOTHOFREDUS KLAUNIG colicam ventriculi quam cardialgiam vocare *g*). Vaſorum arterioſorum, venoſorum, lymphaticorum, nervorum fibrarumque, rugarum, ſulcorum, glandularum humorumque ex omni ambitu ſcaturientium tum mirabilis eſt ad ſapientiſſimæ fabricæ leges conſenſus *h*), ut

d) *Obſ. anat. I.*

e) *Anat.* L. I. c. 5.

f) *Pharm. rat. S.* 2. *p.* 2. *c.* 9.

g) *Eph. N. C. C.* III. & IV. *Obſ.* 146. *p.* 337. Vocat quoque ventriculi colicam LAZ. RIVERIUS *O.* 44. *C. I.*

h) Nervorum vaſorumque exactam uberemque deſcriptionem ſuggerit *Vir ill.* A. HALLERUS *Comm. in Inſt. Boerh. Vol. I. p.* 259-261. Nervi paris octavi dato plexu pneumonico accedunt ad oeſophagum & variis locis coeuntes conſtituunt truncum anteriorem & poſteriorem. Anterior & ſiniſter (*quem minus concinne* dextrum cum Veſalio vulgo vocant) plexum circa oeſophagum facit, & magna parte plexui ſemilunari inſeritur. Poſterior & dexter plexum inter oſtia format. Multi parvam curvaturam ab ore ſuperiori ad inferius inveſtiunt, reliqui diſperguntur ad latera, ad extrema, ad magnam in primis curvaturam ſub reticulari ingreſſu ad interiorem usque tunicam. Vaſta horum nervorum moles eſt, & large per ventriculum ſparſa. H. BOERHAAVIUS putat, innumeras illas paris vagi propagines cum intercoſtali miſceri, & hujus ſemilunari plexu; tunc in fibras muſculoſas, & variæ formæ papillas abire, & poſt mirabiles nexus in nervea illa lanugine evaneſcere, quæ cum vaſculis villoſam cruſtam conſtituit. De quo intercoſtalium congreſſu dubitant alii, judice tamen WINSLOVIO per ramuſculos commu-

ut insignium laesionum, cum maximo dolore conjunctarum, summam hic opportunitatem nemo diffiteri possit. Scorbuticus quinquagenarius apud TH. BARTHOLINUM *i*) dolore ventriculi vicinorumque oppressus, indagata causa, ut ipse jusserat, totam interiorem faciem ventriculi rubicundam & tantum non excoriatam exhibuit. FR. RUYSCHIUS *k*) in summo cardialgico fundum ventriculi tumore scirrhoso ad pugni magnitudinem obsessum vidit, corrupto & atro humore refertum. In muliere per tredecim continuos annos cardialgica, & intra id tempus quater pariente, vidit C. STALPART *vander* WIEL *l*) exesum tres digitis sub ore sinistro

nicat, quos plexus stomachicus accipit a gangliis semilunaribus, plexu hepatico, & particulatim splenico. Exp. anat. *T. III. p.* 318 § 79.

Ex arteriis Coeliaca prospicit ventriculo, & ex aorta supra mesentericam emergens non longe ab ortu coronariam, seu gastricam superiorem emittit, quae ambit oesophagum, & spatia ostiis interjecta emetitur. Ubi lienem jam adit coeliaca, dat reflexa ventriculo vasa brevia arteriosa, quibus creber nexus cum gastrica sinistra & gastroëpiploica intercedit. Ipse trnncus arteriae lienaris ima sede refluxus dat ventriculo gastroëpiploicam sinistram, truncus vero coeliacae dexter hepar adiens pone duodenum spargit gastroëpiploicam dextram. Hae arteriae inter extremam tunicam & nerveam penetrant, & per nervosam in minimos ramulos disperguntur. Dum ex diversis locis hae arteriae adeunt ventriculum, rationem fabricae H. BOERHAAVIUS in eo ponit, ut ventriculo distento fraudi non sit una arteria, qualis plerisque visceribus impenditur, compressa ac circulum facile turbans. Communicant vero hae arteriae cum pylorica, mesenterica, mammariis internis & diaphragmaticis. v. WINSLOV. *l. c. T. III. p.* 316. §. 76.

Venae, coronaria gastrica superior, gastroëpiploica dextra & sinistra, coronaria dextra, & rami breves ex splenica cum paucis aliis sunt judice WINSLOVIO *l. c. p.* 317. §. 77. generatim ramificationes V. P. particulatim magnae mesentericae, splenicae, nec non haemorrhoidalis internae. Comites plerumque arteriarum suarum venae similiter formant radios & areolas reticulares, sed ampliores & majoris commercii externi. Saepe ex his venis, infarctu viscerum abdominalium varicosis, tumores, corruptelae, ulcera, aliaque mala circa ventriculum oriuntur.

i) *Act. med. Vol.* III. O. 34.

k) *Obs. anat. chirurg.* XXXIX. Conf. de scirrho ventriculi LEONH. JACHINUM in IX. Rhas. c. 46. P. 2.

l) *Obs.* 26. *Cent. post. p.* 272.

ſiniſtro ventriculum, cum cancroſo intra illud foramen tumore, peritonæo adhærentem, inter alia vitia hepatis & lienis. Scirrhum inter binas tunicas in fine ventriculi Hippol. Boscus *m*), abſceſſum in ventriculo cum materia nigra, lutulenta, corrupta, P. Borellus *n*), ulcus exeſis omnibus verſus pylorum tunicis Jac. Hollerius *o*), ventriculum exterius in omni ambitu exulceratum, cum partibus contiguis, in muliere peſſimi halitus & perpetuo cardialgica Remb. Dodonaeus *p*), interiores tunicas prope pylorum eroſas, Marc. Donatus *q*) recenſent. Foramen ventriculi cruſtoſum & fiſtuloſum Phil. Salmuth *r*), foramen in ſede elatiori ventriculi ſub ſterno G. A. Merclin *s*), internas membranas ſine muco & velut igne corroſas Dom. Panarolus *t*), diffluentem cum rubore & livida eroſione ventriculum Dom. Scala *u*), perforatum minimis foraminulis Th. Bartholinus *x*), in cardialgia obſervarunt. Natam a ſiccitate aut tumore membranarum Jo. Riolanus *y*), a veſiculis ventriculo adfixis, pediculorum plenis, Jo. Heurnius *z*), a mola carnea, ſpongioſa, in ventriculo genita, damaſceni magnitudine, duarum unciarum, coloris hepatici, Ant. Vitiglianus *a*), a lapide magni-

m) *De facult. anat. L.* II. *p.* 21.

n) *C.* I. *O.* 54. it. Guil. Ballon. *L.* I. *conſ.* 43. Hor. Augen. *L.* V. *Ep.* I. *c.* II.

o) *Schol. ad c.* 43. *de morb. intern.*

p) *Obſ. med: cap.* 25. *p.* 61.

q) *Hiſt. mir. L. IV. c.* 3.

r) *Cent. I O.* 43. *p.* 28.

s) *Eph. N. C. D. I. A.* 2. *O.* 229. *p.* 332.

t) *Pentec.* I. *O.* 20. *conf.* Theoph. Boneti *anatom. pract. L.* III. *S.* 7. *O.* 10. de fundo ventriculi interne nigricante, & tanquam ab igne uſtulato. Eryſipelas ventriculi fuiſſe colligit ex ſocia febre lipyria, ſiti, & frigore extremorum.

u) *apud* Theoph. Bonetum *l. c. O.* 2.

x) *C.* II. *H.* 18.

y) *Enchir. L.* II. *c.* 23.

z) *De morb. Cap. c.* 27.

a) *apud Panarolum Pentec.* V. *O.* XI.

magnitudinis fere ovi gallinæ, HIER. CARDANUS *b*), a lapidibus intra tunicas ventriculi, WOLFG. HOEFERUS *c*), a lapidibus plus quam XXX fundo ventriculi pertinaciter adhærentibus Io. BILGER *d*), deſcripſerunt. Et hæc quidem, quam hucusque arguimus, princeps cardialgiæ ſedes eſt. Præterea vero vincula adfinitatis, quæ cum nobiliſſimis viſceribus ventriculo intercedunt, & vaſorum nervorumque inſtructiſſimis commerciis ſuſtentantur, hinc maxime contiguarum partium pronus in mutua pericula conſenſus, non locis nimis reſtrictis dolores noſtros coërcent, quin ad confinia ſe extendant. Ventriculus ſuperne continuus oeſophago & diaphragmati, inferne inteſtinis, maxima parte hepatis cooperitur, a ſiniſtris accumbit lien, pancreas pone ipſum hæret, colon fundum tangit. *Mirum non eſt, a laceſſitis ſub illa ſenſus & virium communione partibus mutuam labem & aſpergi & recipi.* Ventriculum cum oeſophago HENR. *ab* HEERS *e*), cum ſima parte hepatis arroſum PHIL. SALMUTH *f*) depingunt. Hepar ſcirrhoſum & atro virore lividum CAR. PISO *g*), lobum hepatis ventriculo incumbentem & inflammatum ZACUTUS LUSITANUS *h*), cyſtidem felleam, quaſi titione ardente ventticulum ſuo attactu urentem, Jo. RIOLANUS *i*), adhærens putre hepar ad diaphragma TH. BONETUS *k*), qui etiam hoc viſcus mole ſua ventriculum premens accuſat, *in cardialgicis repererunt.* A pancreate poſtice, epigaſtrio antice adnatis ventriculo, GERH. BLASIUS

b) *contrad.* 9. *L.* II. *Tr.* 5.
c) *Hercul. med. L.* III. *c.* 1.
d) *apud* GREG. HORSTIUM, *Op. T.* I. *p. m.* 142. fuit illo loco teli quaſi inflicti ſenſus.
e) *Obſ.* 16. Ipſe tamen a reo culpam mortis hinc ſubſecutæ removet. Licebit ruptum inter vomendi molimina oeſophagum, qui ingentes dolores circa ventriculum reliquit, huc referre. Atrocis nec deſcripti prius morbi hiſtoriam concinnavit H. BOERHAAVIUS *Leyd.* 1724.
f) *C.* I. *O.* 9.
g) *De morbis a ſero S.* IV. *c.* 1.
h) *Prax. admir. L.* III. *c.* 23.
i) *Enchir. L.* I. *c.* 23.
k) *l. c. L.* III. *S.* VII. *O.* 18. it. *O.* 51.

sius *l*), a pancreate ſcirrhoſo Jo. Rhodius *m*), ab eo fere lapideo Dom. Panarolus *n*), ab eo corrupto & ſphacelato Paul. Barbette *o*), ab eodem ſcirrhoſo & rene ſiniſtro purulento Car. Sponius *p*), denique a toto pancreate, ex parte etiam pyloro, & meſenterio ſcirrhoſis Laz. Riverius *q*) exortum mali noſtri illuſtrant. Idem Riverius *r*) ab epiploo ſcirrhoſo & inteſtinis lividis, ab eodem gangrænoſo cum fundo ventriculi inflammato Gerh. Blasius *s*), ab eo putrefacto cum vitiis ventriculi & hepatis Iac. Hollerius *t*), ex duodeni laxitate & amplitudine, cum adfluxu acrium & vitioſorum humorum Jo. Veslingius, & cum eo Isbr. Diemerboek *u*), a jejuno inteſtino magnum & candeſcentem lapidem continente, qui illud prope os ventriculi obſtruxit, C. V. Schneider *x*) delinearunt. Singularis eſt, quam ab aneuriſmate arteriæ cœliacæ ad pugni magnitudinem dilatatæ, natam cardialgiam apud Bonetum legimus *y*). Ab indureſcente & inferius eminente cartilagine xiphoide Guil. Ballonius *z*) cardialgiam notavit, quam a prolapſu hujus cartilaginis frequentem Braſilienſibus vocat, & alicubi endemiam Guil. Piso *a*). Non eſt uberiori auctorum teſtimonio opus pro cauſſa ventriculi, aliorum viſcerum culpam luentis, peroranda.

§. III.

l) *Obſ. med. II. P.* 2.
m) *Cent.* II. *O.* 90.
n) *Pentec. O.* 44.
o) *Prax. L.* IV. *c.* 2.
p) apud Bonetum *l. c. L.* III. *S.* 7. *O.* 49.
q) *C. I. O.* 20.
r) C. II. O. 48.
s) *Obſ. anat. p.* 140.
t) *Obſ.* 21.
u) *Anat. L.* I. *c.* 7.
x) De *catarrh. L.* III. C. VII. *P. M.* 238.
y) *l. c. L.* III. *S.* VII. *O.* 47.
z) *Epidem. L.* II. *p.* 242.
a) *De medic. Braſ. L.* II. *c.* 6.

§. III.

Cardialgia, Cardiogmus, cardiaca & alia eiusdem originis nomina vix re ipsa multum differunt *b*). Certe ex NIC. PISONIS *c*) sententia, cum una sit pars læsa, una caussa, non nisi gradu vel remissiori vel intensiori differunt, ut asthma ab orthopnoea, scotomia a vertigine, liporymia a syncope. Nondum scio, inquit IO. GORRAEUS *d*), a veteribus definitum, quomodo cardialgia & cardiogmus inter se differunt. Et qui sciat? cum GALENUS *e*), ut cardialgiam & cardiogmum, sic καρδιαλγεῖν & καρδιώσσειν *f*) rem unam HIPPOCRATI esse, sub sui adsensus luculentis testimoniis confirmet. EROTIANUS una dictione explicat καρδιαλγεῖν & καρδιώσσειν per τὸ μετὰ ναυσίας καὶ ὀδύνης ἀνιᾶ-

b) Cardialgia passim apud ARETAEUM, crebrius apud GALENUM occurrit, cardiogmus familiare HIPPOCRATI nomen est, qui etiam πόνον καρδίας vel πόνον καρδιαλγικόν, velut scholiastes THUCYDIDIS in pestis descriptione πόνον τῆ στομάχῳ vocat. Nec differunt δῆξις τῆ στήθεος HIPPOCRATIS, δηγμὸς στομάχου DIOSCORIDIS, δῆξις τῆς καρδίας vel θλῖψις τῆ στομάχῳ GALENI. Cardialæa est cardialgia contumax & inveterata, sævæ cacochymiæ proles, ut in scorbuticis. Cardinoma AURELIANI est, qui etiam cum Græcis συνάγχην στομαχικήν nuncupat. TRALLIANO καρδιακὸς τόνος audit, aliis ἔκλυσις καρδιακή, vel στομαχική, CASTELLO syncope stomachica. Præterea Græci scriptores τῷ στομάχῳ κάυσονα πύρωσιν & ἔγκαυσιν, atque hoc morbo oppressos ἐγκαομένους vel καρδιακαομένους, quæ linguæ ubertas est, adpellant.

c) *De morb. cognosc. & curand. L. III. c. 3.*

d) *Op. p.* 290.

e) *Comm. III. in progn. & in Aph.* 65. *L. IV.* it. *in L. II. morb. vulg. Op. T. III. p.* 198. *C.*

f) καρδιώττειν EUSTATHIO est τὸ καρδίαν ἀλγεῖν καὶ ναυτιᾶν; Hesychio simpliciter τὸ καρδίαν ἀλγεῖν. Singulari ei sensu notat, stomachum fame morderi, ὑπὸ λιμοῦ δάκνεσθαι. Et IUL. POLLUX *L. II. c. 4. p. m.* 258. Doribus idem esse καρδιώττειν, refert, ac βουλιμιᾶν, esurire: nempe fames etiam morsus est, sive secundum GALENUM σύμπτωμα τῶν ἐδακνομένων, *L. II. de facult. aliment.*

ἐνιαῦθα τὸν στόμαχον. An cardiaca maiori diſtat limite? Sane & hic vitium ſtomachi adgnoſcunt omnes, ſed quod nervis in rete denſum divaricatis cum cordis nervis communicans, ſummo angore & inter deliquia ac ſudores adfligit. Diſerte AETIUS g) os ventris primum eſſe ait, quod in cardialgia adficitur, ita tamen, ut per conſenſum & propter viciniam cor oblaedat. TRALLIANUS h) humores magis virulentos accuſat, qui ad os ventriculi confluxerint, aut collecti hæreant. Ex CELSO i) etiam diſcimus, cardiacos proprie vocari, qui ab adfecto & languente ſtomacho deficiunt animo, & immodico ſudore ſolvuntur. Non igitur niſi gradu diffident cardialgia, cardiogmus & cardiaca, in illa loci adfecti & cauſſarum communione. Quam cum admittat DONAT. ANT. *ab* ALTOMARI k) *moroſe nimis* delirare putat illos, qui ad reliqua diſcrimina non attenti cardialgiam cum cardiaca confundunt. In illa tantum dolorem angoremque oris ventriculi conſiderat, a tenui rodente humore, qualem jeiunia, vel exercitia, vel mœrores pariunt, inprimis bilioſo, cuius ſubinde vomitus ſequitur, *febre non ſemper præſente*, uti nec in cardiogmo. Cardiacum vero morbum longe gravius & nunquam ſine periculo ait ori ventriculi incumbere, cum virulentius eſt, quod adfligit, ſecundum TRALLIANUM, & *febris ſemper acuta* & æſtuoſa ſecundum AETIUM comitatur. Nihil hic video, quam creſcentis morbi & proximam vitalitatis ſedem oppugnantis injurias, ob quas CASTELLO ſyncope ſtomachica, RIOLANO exſolutio ventriculi cum multo ſudore dicitur. *Alio hæc diſcrimine dirimit* HERC. SAXONIA, cui in cardialgia dolor continuus eſt, in cardiogmo interruptus, in cardiaca obtuſior, at cum febre lapſuque

g) Cum febre acuta & maxime æſtuoſa, extremis frigidis, angore, jectitatione, ſudore circa faciem & pectus glutinoſo, *Serm. IX. c. I.*

h) *L. III. c. 7.*

i) *L. III. c. 19.* Commentatus in hunc locum BALTH. RONSSEUS notat, nil quam cardiogmum HIPPOCRATIS eſſe.

k) *Op. c. 60. p. 271.* CASP. HOFMANNUS *inſtitut. L. III. c. 147.* etiam cardialgiam & cardiogmum rem quidem unam eſſe ait, at vetat cum iis confundere cardiacam.

pſuque virium. HIERON. CAPIVACCIO *l*) cardialgia nomen generis eſt, cardiogmus & cardiaca ſpecierum, ibi evidens morſus, hic cauſſa venefica ad cor redundans. VALESBO *de* TARANTA *m*) merus cordis adfectus eſt cardiaca, cum tremore & jectitatione, ſive cor ſuo vitio laboret, ſive per conſenſum cum aliis partibus, maxime ore ventriculi. In tot ſententias ſciſſi dum nimis argutantur, & extra conſenſum veterum, qui illarum vocum primi auctores fuere, fingunt diſcrimina; integrum nobis erit, quotquot hic laborant, ſub cardialgicorum nomine generatim complecti. Stomachici Galenico ævo audire cœperunt, qui ad dicta mala eſſent procliviores. Ita enim vulgo nuncupari ait GALENUS *n*), qui adpetentiam perdiderunt; vel qui adpetentes, *mox gravati, revomunt; vel quibus cibo ſumto opprimitur* cum anxietate os ventriculi; vel ructus continui cum angore & ſubverſione contingunt; denique ii, qui per inediam morſus in ore ventriculi ſentiunt.

§. IV.

Obnoxii huius morbi inſidiis plerumque ſunt, qui propter εὐαισθησίαν, quam olim ARISTOTELES brevioris vitæ cauſſam eſſe cenſuit, acrium & *rodentium ſuccorum vires ægrius circa loca tam ſenſibilia ſuſtinent, quin & extra illas leviori ad ſpeciem injuriæ non raro ſuccumbunt.* Conjungit GALENUS *o*) præcipuas, quas in ſinu noſtro complectimur, cardialgiæ cauſſas, acrem ſenſum, & cum arteriis nervisque cor ipſum ac cerebrum imbecillum. In his enim offenſam ſtomachi ad utrumque principium celeriter transmitti, adeoque cordis & cerebri vires cum ſummo ſtatim periculo opprimi concludit. Sigillatim hypochondriacis, qui flatu & corruptorum humorum in primis viis colluvie diſtendi ſolent, acutior eſt nervorum irritabilium ſenſus, ob quem malum

l) *Pract. med. L. III. c. 6.*
m) *Philon. pharmac. L. III. c. 12.*
n) *de comp. pharm. ſec. loc. L. VIII. C. 2. Op. Cl. V. p. 188. C.*
o) *De ſympt. cauſſ. L. I. c. 7. Op. Cl. III. p. 18. F.*

lum hypochondriacum mater cardialgiæ audit. Calidis, cholericis, melancholicis, plethoricis, & ad graviſſima animi pathemata, iram maxime & mœrorem pronis, vis illa morbi ad levem victus errorem imminet. Comes etiam habetur eruditorum, judice AETIO & ARETAEO, qui animum magis quam corpus exercent, & ſub vigiliis ſuis & lucubrationibus, inclinato plerumque corpore ſedent, aëremque in ventriculo & inteſtinis præſentem intercipiunt, adeoque ſpaſmis abdominalibus crebro tentantur. Aetas nulla prorſus immunis eſt. Infantilis teneriores nervos habet, ad leve irritamentum trementes; adultior in crebriores malæ diætæ ſcopulos impingit; ſenilis in penuria illa nativi roboris & caloris minus præſidii habet, at & in illa partium ridigitate minus irritamenti. Præſertim feminis ob corpora ſenſibiliora, animos mobiliores, & crebra excretionum impedimenta cum illo hoſte confligendum eſt. Syncopæ vagæ huius ſexus ab adfecto ore ventriculo & conſtricto plurimum pendent. Non minus debiliores intermiſſarum imprudenter conſuetudinum pœnas luunt dolore cardialgico. Qui bis in die cibum capere ſoliti id temere intermittunt, ſecundum HIPPOCRATEM *p*) ἀσθενέες, καὶ ἄῤῥωστοι καὶ καρδιαλγέες fiunt.

§. V.

Atque in his latet fundamentum cauſſæ proegumenæ, ad quam præter temperiem & plethoram multiplex cacochymia cum heterogeneis, in corpore genitis, concurrit. Non hic attingo fermentum SYLVII, acorem æruginoſum HELMONTII, partes alcalinas lixivioſas WILLISII. Hæc ſuis auctoribus, quorum ingenium luſit, ad ornandas hypotheſes ſuas reſtituimus. Iners habetur pituita, ex ea tamen congeſta & dolorem ſtomachi naſci, & vomitu pituitoſo levari CHRISTOPH. GUARINONIUS *q*) animadvertit,

p) *De Vict. acut. Op. T. II. p.* 280. *XVI.* 2-4.

q) *Cons.* 608. *p.* 729.

tit, quin & ante illum GALENUS *r*), qui hominem de ore ventriculi queſtum, & pro pituitoſo agnitum, beta, porro & ſinapi, quippe incidentibus pituitam & educentibus ſublevavit. Magis tamen acrium humorum vitium huc pertinet, ſive in ventriculo genitorum, ſive illuc delatorum. Ita ex ſcorbuticorum ſanguine quid ſegregari ad ventriculum ſine ſtimulo poteſt, quin teneras partes offendat, offenſamque perenni ſecretionis lege renovet & ſuſtentet? Acrimonia bilioſa præ reliquis cardialgiam parit, & interdum haud mitius, quam ipſa venena adſumta infeſtat. FEL. PLATERUS in picrocholis *s*), quibus ampla & plena veſicula fellis eſt, accidere putat, ut ſub coctione repletioris ventriculi, flexo corpore ſedentes premant fellis veſiculam, & hinc oris perpetua amaritudine & roſione ſtomachi divexentur. Huc ſpectaſſe videtur HIPPOCRATES *t*), dum cardiogmum in folliculo fellis innaſci ſtatuit. Vomuere multi ſub intolerabili cardialgia aliquot libras bilis porraceæ, quali rejecta æger apud BALLONIUM *u*), qui ad perforantis terebræ ſenſum ipſam ventriculi ſectionem poſtulavit, levari ſeſe ad tempus, at ſub novo bilis confluxu mox recrudeſcere dolores ſenſit. Bilis atra inſtar atramenti ad menſuram reperta eſt in ſartore quodam apud TH. BONETUM *x*). FERDINANDI III. Imperatoris *y*) ventriculus, qui pridie ſex libras bilioſi & melancholici humoris ejecerat, cuius aliquot guttulæ vas argenteum

r) *De alim. facult. L. I. c. I.* Senatus æger, cum ad eſum deinde ciborum acrium accederet, & ad iteratum dictorum remediorum uſum peius ſe haberet, mirabundus, quid cauſſæ eſſet, GALENUM ſciſcitatus eſt, qui facile mutati victus oppoſitas vires oſtendit.

s) Triplex eſt picrocholorum genus, aliud ἄνω, aliud κάτω, aliud ἔξω: prout nimirum bilis nunc ſurſum, nunc deorſum deiicitur, nunc extrorſum per habitum corporis redundat.

t) *De morb. IV. Op. T. II. p.* 131. *XIII.* 6.

u) *Conſ.* 26. *L. I.* Fuit bilis atra ventriculo ſuffuſa cum cancroſa lienis Diatheſi.

x) *Anat. pract. L. III. S. VII. O.* 26. §. 5. Conf. *Obſ.* 21. HOLLERII, ubi ventriculi pars inferior nigro ſucco ex dimidio plenus repertus eſt. Alia bilioſæ labis exempla exſtant apud GREG. HORST. *L. IV. O.* 2. & PHIL. SALMUTH. *Obſ.* 27. *c.* 1.

y) v. WOLFG. HOEFFERI *Herc. med. L. III. c.* 3. Fuit pancreas nigrum,

teum arroſere, adhuc poſt mortem duas libras continuit, inſerto in ventriculum ramo choledochi. Similiter inſertum deſcribit ZACUTUS LUSITANUS z), unde æger cum bilis colluvie & vomitu miſere colluctatus eſt. Heterogenea, quæ gignuntur in corpore, ut flatus, vermes, calculi ſimiliaque huius etiam loci ſunt. Flatus diſtendunt mirifice *a*), & acri corruptorum halitu partes ſenſibiles vellicant, ſtrictisque orificiis cum ſummo ſæpe angore ſuffocant, quod a muſto aliisque fermenteſcentibus liquidis, imo ipſis venenis, aërem rarefactum intra partes ſpaſmo correptas coercentibus, fieri ſolet. Ut flatuum, ſic vermium morſu infeſtorum exempla ſub comite cardialgia abundant *b*). De calculis quoque intra ipſas tunicas ventriculi, vel alias eius partes, hærentibus auctores paſſim citavimus *c*). Dubites, utrum a coagulo magis bilis, his quippe locis ſæpius ſuffuſæ naſcantur calculi, an ex conjectura v. c. SCHNEIDERI *d*) bolare tartareum, quod veluti

durum, hepar dextrum ſcirrhoſum, lien parvus, cyſtis, fellea ſine gutta fellis.

z) *Prax. admir. L. II. O.* 1. Conſer BARTHOL. CABROLIUM de poro choledocho prope pylorum egreſſo, unde frequens nauſea, vomitus & funeſta cholera, in *Obſ. anat. VI.* At ANDR. VESALIUS in remige tenuem tantum ramum inſertum vidit, hinc ſine illo malorum conſortio, *de corp. hum. fabrica L. V. c.* 8.

a) Ventriculos legimus deletis rugis immuniter diſtentos. PLEMPIUS apud VERHEYN. in *Anat. L. I. T. II. c.* 10. ventriculum octodecim, SPIGELIUS apud RHODIUM *mantiſſ.* 18. tredecim librarum aquæ capacem repererunt. E contrario ventriculus vix ovi magnitudinem excedit apud TH. BONETUM *in Anat. pract. L. III. S. VII. Obſ.* 12.

b) Vide inter plura I. B. MONTANI *Conſil.* 163. AMBR. PARAEI *Op. Chirurg. L. XXIV. c.* 19. *p. m.* 748. SAM. LEDEL. *Eph. N. C. D. I. A. III. O.* 84. *p.* 41. it. *D. III. A. VII. & VIII. O.* 61. *p.* 102. SIM. SCHULZ. *ibid. D. I. A. IIII. O.* 258. *p.* 460. TH. BARTHOLINUS vermes viventes lanuginoſos ducentos memorat a cardialgico ruſtico rejectos in *Act. Hafn. Vol. V. O.* 34. *p.* 118.

c) Vid. §. *II. p.* 12. Adde hic feminam, in cuius ventriculo ad ovi anſerini magnitudinem contracto lapis durus, pollicem craſſus cum cruda materia hæſit. TH. BONET, *l. c. S. VII. O.* 31. *& varia in obſ.* 39.

d) *L. III. de Catarrh. c.* 7. *p.* 239. ex Io. HENEN.

veluti dentibus, ita orificio ventriculi cum dolore & fœtore adhæreſcere autumat, in lapidea illa fragmenta, toties in ventriculo reperta, coeat?

§. VI.

Vaſtior eſt procatarcticarum cauſſarum ſylva. Pertinet huc, quicquid ex pravo vitæ regimine dicta loca, tam ſenſibili vaſorum nervorumque glomere conſtantia durius adfligit. Per unam gulam, quantum noxæ ingreditur! Nunc potu frigido, glaciato & nivato, nunc viciſſim feruente, utroque nervis inimico, multi delectantur. Quis non intelligit, oppoſitis iſtis viribus, imo & utrinque ſolis, partes illas facile lædi, inflamari, iterata etiam vi occaleſcere, quod *maxime de fervente potu & cibo experientia* confirmat. Cardialgiam a largo potu frigido i. c. GOETZIUS *e*), ut alii ab aëre frigido, epigaſtrium æſtuantium adflante, tradiderunt. A vino acido AMATUS LUSITANUS *f*), a vino muſcati Narbonenſis FEL. PLATERUS *g*), a flore lactis, cui vinum adſtringens ſuperpotum, P. FORESTUS *h*), a muſto THEOPH. BONETUS *i*), a temulentia iracundi juvenis HIER. LUDOLFF *k*), ab ipſis acidulis, impuro nec præparato corpore potis HENR. *ab* HEERS *l*) obſervarunt. *Nihil vero hic majori mordacitate lædit, quam ſpirituoſus & aromaticus potus, qualem inter ſummas delicias luxus temporum numerat, & hoſpitibus, quaſi ab itinerum ſqualore refocillandis, manu munifica dicam, an venefica? certe imprudenti propinat.* Hoc acre tenacius anguſtiis, quas tranſit, adhærens vere adurit inflammatque, multorum exitio, paucorum, quibus jam callus in iſtis locis natus, impunitate. De ſpiritu

e) *Act. N. C. Vol. II. O.* 195. *p.* 439.

f) *Cent. VI. O.* 56. Auctam vehementer a vini potu cardialgiam GUIL. BALLONIUS habet. *Epid. L. II. p.* 183.

g) *L. III Obſ.* in adoleſcente nobili.

h) *Obſ. med. rar. L. XVIII. O.* 13.

i) *Anat. pract. L. III. S. VII. O.* 26.

k) *in Diſp. de hoc caſu Erfordiæ habita* 1727.

l) *Obſ. I. p.* 13.

ritu vini mirabilia hic exempla collegit TH. BARTHOLINUS *m*). Quot puerperas potus dulces aromatici & vina Hippocratica peremerunt! Hæc aromata etiam, quæ condire cibos & coctionem iuvare creduntur, eam ſæpe corrumpunt potius, & vel indigeſta remanent, vel igneo halitu corpus pervadunt. Aeger apud F. PLATERUM *n*) comeſto largiter condito zingibere, ut vires ventriculi, ab aqua refrigerante læſas fulciret, periit cardialgicus, & integram adhuc zingiberis libram in ventriculo medicis ſcrutantibus exhibuit. Non hic excludo domeſtica aromata, raphanum ruſticanum, naſturtium, ſinapi, cepam & inprimis allium, quod ventriculo anxietatem parere, iam HIPPOCRATES *o*) cenſuit. Fructus corruptibiles horæi, cucumeres, melones aliique non multo minorem ſtragem ediderunt. *Io. Iac. Wepferus p*) nobilem matronam a fructibus crudis ſive acidis, ſive dulcibus, protinus cardialgicam, Io. RHODIUS *q*) ab uvis immodice ſumtis intra tres horas pereuntem puerum, IAC. HOLLERIUS *r*) lethalem in ſenea malis perſicis cardialgiam litteris prodiderunt Alii plus ab iis, ſub quorum viſciditate anguis *latet*, paſſi ſunt, a pane ex furno recens extracto, a fungis, a placentis, a caſeo, leguminoſis, caſtaneis ſimilibusque. Ab uſu largo boletorum elixorum GALE-

NUS

m) *Hiſt. anat.* 70. *Cent. I.* Mulieris, quæ largius ſpiritum vini & calidiores aquas ſorpſit, aperto cadavere ingens in ventriculo flamma prorupit, univerſum eius ambitum occupans. Addit ex AD. VORSTIO, Polonum equitem ſumptis binis ardentis vini cyathis flammam evomuiſſe, eaque combuſtum periiſſe. Plura habet ſingularia *Cent. III. Hiſt.* 56.

n) *Obſ. L. II. p. m.* 435. In alio, qui dolore ſtomachi interiit, cum quotidie pilula aloetica ante paſtum uteretur, reperta ſimiliter maſſa pilularis aloetica in ventriculo eſt, teſte GU. BALLONIO, *paradigm.* 110. Mirabiliora narrat VAL. ANDR. MOLLENBROCCIUS, nempe pilulas ante annum ſine ſucceſſu ſumtas, poſt annum vomitu rejectas eſſe, & auro quidem adhuc obductas *Eph. N. C. D. I. A. II. O. 92. p.* 166.

o) *de rat. vict. L. IV.* 40.

p) *Eph. N. C. D. II. A. X. O.* 17. *Schol. p.* 309.

q) *Cent. II. O.* 53. Repertus ichor viridis in ventriculo perforato.

r) *Comment. ad Aph. XVII. S. II. L. III. coac.* HIPP.

nus *s*) ipſe, a lacte coagulato P. Forestus *t*), a caſeolo improvide deglutito, & triennes, donec fruſta lapidea vomitu eiicerentur, dolores pariente C. F. Paullini *u*) natam expoſuere cardialgiam. Multis adeo ſentit os ventriculi judice Galeno *x*), ut nec acre acetum, nec ſinapi, nec ſimilia ferant. Sola ingluvies nimia cibi, alioquin innoxii, vel uſus præpoſterus pari ratione lædunt. F. Platerus *y*) mulierem, quæ carne & ovis die pascharos ventrem opplevit, ſubito exſtinctam, & alio loco puerum famelicum, qui duodecim panes propoſito præmio devoratu us, cum id fere præſtitiſſet, ſub ultimis experimentis inter ſummos dolores ad mortem usque angi cœpit, & alia hujus argumenti largius expromit. Non minus quam intemperantia cardialgicos efficit inedia, *quippe hummores noſtros, novo blandi chyli commeatu haud delinitos*, attritu vitali acriores reddens, ut nihil niſi ſub gravioris acrimoniæ ſtimulo ſecernant. Germanum ſuum *Nannium* ſcribit P. Forestus *z*) ſemper a jeiunio cardialgicum cum vomitu bilioſo fuiſſe. Nonnunquam, quæ ſpecie pharmacorum incaute exhibentur, ſenſibiles ægros trepidante medico in hæc pericula coniiciunt. A nimio uſu balſami ſulphuris C. Kolichen *a*), a largiori doſi olei ſuccini Io. Hoyer *b*), ab immodico uſu *ſpiritus vitrioli* poſt Ronsseum Doringius *c*), a ſesqui drachma *olei piperis & olei vitrioli*, uno hauſtu ſumtis

Laur.

s) *de alim. L. VII. c.* 68. Confer G. F. Hildan. C. *IV.* O. 34. Amat. Lusitan. *C. I cur.* 39. C Stalpart *van der* Wiel *C. I. O.* 40. Balth. Timaei *Conſ. med. L. VII. c.* 4. *p.* 311.

t) *Obſ. XVIII. L. III.* Confer Dan. Sennert. *Pract. med. L.* III. *P.* I. *S.* II. *c.* 15.

u) *Obſ. med. phyſ.* 114.

x) *de loc adfect L. V. c.* 6. *Op. Cl.* IV. *p.* 20. *G.*

y) *Obſ. L.* II. ubi & virginem nominat a caſtaneis ſimilia paſſam.

z) *Obſ.* 4. *L. XVIII.*

a) *Act. Haſn. Vol. I. N.* 121.

b) *Eph. N. C. Cent. I. O.* 53. *p.* 123. Tangit errores circa ſpirituoſa chemica.

c) *in Ep. Sennert, C. I. Ep.* 86. Abſumta adparuit interior ventriculi tunica.

Laur. Hofmann *d*), ab abuſu magiſterii perlarum, a quo tunicæ nigræ & corruptæ in ventriculo repertæ, Io. Crato *e*), alii ab oleo bezoardico, a ſpiritu cornu cervi, ſimilibusque remediis chemicis, natas cardialgias ſub triſti ſæpe exitu conſpexerunt. Quanto atrocior vis eſt acerrimorum venenorum! quæ lividum, ſideratum, maculis conſperſum, putremque ventriculum, ſique eum expandis, foraminulis pertuſum toties exhibent, docente Gu. Ballonio & aliis *f*). Ab aqua forti C. Stalp. *vander* Wiel. *g*), a mercurio vitæ Gu. Fabr. Hildanus *h*), a ſolutione mercurii coſmetica, loco ſyrupi ſomniferi ſumta, Fr. Valleriola *i*), ab aqua chryſulca pro aqua vitæ pota Henr. *ab* Heers *k*), ab arſenico Phil. Salmuth *l*), a cicuta aquatica I. Iac. Wepferus *m*), funeſtas plerumque cardialgia memoriæ mandarunt. Alii a ceruſſa, a gypſo & a pulvere plumbi cum Io. Fernelio *n*) obſervarunt. Draſticorum emeticorum & purgantium non impar vel multum inferior noxa eſt. De purgante, quo ultro ſumto lithotomus intra dimidiam horam cum ſingultu exſpiravit, Andr. Libavius *o*), de gilla ventriculum tribus

d) *de uſu & abuſu chem.*

e) *in conſil. & epiſt. a* Scholzio *collectis Ep.* 163.

f) *Conſil.* 43. *L. I.* it. *paradigm.* 144. ubi facto examine unum oculatiorem, tenſum ventriculum minimis foraminulis pertuſum exhibuiſſe ait. Quale etiam reperies in Th. Barthol. *Hiſt. anat. XVIII. Cent. II.*

g) *Cent. poſt. Obſ.* 26.

h) *Cent. VI. Obſ.* 22.

i) *Obſ. medicinal. L. I. O.* 7.

k) *Obſ.* 16. *p. m.* 151.

l) *Cent. I. Obſ.* 10. Confer Th. Barthol. *Hiſt. anat.* 48. *Cent. II* it. Fel. Plater. *Obſ. L. II. p.* 423. ubi adultera marito arſenicum in lacte bis propinavit, cum prius evomuiſſet.

m) *Hiſt. Cicut. aquat. p.* 6. *ſq.*

n) *De lue venerea C. VII.*

o) *in cyſt. med. Hornung. Ep.* 76.

bus locis ad latitudinem philippici perforante HENR. *ab* HEERS *p*, de colocynthide NIC. TULPIUS *q*) de aconito, magisque infuso hellebori albi inter convulsiones enecante F. PLATERUS *r* reſtantur. Addere liceat aciculas, ſpinas, vitra & ſimilia deglutita, vel rejecta. ANT. BENIVENIUS *s*) acum æneam deglutitam, poſt decem annos, terebrato ventriculo per parvum foramen exiiſſe vidit. Sane ex dictis omnibus miræ eroſiones, inflammationes, abſceſſus, ulcera, ſphaceli, cancri naſcuntur in ſedibus cardialgiæ. Paucis attingo, quæ de lacertis & ſerpentibus CONR. GESNERUS *t*), de bufonibus TH. BARTHOLINUS *u*), de anguillis & ſcarabæis devoratis F. PLATERUS *x*), de aranea deglutita Jo. SCHENCK *y*), alii de talpis, cochleis aliisque fuſius enarrant. *De hirudine, quæ naribus pro ſcopo hæmorrhagiæ excitandæ adhibita in gulam irrepſit*, cum crudeli cardialgia, exſtat obſervatio Jo. RHODII *z*). Cui congruit alia THEOD. ZWINGERI *a*), qui accitus ad ægrum tota nocte ejulantem & convulſioni proximum, in uſum emetici adſenſit, quo inter angores & deliquia animi, cum pituita & ſanguine, plures hirudines exierunt, maxima ad indicis craſſitiem, & majorem longitu-

p) *De fonte Spadano c. IV. p. 29.* Fuit canonicus chemiæ non ignarus, qui ipſe ſibi gillam præparaverat. *Reſtabat exterior tunica*, cui gilla adhæſit, etiam exeſura, niſi mors præveniſſet. *Idem* de cardialgia lethali ex euphorbio agit *Obſ. 25. p. 219.*

q) *Obſ. L. IV. c. 25* it. F. PLATER *O. L. II. p. 805.*

r) *ib.* inter magna corroſi ventriculi veſtigia.

s) *De abdit. c. 10.* Miraculoſum vomitum rerum variarum exhibet TH. BARTHOLINUS *Hiſt. anat. 52. Cent. I.*

t) *Hiſt anim. L. II de lacertis.* at ſub dubio rumore. Habet & vomitum lacerti TH. BARTHOL. *Hiſt. 94. Cent. V.*

u) *Cent. IV. Hiſt. 19.*

x) *L. II. Obſ.*

y) *Obſ. L. VII. O. 31. p. 871. ex* GESNERI *adnot. ad L. II. parab. Dioſc. C 150.*

z) *Cent. II. O. 72.*

a) *Eph. N. C Cent. VII. O. 25. p. 59.* Biberat ex fonte impuro, quod & Galenus de quodam hirudinum vomitu ſcribit, *de loc. adfect. L. IV. c. 5. Op. Cl. IV. p. 26. A.*

gitudinem, omnes vero ſanguine turgidæ. Ipſa maligna contagia in ſtomacho potiſſimum figi, Rich. Mead *b*) ſuſpicatur, repertis gangrænoſis & ſphacelatis ſtomachis. Non ſecus I. B. Helmontius *c*), cum hæc loca in peſte defunctis velut ab arſenico morſa & lacerata cerneret, peſtis ortum in ſtomacho adſeruit. Certe in his malignis morbis Th. Jordanus *d*) circa mucronatam cartilaginem, tantum renixum notavit, ut ſi quis ſummo digito loca illa premeret, ejulatu ingentem dolorem ægri proderent. Verum ex alio etiam fonte læſi vitæ regiminis petendæ ſunt cauſſæ. Vigiliæ, meditationes, ſtudia protracta, dum acuunt ſalia; quies & ſomnus, dum ſupprimunt excretiones, & vim coctionis ſuſpendunt; vehemens exercitatio, dum latentia in motum rapit, & occultas noxas evolvit, idem pariunt damni. P. Foreſtus *e*) fratrem ſuum ait ſemper, ſi nimis exerceretur, cardialgicum fuiſſe. Ita excretionibus alui vel aliarum partium læſis, retentorum vitia ſæpe in ventriculum decubuerunt. Repulſa exanthemata & alia mala cutanea, retrocedens materia podagrica, arthritica, rheumatica, non hic temere in partem culpæ trahuntur. Ab hæmorrhagiis ſuppreſſis Fr. Hoffmannus *f*), a menſium fluxu ſublato Rosin Lentilius *g*) viderunt cardialgicos: alii ab ulceribus & fonticulis improvide repreſſis. Haud prætereunda ſunt animi pathemata, in primis triſtitia & mœror, quibus ſupprimuntur excernenda, vis coctionis hebeſcit, bilis exaſperatur. Operam impendit Car. Raygerus *h*) cardialgico, qui

b) *De Venenis Tract. V. de Ven. halit. p. m.* 153. *ſeq.*
c) *de febr. C. X.* §. 8.
d) *De peſtis phæm. Tr. I. c.* 19. Conf. Mart. Rulandi *de morb. Hung. c.* 2. *p.* 410.
e) *L. XVIII Obſ.* 4.
f) *Med. rat. ſyſt. T.* IV. *P.* II. *S.* II. *c.* 2. *O.* 4. *p. m.* 246.
g) *Eph. N. C. D.* III. *A.* VII. *&* VIII. *Obſ.* 120. *app.*
h) *ib. D.* I. *A.* IV. *&* V. *O. X. p.* 14. Apud Platerum *Lib.* II. *Obſ.* plura reperiuntur. Femina lactans caſu infantis territa incidit in dolorem artuum & ventriculi, cum oris amaritudine, vomitu bilioſo, ipſis denique lipothymiis. Alius ex cauſſa forenſi deperdita cardialgicus evaſit, *ib. p.* 428.

qui ex mœrore inter mira ſymptomata contabuit. Similes ex mœrore & iracundia caſus penes Fr. Hoffmannum *i*) occurrunt. Neque ad externam vim oſcitantius auſcultandum eſt. Ab ictu fulminis reſolutum os ventriculi, ut nihil contineret, notat R. Solenander *k*). Nicander in libello de theriaca morſum ſerpentis hæmorrhoi cardialgiam inferre tradit. A forti percuſſione manus, vel duri inſtrumenti, circa ſcrobiculum cordis cadere ſtatim gelidos, vel epilepticos, imo mortuos, ex medicina forenſi laudatus Fr. Hoffmannus *l*) illuſtrat. Mortem ex tali plaga ſecutam Th. Bartholinus *m*) e Bellonio refert: fullonem nempe interemiſſe juvenem, cujus ſtomachum violento pugno contudit. Mors lentius ſecuta eſt, ſed ſub vomitu & ſicca tabe in muliere, cujus ſcrobiculum cordis gravis a mola ictus percuſſit, fuſius deſcribente hunc caſum celebri viro G. A. Langguth *n*).

§. VII.

Ab utrisque cauſſis, proëgumenis & procatarcticis, ſub varia virium miſcela, naſcitur cauſſa proxima, ſeu ipſius deſcriptæ partis, tam nervoſæ & ſenſilis, permoleſta & violenta tenſio, a qua, modo compos mentis æger ſit, indiſſolubili nexu pendet cardialgia. Inde vero ad hujus idiopathicæ & ſympathicæ diſcrimen ducimur. Ibi propriis locis & morbus & cauſſa, non ſolum proxima ſed & remotior, inſidet: hic ex aliis locis, quæ primum cauſa morboſa occupat, ſenſus injuriæ transfertur, ut fit in nephriticis. Diſcernunt ſymptomaticam, tanquam meram alieni

i) *loc. cit. Obſ.* I. *p.* 240.

k) *Conſil. med. Sect. V. c.* 16.

l) *loc. cit. S.* II. *c.* 2. § 7.

m) *Hiſt. anat. XXXIV. Cent. V.*

n) In nuperrime edito *progr. de tabe ſicca lethali ex calloſa pylori anguſtia Vitteb.* 1750. Fuit tumor mirabilis, durus & calloſus. duplicatum pugnum exſuperans, & medium pylorum ſimulque ad palmæ latitudinem ventriculum, cujus infra umbilicum depreſſa pars fuit, obſidens, inter alia omenti, meſenterii & lienis vitia.

eni morbi ſobolem, ut inflammati hepatis. Alia diſtinctio eſt in ſimplicem, compoſitam & complicatam. Simplex nec migrat limites, nec magno fomite alitur, nec vicinarum partium pacem turbat. Compoſita totum aliquando cum oſtiis ſuis ventriculum occupat, imo ulterius evagatur, ſub triſti gravium ſymptomatum contubernio. Complicata aliorum morborum arma ſibi ſociat, & infeſtarum virium connubio valentior febres, quas SYLVIUS *o*) cardiacas vocat, non modo intermittentes, ſed & continuas & ardentes, imo malignas in ſocietatem noxæ adſciſcit. Quodſi ipſa hic latentia & inveterata corporis vitia inimico fœdere conſpirant, tetra exſurgunt cardialgiæ hypochondriacæ, hyſtericæ, cachecticæ, ſcorbuticæ nomina, ut quadam proditionis ſpecie novis intra propria viſcera hoſtibus, ſopitis antea ex parte, nunc ad commune incendium excitatis ſuccumbat æger. Enumerant nobis auctores paſſim infeſtos illos cardialgiæ comites, ut febres varii generis P. FORESTUS *p*), cachexiam FEL. PLATERUS *q*), malum hypochondriacum vel melancholicum JUL. CÆS. CLAUDINUS *r*), vertiginem & aurium tinnitum VICT. TRINCAVELLIUS *s*), convulſionem C. GUARIRONIUS *t*). Minus plerumque ab ipſo hoſte quam hoc longe deteriori comitatu periculi eſt. FRID. HOFFMANNUS *u*) magni momenti habet differentiam *flatulentæ* & ſpasmodicæ cardialgiæ. Ibi inflatum tumere ventriculum cum anguſtiis reſpirationis, & ructu ſubinde levari dolorem: hic arctari magis

o) *prax. med. L.* I. *c.* 30. §. 28.

p) *L.* VII. *o.* 28. Eſt & cardialgia cum febre apud HIPPOCRATEM *Aph.* IV. 65. In multis febribus ſic ventriculus adficitur, ut iis etiam ſuperatis non niſi longa mora ad ſe redeat. v. LAZ. RIVER. *Cent.* II. *O.* 83. DOM. PANAROL. *Pentec.* I. *O.* 20. ISBR. DIEMERBROECK *de peſte Hiſt.* 15.

q) *L.* I. *c.* 2. Meminit virginis cachecticæ & cardialgicæ, nec non hyſtericæ & cardialgicæ.

r) *Conſult.* 110. Confer I. B. MONTAN. *Conſult.* 163.

s) *L.* I. *conſ.* 20.

t) *Obſ.* 547.

u) *Med. rat. ſyſt.* T. I. P. II. *S.* II. *c.* 2. §. 4. & 5. *p.* 223. Alteri tribuit nomen *Herzcolic* alteri *Magenkrampf.* ibid. *p.* 8.

magis ventriculum, cum anxietate præcordiorum, majori virium ſtrage, jactatione & extremorum frigore ſtatuit. Hoc an penitus ita ſit, ut ſibi ſeorſim res ſuas habeant, ex ea ratione ſubdubitare licebit, quod non ſint flatus, niſi quos ſpaſmus intercipit. Inter multa, quæ flatulenta vocantur, ingeſta non ructat ſanus, inter pauca ructat hypochondriacus, in ſpasmos proclivis. Ad venenorum ſpaſmos quam ſubito totum corpus intumeſcit! Certe aër, quacunque copia genitus, quocunque calore rarefactus, ultro per vias patentes ſine ſenſu ac ſono elabitur, niſi ſpaſmi viam intercludunt. Ergo tanta flatulentæ & ſpaſmodicæ cardialgiæ cognatio eſt, ut illa non niſi ſub ſocietatis hujus viribus conſiſtat. Plus attendimus ad cardialgiæ fixæ, vagæ & periodicæ differentiam. Fixa & continua conſtantiam ſævientis cauſſæ in locum occupatum prodit, dum eum inflammatio, ſcirrhus, ulcus, cancer & alia mala obſident. Vaga ex fonte impuro adſperſam incertis temporum momentis labem innuit. Periodica febrium comitantium leges plerumque ſequitur, interdum & proprias: dum certis ſpatiis ſolvitur cauſſa, certis renovatur. Sal. Reiselius *x*) cardialgiam periodicam vernalem per decem annos non alio tempore quam vere adfligentem, idque poſt cibum, non in jejunio, commemorat. Cardialgiam alternis ſine febre diebus in filia & multis aliis obſervavit Th. Bartholinus *y*), ſub menſtruum tempus C. Guarironius *z*). Nunc dolor horas jejunii interpellat, ubi bilis acrior, exemplo typographi illius apud Henr. Smetium *a*); nunc ſumtum cibum ſequitur, ubi cruda & ſemiſopita excitantur; nunc circa finem coctionis, ubi tument ingeſta, flatuque & corruptorum halitu interdum laceſſunt, ingruere ſolet; nunc

x) *Eph. N. C. D. II. A. VII. O. 7. p.* 12. In corpore exſtincto fuit omentum ſemiputre, ſupra pylorum foramen inſtar piſi cum annulo nigro.

y) *Obſ.* 50. *Cent. III.*

z) *Conſult.* 170.

a) *Miſc. med. L. X. p.* 542.

nunc poſt ſomnum etiam, a catarrhis. C. Guarinonius *b*) in viro primario dolores illos deſcribit, quinis circiter a cibo horis ortos, flatu levatos, vel novo cibo repreſſos. Haud plures ſollicite attingam cardialgiæ ſpecies. Intelligitur, quæ exquiſita, quæ ſpuria ſit? quæ acuta, quæ chronica? Cardialgiam priori morbo durante, vocant κατ' ἐπιγένεσιν, priori morbo ſublato κατὰ μετάπτωσιν. Habent caſtrenſem, in ſtatu militum, frigus, ſolem, famem, ſitim ferentium, & ſæpe, quæ parum congruunt, ingerentium. Alii hæreditariam, alii epidemiam quoque & endemiam tradunt. In qua varietate ſpecierum etiam illud patet, quando morbus, quando congruentius ſymptoma cardialgia adpelletur?

§. VIII.

Cognatos morbos maxime diſtinguunt ſitus doloris, idque luculentius, in definito illo reliquorum ſymptomatum ſatellitio, quod in diverſis morbis nunquam idem eſt. Ipſo gradu acerbioris doloris angorisque diſtinguimus leviores nec diu permanentes ventriculi, flatu & cruditate laborantis, offenſas, ut ſodam vel ardorem ventriculi, imo & choleram ſiccam & alia; quamvis minime inficiemur, ſi invaleſcunt malorum horum cauſſæ, ſub iteratis in vitæ regimine erroribus, altius ea eniti poſſe, & cardialgiæ nomen aliquando mereri. Signa illa adfecti cerebri, ut vertigo, delirium, convulſio, vel vacillantis cordis, ut anxietas & ſyncope, qualia etiam ex cauſſis, in proprio ſinu natis, multisque aliis naſci poſſe nemo dubitat, an ortum ſtomachi vitio debeant, diſcimus ex hoc aliquamdiu prægreſſo & invaleſcente, in corpore aliis morbis, qui eo tendunt, non laborante. Dolor extra ventriculi pomœria, diverſis plerumque ſymptomatibus ſtipatus,

b) *Conſult.* 585. Adde Phil. Salmuthi *Obſ.* 10. *c.* 3. Nobilis & vorax hypochondriacus, quoties media nocte non acciperet cibi aliquid, ſenſit in fovea cordis dolorem inſtar duri globi ad deliquium usque animi. Sumto cibo, qui ſtimulum corrupti ſuppreſſit, evanuit dolor & ſomnus ſucceſſit.

tus, exercitati medici judicium non confundit. Distinguet cardialgiam a pleuritide, quæ supra præcordia, in thorace & ejus lateribus; a dolore hepatis & lienis, qui in hypochondriis; a colico & iliaco, qui in regione coli & ilei; a nephritide, quæ circa lumbos & renes sævit. Verum his malis sæpe cardialgia per consensum accedit, unde plus aliquando in discernendo attentionis requiritur. Colon circa jecoris cavum & vesiculam felleam transversim sub ventriculo exporrectum, flatuque aut stercore distentum mentitur non raro cardialgiam. Haud inanis Jo. Schenckii *c*) conjectura est, deceptos medicos coli cruciatus pro ventriculi sunt pro colicis habiti. Jo. Sultetus *d*) cadaver monachi Patavini, colica, ut credebant omnes, exstincti aperiens ventriculi fundum vidit phlegmone correptum, & ad mediam usque tunicam arrosum. Plus hæsitant alii circa hepar, quod pueri secundum Hippocratem *e*) etiam καρδίαν adpellant. Obvolvitur superior heparis lobus ventriculo antrorsum, & ex judicio doctissimorum virorum sæpe medici, id quod hepar infestaret, in ventriculo quæsiverunt. In summo viro Jac Aug. Thuano *f*) jecur repertum est induratum, rotundum instar sphæræ, & gypsea pituita farctum, simulque pancreas scirrhosum & ejusdem cum hepate ponderis. Ille vero ad regionem stomachi sævos dolores habuit, cum sensu ponderis, si staret & ambularet, idque sine manifesto dolore & tumore hypochondriorum. Sane uti jam olim Archigenes apud Aetium dixit, falli medicos, doloris caussam in præcordiis aut in pectore suspicantes, cum a ventriculo repetenda fuerit; ita vicissim caute Guil. Ballonius *g*) dolores, inquit, ad stomachum varie fatigant, quos nescias an attineant ad ipsum ventriculum, an ad vicinas partes? ratione enim membranarum,

c) L. III. *observ.*

d) *Armament Chir. O. O.* 80.

e) οἱ παῖδες καρδίαν καλέουσι. *L. IV. de morb. Op. T. II. p.* 125. VIII. 4.

f) Jo. Riolan. *anthropolog. L. II. c.* 16.

g) *Consil. med. L. I. c.* 26. *p.* 60.

narum, dumque inveſtiunt thoracem, dumque diaphragmati vicinæ ſunt, oriuntur dolores, continuitate quadam adfligentes, & ea ratione alios, aliterque quam ſunt, morbos mentientes. Quod etiam magis circa hepatis vitia valet. Optima hinc dijudicandi ratio eſt, veram mali noſtri diagnoſin exacte limitare.

§. IX.

Hanc vero ſtabiliunt maxime cauſſarum vires inter morboſas mutationes, quæ in ſenſus incidunt, conſpicuæ. Dolor angorque loca definita ſic torquent & excruciant, ut dubites, hic ſenſus, an ille moleſtior ſit? Non omnis dolor ſtatim cardialgiæ nomen meretur, ſed intenſior cum jactatione & angore, viriumque ſæpius ſubita ſtrage. Nunc urit, pungit, rodit, mordet, lacerat; nunc gravat magis, premit, inflat, & cinguli inſtar partes conſtringit. Eo aſcendit aliquando, ut querelæ & ejulatus in poteſtate ægri non ſint; & cum *illa jurisconſulti uxore* apud AMATUM *b*) *clamitent, evadere* ſe non poſſe, niſi dolens locus aperiatur. Multi etiam doloribus victi manum ſibi intulerunt *i*). CLAUDIUS Imperator *k*) de conſciſcenda ſibi morte cogitavit, in tanta hujus morbi ſævitia. PROCULEIUS *l*) AUGUSTI familiaris poto gypſo cauſſam doloris cum vita, jam contemtim habita, exſtinxit. Haud dolor ille excedit facile propriæ ſedis limites, quoties nunc anterius ſub cartilagine illa triangula enſiformi, quam barbari malum punicum vocant, hæret, nunc ad dorſum, nunc ſiniſtorſum vergit: quo ipſo ſigna tantum ſuppeditat, quibus maxime intra pomœria ſua partibus incumbat. Patitur nempe os ventriculi dextrum, ſi circa finem ſterni ſub dicta cordis fovea dolor oritur, ipſo externo attactu aſperior. Patitur ſiniſtrum, ſi ſpinæ

h) *Cur. Med. Cent. O.* 20.
i) JO. RIOLAN. *partic. meth. med. S. III. p.* 179. *b.*
k) SUETON. CLAUD. *c.* 31.
l) PLIN. *H. N. L. XXXVI.* 24. Veteres credebant, aſperrimos cruciatus eſſe calculi a ſtillicidio veſicæ, proximos ſtomachi, dein capitis. *ibid XXV.* 3.

ſpinæ dorſi propior circa binas ultimas thoracis vertebras ſentitur. Inter ipſa tamen ora, quis non conſenſus eſt? quo mutuum malorum ſenſum per intermedios plexus communicant. Conſpirant inter ſe fibræ, contractæque & diſtentæ utrumque ſimul oſtium adficiunt. Non tantum idem dolor ſub xiphoide, inquit REIN SOLENANDER *m*), ſed & ad ſpinam ſe extendit, & ulterius. MICH. ETTMULLERUS *n*) aurifabrum memorat a fungis cum butyro frixis noctu evigilantem, & in regione dorſi, circa vertebras thoracis, dolores quaſi a pugione perforante ſentientem, qui mox a poſtica parte etiam ad anteriores tranſiere. E contrario G. DETHARDING *o*) mulieris meminit, quae ſub ſcrobiculo cordis dolores percepit, in oppoſitam dorſi partem mox excurrentes. Tam prompte ſibi conſentiunt utraque ora! quæ ceterum vix niſi tribus transverſis digitis a ſe diſtant *p*), imo, in viventibus, quod ANDR. LAURENTIUS *q*) inculcat, minus intermedii ſpatii quam in mortuis habent, velut inter alia ex fructu in ſcrobiculo cordis, mox nauſeam vomitumque parientem, colligit. Nec fieri facile poteſt, quod ingeſtum læſit in ingreſſu per ſtomachum, quin in egreſſu lædat per pylorum, vel dum excluditur, creſcente alluat corruptela ſua. Adſcendens doloris ſenſus oeſophagum notat, ſpinæ accumbentem: ad ſcapulas quoque & humeros extenditur ob nexum cum diaphragmate, & ſuccingentem thoracis membranam, ut in muliere C. GUARINONIUS *r*) vidit. Deſcendens dolor deorſum & ſiniſtrorſum fundum ventriculi, dextrorſum hepar, inferius alia redarguit, in qua re perſpicacior anatomici oculus dolentia loca argutius dijudicat. At & ſimul dolor cauſſæ genium adumbrat. Rodunt acria, terebrant vermes, diſtendit flatus, morder bilis. Corroſiva inſtar cultellorum pungunt, acida auſtera lancinando adſtringunt, ferventia adurunt. Penitius cauſſam prodit

m) *S. II. conſ. 25.*
n) *Colleg. conſult. caſ. VI.*
o) *Eph. N. C. Cent. I. & II. app. p. 185.*
p) *I. C Garengeot. ſplanchnol. P. I. c. 8.*
q) *Anat. L. III. c. 2.*
r) *Conſult. 522.*

dit excretorum genius, ut vomitus pituitæ, bilis, puris, vermium. Bilem comitatur nauſea & amaror oris, tolerantia famis ſitisque. Vermes tremor labiorum, fœtor oris, pruritus narium prodit, cum tuſſicula ſicca, quam AETIUS interiori tunicæ, quæ & aſperæ arteriæ & oeſophago & ventriculo communis eſt, jam olim tribuit. Flatum tenſio arguit & ructus rugitusque, quibus ſi acrium humorum halitus ſe miſcet, ſenſus mordicationis accedit. Ita GREG. HORSTIUS *s*) tenſum inſtar tympani ventriculum obſervavit in femina honeſta, inter mordicantes dolores. Erſi minor tenſio eſt, flatus tamen oberrans, ſub acriori corruptorum halitu, vermium reptatum morſumque æmulatur. Aeger quidam queſtus de verme eſt, qui ex intervallo per oeſophagum unguibus uncis & cauda mobili reperet, auſusque ante mortem delineare figuram, quam ſibi finxit, lacerti bicipitis cum corpore ovali & cauda tortuoſa: vehementer obſecrans, ut in aliorum emolumentum corpus defuncti inſpicerent. Illud tabe conſumtum cum incidiſſet AUGUSTIN HERMANNUS *t*), ex perforato ventriculo ſtatim fœtidiſſimus flatus cum ſibilo prorupit, nihil vivi in cavo hæſit, ſed liquidum ſubcruentum & fœtentis ſpurcitiei. In acutis dolor noſter ſua ſtadia habet, gravis in principio, acutior in incremento inter vehementia ſymptomata, lenior in diminutione. Neque negligenda eſt ratio doloris, nunc jejunos nunc paſtos invadentis, nunc continui, nunc intermittentis, unde fixitatem vel mobilitatem cauſſæ, & corporis imparem ſtatum, nunc plus nunc minus morbo faventem diſcimus. Cererum ut raro cardialgia reperitur, quæ non vicinis viſceribus veſtigia noxæ impreſſit, ita loca illa, ipſo duce dolore, optime interpretamur. Jungit ſe maxime dolori anorexia, nauſea & vomitus, ad ſtimulum correptelæ nunc vagæ & per dierum menſiumque intervalla renovatæ; nunc fixæ & plerumque inflammatoriæ, quæ ſive ſola ſit,

s) *Obſ. L. IV. O. 39.*

t) *Eph. N. C Dec. I. A. II. o. 173. p. 271.* cum accreto hepate, & pylori ſphincrere, ut vocant, ulcerato, variisque lividis excreſcentiis obſeſſo, aliisque malis.

ſit, ſive in ulcus aut ſcirrhum tranſeat, æger etiam ad leniſſima adſumta dolet, vomit, ſingultit. Angorem & inquietudinem parit oppreſſa motus vitalis facultas: nam ipſa ſenſim cordis actio tremit, fatiſcit & ſuffocatur, cum in communibus nervis ob cauſſæ vehementiam ſumma ſit irritatio ad ſpaſmum, qui influentes ſpiritus excludit, in progreſſu etiam atoniam & reſolutionem nervorum relinquit, quæ ipſa ſyncope. Dyſpnœa & aliquando ſingultus ab adfecto diaphragmate pendent. Verum etiam ad originem nervorum illa vis redundat, in cardialgia, quæ per vertigines, ſcotomias, deliria & convulſiones occidit.

§. X.

Præſagii fides ſolerti obſervatione nititur, ad *aegri* temperiem, ætatem, ſexum, cauſſarumque cognitarum vim & varietatem reſtringenda. Ita eventum non ſolum, ſed & tempus ipſumque modum non vacua conjectura adſequimur. Tempus durationis ex pervicacia cauſſæ & imbecillitate virium in corpore ægrotante æſtimamus. Sub febre & inflammatione diem decimum quartum vix ſuperat, ſiniſtro ut plurimum exitu. Modum in excretionum præſidiis reperimus, ut in lotio copioſo & cocto, cui oppoſitum *eſt tenue* & crudum, ſiniſtri hic ominis. Ructus & vomitus ſæpe levant, *imo ſolvunt morbum*, *dum opportune* eiiciuntur calculi, vermes, bilis, vel quidquid *corruptorum* & mobilium humorum eſt. Anxia e contrario jactatio citra vomitum aggravat *morbum* teſte HIPPOCRATE *u*). Ut vomitu & diarrhoea, ſic ſudore ſolvitur *cardialgia*, modo nihil inflammatorii ſubſit. An tempeſtiva ſatis ſit per hæmorrhagias excretio? dubites. Notat enim G. DETHARDING *x*), mulierem menſæ accumbentem, dum graviſſimis illis, nuper per artem placatis doloribus iterum corriperetur, ſanguine a naribus prorumpente protinus periiſſe. Poreſt tamen ſub certa laborantis corporis conditione moderatus ſanguinis fluxus, & cauſſæ morbi conveniens, ſalu-

u) *prænot. Coac. IV. Op. T. I, p.* 578. *IV.* 8,

x) *Eph. N. C. Cent. I. & II. app. p.* 185.

ſalutaris eſſe. HIPPOCRATI *y)* ſignum eſt fluxus hæmorrhoidalis, ſi lumbis dolentibus cardialgia accedit. Bene ſe res habet, quoties cauſſa parva, ut vitia diætæ, dolor mitior nec continuus, reſpiratio liberior, cordis & cerebri actiones illæſæ, febris nulla vel remiſſior, ſenſus corporis hebetior. Nam ſimplicem etiam cardialgiam metuimus cum TRALLIANO *z)* in corpore exhauſto, tenero, debili & ſenſibili. Multi, quibus familiaris eſt, vix levia ferunt judice P. FORESTO *a)*. Prægnantibus ſæpe ſuperveniens abortum præſagit & præfocationem *b)*. In ſenibus cum deliquiis crebro revertens ſubito opprimit, vitalis enim functionis crebras eclipſes nemo diu fert, ne dum in illo vitæ limite. A flatu & vermibus pauci metuunt. Verum ibi poſt diuturnas moleſtias *in ſiccum hydropem eſt tranſitus c)*; hic dum adhærescunt & terebrant lumbrici, rem aleæ plenam eſſe & paucis horis interdum exitialem, TRALLIANUS *d)* adfirmat. Chronica plerumque cardialgia inducias indulget, acuta fere ſemper in armis eſt. Ex vitiato ſitu vertebrarum immedicabilis oritur. Attamen H. F. *ab* AQUAPENDENTE *e)* hanc exarthroſin rariſſimam vocat, quod interpoſita multa & craſſa cartilago ſpinam introrſum prorumpere prohibeat. Nec niſi difficilis curatu a prolapſu cartilaginis xiphoidis eſt. Exquiſitus dolor *facile* in convulſionem tranſit, extremorum frigus mortem inſtare notat *f)*. Nunc oculis ſuffuſionem accidere, nunc ad aures inſuetos ſonos adlabi,

GALE-

y) *Op. T. I. p.* 482. *XVIII.* 16. *ibid. p.* 484. *XXI.* 6.
z) *L. VII. c.* 9.
a) L. VII. o. 47.
b) DOM LEO *Art. med.* L. I. C. 6.
c) *Aph.* XI. §. 4.
d) *L.* III. *c.* 7. Confer LAZ. RIVERII *Prax. med. L.* IX. *c.* 10. *p.* 346. & HIER. MERCURIALIS *med. pract. L.* III. *c.* 2.
e) *in append. chirurg.* Premeret quoque, eo judice, illa vis arteriam aſperam & diaphragma cum periculo ſuffocationis.
f) Partes externæ, ex dolore circa ventriculum, frigidæ HIPPOCRATI lethale ſunt ſignum. *VII. Aphor.* 26. Frigidos cum febre ſudores damnat, *Aph.* 37. *S. IV.*

Galenus ſcribit *g*). Nempe hæc tentati iam cerebri indicia ſunt. Si violentius tentatur, morbos ait comitiales ſequi, carum, coma, catalepſin, deliria, convulſiones, cum certo ægri exitio *h*): quemadmodum corde adfecto, anxietas, apnoea, ſyncope cum ſudore frigido. Vix crederes, idem Galenus *i*) inquit, hæc omnia, ipſamque ſyncopen a ſtomacho pendere, niſi tam crebro eveniret. Quærendum vero ſemper eſt, recens an inveteratum malum? remiſſius an intenſius? cum an ſine febre & inflammatione? & maxime cum an ſine conſenſu cordis & cerebri? Febris arguit vel inflammationem, vel copiam vitioſi humoris. Sæpe continuæ, malignæ & exanthematicæ ſubnaſcuntur, quæ impura & imprimis bilioſa corpora cito conficiunt. Hæ ſunt præ ceteris *illæ febres, in quibus ardorem circa ventriculum* & cardiogmum tantopere Hippocrates *k*) damnat. Cum febre vomituque funeſtas dicit ἀναδρομὰς ἐς τὴν καρδίαν *l*). Ita exitialem cum inflammatione ventriculi cardialgiam Hier. Mercurialis nuncupat, quod ſine dubio etiam de ulcere, abſceſſu, fiſtula, ſcirrho, gangræna & ſphacelo, ex inflammatione natis, longe certius valet: in quo ſtatu omni humanæ ſpei renuntiandum eſt. In iisdem fere anguſtiis ſpes erit, ſi a venenis livida facies, oppreſſio pectoris, ſcotomia, aliaque denſo agmine ſequuntur, niſi mature liberes. At quid *facile eroſa ab his cauſticis & ulceroſa ora* conſolidet, in illo ſenſus acumine celerique *iuvantium per loca* declivia tranſitu? Idem diſcrimen, de purgantibus & medicamentis draſticis ominamur. Trepidamus certe ad levia initia capitis

g) *de ſympt. cauſſ. L. I. c. 4. Op. Cl. III. p. 15. H.* it. *de loc. adfect. L. III. c. I. Op. Cl. IV. p. 14. E.*

h) *ib. Cl. III. p. 18. F.*

i) *de loc. adfect. L. V. c. 6. Cl. IV. p. 32.* Lædi τὴν ζωτικὴν ἀρχὴν ἔχατον κακὸν vocat.

k) ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περι κοιλίαν καῦμα ἰχυρὸν, καὶ καρδιωγμὸς κακόν. *Aph. IV. 65. S. IV.* Alio loco reſidua a febre τὰ κάυματα ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ accuſat, alio loco τὰ ἀλγήματα ὑποχονδρίων σπασμώδεα. *prædict. I. Op. T. I. p. 472. I. 8.*

l) *prædict. I. Op. T. I. 477. XI.*

pitis & pectoris vacillantis. Ita HIPPOCRATES *m*) πόνον καρδίας cum præcordio diſtento & dolore capitis gravi omine infectatur. Prædicit quoque convulſorii aliquid, ſi cardialgicis dolor capitis & lumborum cum exſcreatione violenta contingunt *n*).

§. XI.

Medentis ſolertia vel cauſſas mali præcavet, vel admiſſas expellendo corrigendoque infringit, ſimulque urgentioribus ſymptomatibus, per moram funeſtis, ut dolori & ſyncopæ, ſuſpenſo tantiſper reliquo medendi adparatu, occurrit. Præcipuum eſt circa cauſſas, cum quibus radicem morbi excidimus, artis molimen. Hoc cum magnæ difficultatis & ambigui ſucceſſus ſit, eo iuſtius præmonendi ſunt, qui cum his malis ſæpe conflictantur, ut a cognitis cauſſis ſibi caveant, & contra novas vigilent inſidias. Ad præſentem cauſſam expellendam an venæ ſectio quidpiam confert? plurimum ſane in magna febre, ſæva inflammatione, vehementi dolore, inſigni plethora, & ſuppreſſis excretionum menſtruarum aliarumque præſidiis: inprimis ſi vires, conſuetudo & aetas hoc a diminuto ſanguine levamen inſtantius poſtulant. LAZ. RIVERIUS *o*), AUG. THONERUS *p*), GUIL. FABR. HILDANUS *q*) exempla habent immanis cardialgiæ, quæ ſtatim ad venam ſectam obmutuit. CHR. MICH. ADOLPHI *r*) cardialgicam, aliis per plures annos incaſſum tentatis, pediluvio & ſecta pedis vena perfecte reſtituit. Principem cardialgicum ab hæmorrhoidibus frigore ſuppreſſis liberavit phlebotomia teſte F. HOFFMANNO

m) καρηνόθες καὶ τοὶ ἀσθματώδες vocat, *Op.* T. I. *p.* 476. IX. 4.

n) *prædict.* I. *Op.* T. I. *p.* 480. XIV. 8. Ubi iungit voces καρδιαλγικὸς καὶ κεφαλαλγικὸς.

o) *C.* I. O. 44. nil purgantia, nil fotus profuerunt, ſed ſola V. S.
p) *L.* III. *O.* I. *p.* 135.
q) *Cent.* IV. *O.* 33.
r) *Eph. N. C. Dec.* II. *O.* 159. *p.* 368.

no *s*). Et nonne idem apud ipſum Hippocratem legimus *t*) de homine haud aliis remediis adiuto? Abſit tamen in ſimplici cardialgia ægrorum, præſertim debiliorum, ſanguinem profundere, in quibus venæſectio nec morbum nec cauſſam tangit, vires vero, quæ in progreſſu morbi ultro cadunt, cum periculo labefactat. Efficacius hic revellentes cucurbitulæ ad brachia & interſcapulia admoventur. Eſt & emeticorum limitanda ſalubritas. Dum cruda in ventriculo, acria, bilioſa & cuiuscunque generis corrupta fluctuant, excutienda omnino vomitu ſunt, qualis ſæpe ultro & ſalubriter contingit. Graviter Hippocrates, ſi cordiogmus infeſtat, cum faſtidio & amarore oris, ſine febre, uſum emetici requirit *u*). Quin &, ſi febris adſit, modo ſine topicæ inflammationis ſignis, *fas eſt in limine ſtatim*, poſt præmiſſam, ſi opus fuerit, venæ ſectionem, expellere noxium, quod mora ſenſim figitur, vel non ſine creſcente corruptela & inter diminutas vires deorſum vergit. Ubi vero inflammatio, ulcus, ſcirrhus, gangræna, partes adfectas obſident, quis auſit emeticorum attactu illas exaſperare, & peſſundare ægrum, fati certe metam præcipitare? Sufficit in chronico malo, ſi vires ſibi conſtant, *nil facile* obſtare, quo minus emetico conſulas. Unus aliquando vomitus *in corporibus*, ad illum diſpoſitis ac præparatis, fomitem morbi ſubtraxit, & *lapſas vires erexit*, dum binis circiter tartari emetici granulis quadruplum tartari *vitriolati*, vel decuplum radicis ipecacuanhæ prudens medicus miſcuit *x*). Mart. Rulandus aqua ſua benedicta cum vino abſinthii, rejectis copioſe corruptis humoribus, multos jactitat cardialgicos ſe ſanaſſe. Matrona illa apud G. F. Hildanvm *y*) dolores ſtomachi ultra biennium ſævientes uno emetico placavit, quo fruſta lardi aridi, &

s) *l. c. p.* 246. *obſ.* IV. Ter inſtituta plethoricum juvenem ſub æſtuoſo cœlo cardialgia ſpaſmodica prehenſum ſanavit. ib. *Obſ. V. p.* 247.

t) *Epid. V.*

u) φαρμακεῖν ἄνω. *aph.* 17. *S. IV.* ibidem *aph.* 4. æſtatem & hiemem diſtinguit, ibi mavult vomi, hic purgari.

x) *Cent IV. c.* 50.

y) *Obſ. Chir. Cent. IV. O.* 32. *p.* 317. Conſer de fruſto tendinis bovilli Henr. Smetium *in miſc. med. L.* 10.

fumo durati, & ante biennium incaute & avara gula deglutiti rejecit. Omnia hæc felicius ſuccedunt in mobili materia cardialgiæ incipientis. Verum in inveterata, maxime ſenum, & ad vomitus parum proclivium, etiam mitioribus diffide. In multis acida & auſtera ligant vomitum, alii debiliores ſub eo nimis anguntur, viditque occumbentem ſub moleſtis vomendi nixibus ægrotum G. H. WELSCHIUS z). Emeticum cardialgico ex iracundia inter convulſiones funeſtum fuiſſe, teſtatur FRID. HOFFMANNUS *a*). Quid vero, niſi certis conditionibus reſtrictum, quas attentior medici oculus diſcernit, ſalutare eſt? Illis igitur vel parcendum erit, vel ad exitum ſollicite præparanda materia, & aegri, ut ferant impune, leniſſimis movendi ſunt, & ſtatim tonicis refocillandi. Sumtis venenis *non tam emetica ſuadenda, quæ ſtimulant* ad vomitum, quam quæ lubricitatem & mobilitatem ſtimulanti ultro veneno conciliant, ut amygdalarum oleum vel lini recens, butyrum non ſalitum, cremor lactis & alia. Nec ſuam in cardialgia laudem purgantibus derogamus, ſi deſcendit ſtimulus, vel efficaciori revulſione opus eſt. Tutiora *emeticis cenſet* DAN. SENNERTUS *b*), ſed levia poſtulat, ut mannam, caſſiam, ſyrupos florum perſicorum, acaciarum, violarum, roſarum. Io. PHIL. WOLFIUS *c*) arthriticum ſexagenarium, ad quem noctu *venit*, e longinquo eiulantem audivit, horrendaque cardialgia ſpaſmodica correptum leni purgante & paucis anodynis ſanavit. Purgans tonicum, ut rheum, cum dictis ſyrupis egregie imbecillioribus convenit. *Si* obſtant aggregata in colo, clyſmata ex vino, oleo & *melle*, vel ſi *flatus* ſimul diſtendunt, ex infuſo *florum chamæmeli* cum nitro ſunt prius *iniicienda*. Sic magnus omnino eſt evacuantium uſus, modo caute & extra paroxyſmi vehementiam, ſi lenia clyſmata excipis, adhibeantur, & poſthæc tonica ſuccedant, ut vinum abſinthi-

z) *Eph. N. C. D. I. A. 8. O. 42. p. 70.*
a) *Med. ſyſt. rat. T. IV. P. II. S. II. C. II. O. IX. p. 255.*
b) *Med. Pract. L. III. P. I. S. II. C. 15.*
c) *Act. N. C. Vol. IV. O. 19. p. 84.* Ita GU. MUSGRAVE *de arthrit. anom. C. II. H. XI.* meminit cardialgici per catharticum ſanati.

ſinthites cum floribus cordialibus, familiare multis medicamentum *d*), & fotus vel facculi ex ſummitatibus meliſſæ cum vino rubro, cui etiam in fine millefolium, abſinthium & flores balauſtiorum incoquuntur, tepide cordis ſcrobiculo admovendi. An dotſo potius? cui, quod maxime laborat, os ventriculi ſiniſtrum propius eſt. Aegrius ibi vis medica per muſculos & oſſa penetrat, anterius utrisque orificiis, quæ tam parum a ſe diſtant, & tam luculenter conſentiunt, promtius ſubiens fotus una opera conſulit.

§. XII.

Corrigentium major copia eſt, ſed lentior ſalubritas. Sociari commode poſſunt evacuantibus, neque enim hæc materiam, niſi quodammodo correctam, tuto expellunt, neque corrupta facile, deleto omnis noxæ veſtigio, plene iterum corporis miniſterio corrigentium ope conciliantur. Ut cominus pugnes, ad cauſſas attende: alius hoſtis alia arma, aliud pugnandi genus poſtulat. Si, quod plerumque ſit, a cibo & potu vitium natum eſt, diætam muta, ut ipſi jam cibo & potui ſit vis medica corrigens. Cauſſis morboſis in compendio accommodabimus particulares medendi leges. Si viſcidum peccat in corpore frigido & pituitoſo, infuſa inprimis vinoſa herbarum, radicum, corticum, florum, ſeminumque, in quibus gratum aroma ſpirat, opem promittunt. Hoc nomine laudamus radices galangæ, ari, pimpinellæ, zedoariæ, flavedines citri & aurantiorum, baccas juniperi & lauri, ſemina aniſi, fœniculi, carui, & alia ſalina, aromatica, amara, tonica pro uſu interno & externo. Si viſcidi flatulentique connubium eſt, ut fere perpetuum eſſe ſolet, infuſis illis mel vel oxymel adde, tragemata aromatica vel pulverem ſtomachicum Birckmanni interpone, clysma ex decocto chamæmeli cum nitro & melle anthoſato præſcribe, epigaſtrio cruſtam panis

d) Medelam per vinum abſinthii habet Zacutus Lusit. *L. 2. med. princip. hiſt. 58. O. 10.* Summum remedium Galeno abſinthium eſt melicrato intinctum in mordicatione ſtomachi a bile, *de art. cur. ad* Glauc. *L. I. C. 9. Op. Cl. VII. p. 97. B.*

nis vino generoſo madefactam, & pulvere aromatico reſperſam, vel ſacculos carminativos in vino bullientes jube ſæpius admoveri, non neglecto poſt fotum litu ex oleo rutaceo & anethino cum ſpiritu vini, & poſt litum emplaſtro de baccis lauri loca dolentia defendente. Celsus in ſtomachi inflatione fricari jubet, nec minus inter recentiores Franc. Vallesius *e*) in hac cardialgia fricti commoda extollit. Officioſæ mulierculæ flatulentum tumorem circa ſcrobiculum cordis & hypochondria, pollicibus utriusque manus, oleo cocto & expreſſo, vel pinguedine anſerina, ad ductum coſtarum per epigaſtrium & latera ejus tumida fricare edoctæ, finito fricti lintea calida imponunt. Non penitus hoc incultæ artis miniſterium contemnendum eſt, merito tamen arguit I. E. Schaperus rudiorem multarum mulierum manum, quæ aliquando coſtam in puero quatuor annorum fregit *f*). Nec infrequens eſt viſcidi & flatulenti cum vermibus ſocietas, ubi amara, aloetica, cinnabarina, vitriolata medicis utiliter diſpenſantur. Aquam multi laudant vel lac, cui infuſum eſt argentum vivum, nec ſine ratione I. R. Glauberus *g*) drachmam limaturæ martis commendat, vitæ omnino vermium infeſtam. Ambros. Stegmannus *h*) cardialgiam poſt multas inutiliter conſumtas medicinas ad limaturam martis cito cedere vidit, quinque ejectis vermibus ad longitudinem digiti. Inter acria, quæ peccant, halitus acidi fervore ſuo ſenſibili tunicas ventriculi ſtringunt, quod pallidis feminis ſæpe contingit, hypochondriacis ſub fructuum horæorum abuſu, & robuſtis aliquando a potu fermentante. Proſunt alcalina, ſed temperata & probe diluta, ne ipſo conflictu invaleſcant dolores. Magneſia ſine ſtrepitu corrigit, martialia, ut antimonium diaphoreticum martiale, potenter abſorbent, quo nomine etiam lapides cancrorum, corallia, oſſa ſepiæ, cornu cervi,

e) *In* Hipp. *de morb. pop. comment. S. I. p.* 103.

f) *In progr. de cura cardialgiæ externæ, quæ frictionibus perficitur, von abſtreichen des Hertzgeſpans. Roſt.* 1710.

g) *P. II. furn. philoſoph. c.* 9.

h) *Eph. N. C. Dec. III. A. I. O.* 7. *p.* 22.

vi, & bolos inprimis terrasque ſigillatas laudamus, ſub varia demulcentium miſcela. De terra ſigillata I. SCULTETUS *i*) mira prædicat, bis eius virtutem in enormi dolore, aliis non cedente, expertus. In bilioſa acrimonia, poſt iteratos vomitus, quos ipſa aqua tepida cum ſyrupo acetoſæ ſuſtentat, acidulis, nitroſis & temperantibus utendum eſt. Solus aliquando potus frigidus reſtinxit cardialgiam cum cholera, cui FRID. HOFFMANNUS ſpiritum ſuum mineralem, alii ſpiritum vitrioli miſcent. Neque hic ſerum lactis, vel emulſiones ſeminum, vel ipſæ acidulæ laude ſua carent. Cauſticis venenis, vel draſticis emeticis & purgantibus, lac recens & copioſum convenit, aut aqua tepida cum butyro inſulſo, aut oleum amygdalarum, dein decocta hordei cornu cervi & ſcorzoneræ: *in fine aliquid theriacæ miſce. Devoratis vitri fragmentis*, vel aciculis ſimilibusque pultem milii vel oryzæ oppone. A. THONERUS *k*) mulieri cardialgicæ cum dediſſet oleum amygdalarum in jure veteris galli, intra paucas horas aciculas per vias urinæ excretas vidit, diſparente omni cruciatu. Qui reſtant cauſſarum fontes, breviſſimis attingam. Exanthemate retrocedente veſicatoriis utendum eſt ſub regimine diaphoretico & moderate cardiaco. In cardialgia a cohibito hæmorrhoidum fluxu, hunc clyſmate, fotu, ſuppoſitoriis aloeticis vel hirudinibus reſtitue: ſuppreſſis *menſibus l*) per octiduum decoctum baccarum iuniperi & ſeminum carui, bis de die ad uncias ſex calide propina. Hoc uſu menſtrua olida & grumoſa, dehinc vero periodica fluxerunt, teſte ROSIN. LENTILIO *m*). In ſpaſmis balnea & thermas laudamus *n*). Medela in prolapſu cartilaginis xiphoidis inveterato perdifficilis eſt. Hæc cartilago tumenti ventriculo natura-

i) *Armament. Chir. O.* 80.

k) *Obſerv. medic. L. III. o.* 2. *p.* 135.

l) PAUL. BARBETTE *prax. med. L. IV. C. XI. p.* 236. ventriculum putat tunc non modo in conſenſum trahi, ſed & primariam defectus huius cauſſam eſſe. GU. BALLONIUS *Epid. L. I. p. m.* 96. mulieres, quibus menſtrua ſupprimuntur, de dolore circa os ventriculi queri ait.

m) *Eph. N. C. D. III. A. VII. & VIII. app. p.* 120.

n) FRID. HOFFMANN. *I. c. O.* 7. *p.* 251. ubi cardialgia occurrit Carolinis & Toplicenſibus aquis ſanata.

turaliter cedit, rigidior vel vi externa introrſum acta, vel etiam lento humore laxata & prolapſa premit ventriculum ſub continuo dolore, vomitu, diſpnœa & ſuperveniente non raro atrophia: ſic tamen ut moderato paſtu vel decubitu ſupino dolor ille miteſcat. Docet CASP. HOFMANNUS *o*), prolabi non poſſe hanc cartilaginem, ſed incurvari: incurvatur autem frequentius, ac vulgo putant, ex ſententia PAULI BARBETTE *p*), qui hoc vitium tactu deprehenſum interjectis paucis horis auferri poſſe autumat. Imponatur cuti, cui ſubjacet cartilago, concurbitula ventoſa ampli oris, & adfixa, donec inſpiratio impeditur, ſubito auferatur. Ita aliquando uno experimento, ſi ſecus, aliquoties iterato naturalem locum cartilago recuperat, præmiſſo oleoſo litu. Sic fere ſibi BRASILIENSES conſulunt.

§. XIII.

Spes proſperi ſucceſſus in medendo magis vacillat, ſi cum febre & inflammatione cardialgia ſævit. Perpetua mobilitas tam ſenſibilis ventriculi, uno momento contracti altero laxati, & remedia, quæ ad partis inflammatæ attactum cito evomuntur, multum ſollicitudinis pariunt. Optima hic ſunt venæ ſectio cum fotu externo & clyſmate, potuque parco admodum & leni, ne ad vomitum irritet. Anguſtior ſpes eſt in ſuppuratione. Pergit dolor circa labia inflammati ulceris, & ipſum ſæpe pus aperto abſceſſu rejicitur. Hunc nondum ruptum emolli per farinas cum ſero lactis coctas: ſi cœpit dehiſcere, abſterge & conſolida ſero lactis ac balſamicis, e. c. pauxillo terebinthinæ vitello ovi vel melle ſubactæ, cui ſuperbibat æger diluentem, lenem & mellitum potum. Hic ſedulo cavendum eſt, ne quid molles fibras in tenero coalitu diſtrahat, errore ingeſtorum. Si ſcirrhus eſt, quod ex remanente poſt ſopitam inflammationem duritie & pondere

o) *Inſtitut. p.* 494.

p) *Chir. L. I. c.* 4. *p.* 389. TH. BONETUS *in ſcholio ad O.* 19. *Anat. pract. L. III. S. VII.* eo malo inter vomitus urgente binos medicos refert incaſſum adſtitiſſe, denique Chirurgum dextra manu intro vergentem cartilaginem reſtituiſſe.

dere colligis, longe plus cautionis requiritur, ne eum ſalina, acria, vinoſa exaſperent & cancroſum reddant. Non tam vincet hunc morbum, quam pacabit æger, qui parce & ſobrie vivit, omnisque irritationis cauſſas ſolerter removet. Atque hæc etiam adhibenda ſunt inter ſimilia mala vicinarum partium, hepatis, pancreatis, lienis, omenti, aliarumque. Prætereo cardialgias ſymptomaticas, ubi cum ſcorbuto, vel malo hypochondriaco, vel aliis morbis pugnandum eſt, qui ſuas ſibi particulatim ſuppetias poſtulant. Quod ARCHIGENES ſuaſit in cardialgia aliunde orta, ſpongias acri aceto, donec bullas excitet, ſupra genua ponere, id imitantur alii, dum per enemata, friſtus, cucurbitas, ſinapiſmos, a ventriculo injuriam arcere connituntur.

§. XIV.

Incidunt ſymptomata, quæ, ut conſolemur ægrum, vel e majori periculo eripiamus, a cauſſis proſequendis retrahunt. Dolor vehemens, ſub quo cordis & cerebri actio vacillat, lenimen præ ceteris poſtulat. Ex foliis malvæ, herba chamæmeli, floribus ſambuci, anethi, millefolii, vel in lacte, vel ſi febrilis æſtus non repugnat, in vino coctis facculi parentur, & expreſſi calentesque ad epigaſtrium, *vel, ſi mavis, dorſum imponantur.* P. FORESTUS *q*) cito liberavit fotu, *quo radices altheæ, ſummitates* abſinthii, flores roſarum & chamæmeli coxit in aqua communi & chamæmeli, additis poſt coctionem, vino rhenano, aqua roſarum & aceto. Idque TH. BURNET *r*) olim præceptori ſuo ELIDAEO divinum habitum eſſe teſtatur. *Sublatis facculis ad tempus unge* unguento anodyno vel altheæ, vel molli oleo, ut chamæmeli cum balſamo peruviano, vel mucilagine cydoniorum cum pinguedine gallinæ, quod H. REUSNERI *s*) ſecretum eſt. Certe ſolam aquam chamæmeli AMATUS, decoctum FORESTUS *t*) tinctu-

ram

q) *O.* 22. *L.* 23.
r) *Theſ. med. p. L.* 16. *S.* 23. *p. m.* 899.
s) *Obſ.* 71.
t) L. *XVIII. obſ.* 20. ſolo decocto florum chamæmeli in cereviſia ceſſit inſtar incantamenti dolor, nec alio opus remedio fuit.

ram Michaelis, oleum Crato, tanquam ſpecifica hujus mali laudant, æquius certe quam cryſtallos Langius, lapidem chryſolitum Horstius, jaſpidem Boetius. Sunt qui cera involvunt unguentum altheæ, mucilaginem ſeminum pſyllii & fœnugræci, cum oleo papaverino & farina fabarum. Sic jungere ceræ licebit unguentum anodynum cum oleo nuciſtæ expreſſo & chamæmeli deſtillato, ac tantillo croci. Simplex emplaſtrum de tacamahaca M. Ettmüllerus cum P. Poterio *u*) extollit. Subigatur liquata tacamahaca cum tertia parte balſami peruviani pro ſcuto ſtomachali. Interne mucilagines, emulſiones, abſorbentia congruunt, & in majori acrimonia oleum amygdalarum cum pingui juſculo, quod vomitum ſuſtentat. Non ingrata mixtura erit aqua ex floribus chamæmeli & acaciæ cum pauxillo vini & ſyrupi cinnamomi ac tantillo laudani. Pro majori dolore placando præter laudanum pilulæ de cynogloſſo, ſyrupus diacodii, diaſcordium Sylvii, & ipſa convenit theriaca, quam cardiacos præ dolore deficientes ad vitam revocaſſe reſtatur Galenus *x*). In contumaciſſimo dolore nunc inuſtio facta, nunc cucurbitæ impoſitæ, binis vel quatuor infra præcordia digitis, nunc balnea cum herbis mollientibus & carminativis data. Miteſcente dolore opportunius eſt, ad oppugnandas cauſſas reverti, & tunc quidem ipſis purgantibus, diaphoreticis, tonicis, imo & externis fotibus addere anodyna. Quod ut caute fiat, notetur illud Ant. Benivenii, in dolore ſtomachi per emplaſtrum opiatum dyſpnœam & ſingultum lethalem natum eſſe. Abſint maxime in atonia & inflatione. Gravius ſymptoma urget, ſi vehementia doloris atoniam ventriculi parit, cerebrique & cordis actiones ſufflaminat, inter deliquia & frigidos ſudores. Hæc eſt cardiaca, in qua denſare & adſtringere non calefacere Galenus *y*) præcipit. In hoc ſtatu

u) *Cent. III. c.* 32.

x) *De uſu theriacæ ad Pamph. Op. Cl. V. p.* 99. *A.* Adde *L. de theriac. ad* Pisonem *c.* 15. *Op. Cl. V. p.* 96. *B.* ubi theriacam in cardiacis reprimere ſudores & vires erigere ſcribit.

y) *Op. Cl. III. p.* 52. *H.*

tu animum deſpondere vetat CAELIUS AURELIANUS z), & ex SORANI doctrina ægrum in loco frigidiuſculo, umbroſo, obſcuro, collocari jubet, aquas per vitem roſarum ſpargi, linteis vel ſpongiis ex aqua & aceto, vel etiam ſuccis plantaginis, acaciæ & hypociſtidis expreſſis ora & collum, pectus quoque & præcordia tegi, odoramenta ex polenta infuſa, pane aſſato aceto infuſo vel pomis cydoniis admoveri, potum frigidum *a*) paulatim præberi, vinique aliquid & cibi per intervalla. Damnat hic phlebotomiam, quam nihil ait a jugulatione differre; adhibita calida & acres clyſteres improbat, nec EUDEMO adſentitur, qui aquam frigidam clyſtere injici, nec aliis, qui in eam deponi ægrotos præcipiunt *b*). CELSUS diſtincte attendit ad lapſum virium & ſudores ex toto thorace, cervicibus & capite, *minus pedibus, prorumpentes*. Hos cohiberi *vult inunctione* acerbi olei adſperſisve corpori pulveribus ex creta, gypſo, fece arida auſteri vini ſimilibusque. Imo, inquit, ſatis utilis eſt quilibet ex via pulvis. Ad hæc levi veſte in dutum ægrum, in loco, quem aër perflat, verſari vult. Vinum vero & cibum in illo virium deliquio præſcribit: cibi leviſſimi, qui nutriat nec oneret, diu noctuque præbendi parum, vini auſteri tenuis egelidi intra id tempus ad heminas tres *c*); prius autem corpus *frigida* perfundere, nares odoramentis, extrema frigida fricta lituque *fovere* imperat. Non multum diſſident, quæ apud AETIUM & TRALLIANUM *legis*. *Probe ſunt diſcernenda*

z) *L. II. de morb. ac. C.* 30. *ad* 50. de cardiacis agit, maxime *C.* 37. *Conf. Celſ. de med. l.* 3. *C.* 19. *Aet. ſerm. IX. c.* 1. TRALLIAN. *L. III. c.* 7. qui in præcipuis conſentiunt.

a) Placuit tantum non omnibus aqua frigida in deliquio virium. v. GALEN. *de comp. med. ſec. loc. L.* 8. *C.* 4. *Op. Cl. V. p.* 191. *H.* Si nondum ad ſe redeunt, ligatis extremis detur frigida cum ſucco omphacii aut aceto roſarum. Summum ei in omni morbo ſtomachi remedium eſt ſuccus cotoneorum cum melle attico, aceto & pauco aromate.

b) *ib. C.* 38. *p. m.* 171.

c) Hanc SENECA vitam cardiaci vocat, bibere & ſudare. *Ep. ad* LUCIL. 15. PLINIUS unam ſpem cardiacis in vino eſſe ait *H. N. L.* 23. *C.* 1. At recte CELSUS ſi vires erigantur, ſubtrahi ſenſim jubet.

da tempora, quibus vis morbi ingruit. In ſumma ejus acceſſione fricti & clamore excitandus æger, odorata, ut acetum rutæ vel levendulæ naribus objicienda, corpus a veſte & tegumentis forte ſtrictioribus liberandum, fotus ex meliſſa cum vino rubro adhibendus, vinum, quale ſecundum ARCHIGENEM a palato ægri eſt, cum mica panis exhibendum, vel aqua vitæ cum melle roſarum. Io. *de* MURALTO cardialgicam cum crebro deliquio ſpiritu vini refocillavit *d*). Aliis aqua frigida cum ſpiritu chalcanthi placet. Magis idonea præſentis morbi ratio ſuppeditat, & victo gravi ſymptomate, ne novis cauſſarum viribus reſurgat, ad has iterum expugnandas ſe convertit.

§. XV.

Diæta aërem temperatum & noxii halitus expertem commendat, maxime ventriculum a frigore defendit. PISO domum laudat, non valde lucidam, at aëri patentem. Conclave ideo ſit non nimis anguſtum, quod facile præfocat, & fervorem ex hominum ingreſſu concipit *e*). Pateat omni mane alvus, ut nihil ſubſiſtat gravetque: ſi opus, clyſmate molliatur. Animus vacuus a cura & mœrore iis ſuſtentetur, quæ recreant. Abſit cibus corruptibilis, qui facile putet, vel fermentat, vel acris & auſterus, qui ſtimulos flatusque parit, ut caſeus, carnes vetuſtæ, ſale & fumo durata, fructus horæi, aromata, tam indica, quam noſtra, ut allium & cepæ. Detur autem cibus, qui facile coquitur, bene alit, prompte permeat, & cauſſis morbi reſiſtit. Hoc poſtremo nomine biliosis, calidis, plethoricis convenient farinoſa, & in primis mitia olera, ut lactuca, acetoſa, borrago, cum aceto vel ſucco citreorum. Pro potu ſit aqua hordei cum paſſulis, cereviſia clara & tenuis, vinum parcum & oligophorum. Aſſare, ſalire, condire, ſit culinis eorum nefas. Si a jejunio lædun-

tur,

d) *Eph. N. C. D. II. A. VIII. O.* 8. *p.* 32.

e) CAEL. AUREL. *acut. morb. L. II. c.* 37.

tur, jentaculo adſueſcant. Pituitoſis & flatulentis victus animalis negandus non eſt, ſit ex macris carnibus, volucrum, gallinarum, columbarum, perdicum, merularum, piſcium quoque mollium ſaxatilium. Nec aromata moderata, nec vina iis generoſa neganda ſunt. Quin & iis ante cibum exercitatio aliqua, poſt cibum lenis obambulatio conducit. Gerant inter hæc pro imbecillo ventriculo ſcuta ſtomachica. Galenus pinguem catellum laudat, alii pelles vulpis vel leporis, vel goſſypia vino & ſucco ſtomachico ebria, & die nocteque in loco doloris geſtanda. Diætam magis particularem ut definire ægre licet, ſic præſentis medici prudenti conſilio relinquimus, quod, uti in poſterum noſtrum divina manus gubernet.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
TREMORE,
PUBLICE PROPOSITA
GOTTINGÆ, D. 16 SEPT. 1750.
RESP.
CAROLO AUGUSTO RICHTERO
LUSATO.

§. I.

Tremit, quidquid in anguſtiis eſt, & gravi periculo imbecillis viribus obluctatur. Crebra huius tremoris veſtigia & luculentas noxas in corpore humano proſequi animus eſt. Neque vero cetera præter hominem tremoribus vacua ſunt, ſaltem aliquid, quod ſpecie congruit, oculis noſtris obiiciunt. Tremunt in regno vegetabili plantæ, ut arbor illa Japonenſium, quam ANDR. CLEYERUS *a*) ad ſcalptum digitorum tremere ſcribit, tanquam a terræ motu concuſſam, hinc ludum pueris præbere & jucundum ſpectaculum. In regno animali tremunt ſubito petulantes quædam ſimiæ, *ut tangentibus terrorem incutiant b*). Piſci torpedini *c*) eadem vis tribuitur, non tremendi ſolum, ſed & tremores illos in

a) FIAKU SCHYQUA, quaſi centum & decem florum dixeris. Eſt arbor procera, foliis glabris & ſplendidis, floribus rubentibus pulchre inſtar caryophyllorum ſylveſtrium. *Eph. N. C. D. 3. A. 5. & 6. Obſ. 2. p. 2.*

b) ENGELB. KAEMPFERI *Amoenit. exotic. faſc. III. O. 2. §. 2. p. 513.*

c) Torpedo græcis Νάρκη, concinne *Matthiolo* vocatur tremulo, Gallis tremble, Germanis *Zitterfiſch*. Eſt piſcis latus, planus, cartilagineus,

in alia corpora propagandi. Hæc enim Io. Alph. Borelli *d*) ſententia eſt de mirabili piſcis huius phænomeno, quod eruditos tot ſeculis ſuſpenſos tenuit, vehementem nempe tremuli animalis huius concuſſionem, iteratis ictibus fortiorem, ad nervoſa & ſenſu exquiſita contrectantium membra ſimili effectu diffundi. Denique in regno minerali non prætereo ipſos terræ motus, ſub quibus parietes, muri, turres, inter ruinas caſusque tremunt. Sed ut juſtior tunc eſt & magis proprius incolarum tremor, ita non niſi ad tremores corporis humani, miſſis reliquis, trutinandos nos accingimus.

§. II.

Tremor *e*) eſt *motus muſculorum involuntarius*, parvis, alternis, celerrimis, ad partes oppoſitas, vibrationibus conſtans, a vitio cerebri, nervorum ipſarumque fibrarum motricium, adeoque ab imbecillitate cauſſæ moventis proficiſcens. Involuntarium motum dico, non quod neſciam, poſſe, qui velint, ex arbitrio tremere *f*), quod callide mendicantes faciunt; ſed quod ſcopus animalis oeconomiæ nunquam ad hos tremores invitet *f*), hinc

ſique caudam excipis, orbiculatus, maculis diſtinctus, mollis, lubricus & ſine ſquamis, Raiæ ſimillimus, cui ideo generi Linnaeus eum adſcripſit. Figuram eius evolutasque ſtructuræ leges habemus apud Hyppol. Salvianum, ulyss. Aldrovandum, Willughbeium, Kaempferum, Lorenzinum, &c. Non abs re erit ſingularem illum tremorem, quem tangenti homini parit, ſi ad cauſſas tremorum transibimus, plenius evolvere §. 7.

d) *de Mot. animal. P. II. propoſ.* 219.

e) Tremor græce τρόμος a τρέω vel τρέμω vulgo ſymptoma dicitur actionis animalis læſæ, qua motus muſculorum a nutu voluntatis pendens diminuitur vel depravatur. Aiunt diminui, cum motus non fiat eadem facilitate, quam in ſanis, eadem agilitate & conſtantia; depravari autem, dum ex arbitrio facultatis moventis excidit membrum per vices, & vi propriæ gravitatis ad oppoſita loca declinat. De quo poſt *Galenum* ſubtiliter diſputarunt *Facchinus*, *Rudius*, *Santorelli*, *Corteſius* aliique Galenicæ doctrinæ veſtigiis inſiſtentes.

f) Hinc Io. Alph. Borellus *l. c. propoſ.* 214. de tremoribus voluntariis dicit, quoties manum velimus tremulo motu concutere, muſculos anta-

hinc ſi oriantur, alterius originis ſunt, excluſa voluntatis actione. Quis negat, convulſiones merito motus involuntarios dici? quas tamen pariter imitari in poteſtate molientis eſt, nulla vero, quæ voluntatem impellit, juſta ratio occurrit.

Plerorumque illa ſententia eſt, motum voluntarium cum involuntario in tremoribus mixtum eſſe, illum facultati moventi, hunc gravitati membri moti deberi, ut mutua quaſi pugna ſit facultatis uno momento erigentis, altero deprimentis, & hæc contrariorum motuum viciſſitudo breviſſimis vixque diſcernendis intervallis conſtet *h*). Intelligitur inde cauſſæ moventis imbecillitas, quæ protinus quidem novis virium ſuppetiis urget, at quo momento remittit ab opere, laxato tono membrum ſui ponderis nixum ſequitur. Ita videtur haud temere concludi, ſemper, ut tremor fiat, præcedere voluntatis nixum, & ſub eo ſpiritus influere per nervos ad motum membri: hic vero tam parcos inertesque, ut motus huius momentum non abſolvant. Nullam enim aiunt partem quieſcentem eſſe, quæ tremiſcat, neque, ut Fr. Sanchez *i*) rem illuſtrat, brachium ſupra tabulam poſitum vel caput pulvinari innixum tremere. Hinc Iac. Peletarius *k*) diſcutit dubia, quæ adverſus Galenum movet Andr. Lacuna, an tremor

goniſtas ſucceſſive a voluntatis imperio, unum poſt alterum, citiſſime & frequenter contrahi, non ſecus ac in bilance æquilibrata modo unam modo alteram lancem deprimimus.

g) Paucos fortaſſis caſus eximas, ut in naturali illo tremore linguæ, qui ad pronunciandam litteram *R* requiritur.

h) Duplicem motum vocat Io. Heurnius, in quo, quod movet & movetur, ex æquo certat. *de morb. Cap. C.* 27. Ita Phil. Hoechstetterus ex duplici hoc motu nullum ait totum perfici, ſed uno incipiente alterum jam inſtare, *Obſ. Med. Dec. IV. C.* 4. Simili ſenſu Barth. Perdulcis motuum contrariorum perpetuam viciſſitudinem vocat, nunc vincente Natura, nunc ſuccumbente. *Univ. Med. L.* 13. *C.* 3. *p.* 620. Confer Fr. Feyneum. *in Med. pract. L.* 2. *C.* 7. ubi repugnantiam motuum vocat, impellente nunc ſurſum facultate, quæ movet, nunc deorſum inſita gravitate.

i) *Op. med. Lib. de febr. C.* 4. *p. m.* 264.

k) *de Conciliat. locor. Galen. Contradict. I.*

tremor ſit voluntatis particeps? Argutius hic I. B. Cortesius *l*) triplicem reſpicere jubet quietem. Prima eſt a morbo, qui ligat vim voluntatis, ut in paralyſi & convulſione; altera a facultate animali, quando ſub tono partium omnes muſculi operantur, licet ad ſpeciem quieti; tertia a gravitate membri, quod ſub ſuo ſuſtentaculo quieſcit. Itaque rem ita dirimit, in illo effato Galeni, quieſcente membro tremores fieri, quietem tonicam intelligendam eſſe, in qua muſculi antagoniſtæ æquali virtute agunt. Hoc ſenſu tremor quieſcentis membri naſci aliquando poteſt. Nequit idem contingere in prima vel tertia ſpecie quietis, ubi vel morbus ſuperat vim moventem, vel actus movendi iſto ſitu tremuli membri ſiſtitur, ut ſi brachium a tabula ſublevet robuſtus, *non tremat, ſi ſublevet languidus, ſtatim tremores* oriantur. Itaque tremor non eſt voluntarius, ſed nec fieri poteſt ſine motu voluntario. In qua re quid proprie fiat, vix poteſt ſine motus muſcularis naturali lege, & cauſſis, quæ illam violent, cognoſci.

§. III.

Muſculus motus voluntarii organon ſeparari in minimos fibrarum faſciculos *poteſt*, ſinguli faſciculi & ſingulæ rurſus faſciculorum fibræ vaginulas *habent celluloſas*, magno vaſarum omnis generis numero ſtipatas. Tendo in tot *fibrillas*, ac ipſe muſculus, diſcerpi poſſe a plurimis creditur, interpoſito ſimili reticulo adipoſo & vaſculoſo. Sunt, qui has fibrillas fibris muſculorum continuas, & ipſius nervi muſculum ingreſſi propagines eſſe, non citra rationem ſuſpicantur. Certe eadem fere mala, quam ipſi nervi patiuntur. Manifeſta muſculi ita conſtructi actio in contractione conſiſtit, qua minuitur longitudo eius, caro latior, tumidior, durior, pallidior fit, extrema quibus utrinque muſculus infigitur, ad ſe accedunt, ſumma ſic pondera elevantur, quorum computarunt vires mathematico acumine Borellus, Bernullius, Keilius aliique. Sunt, qui omnem hanc muſculi actionem in ipſo tremore ponunt, nervosque inſtar chordarum tremere & hunc tre-

l) *Pract. med. P. I. C. 22. p. m. c.* 254.

tremorem cum muſculis communicare, contendunt. Cum nervi nec tenſi ſint, nec in longitudinem exporrecti, abeſt conditio chordæ trementis. Sunt autem molles in principio & fine, poſiti in laxa piugudine, nunc flexi in arcum, nunc retrogradi, nunc plexibus fiſſi, adeoque ab omni tenſione alieni. Igitur ut antiquiſſimi crediderunt, motus ſenſusque miniſteria a nervis ope contenti fluidi præſtari, ita & nos principium motus muſcularis non in fabrica ſolida nervorum cum LISTERO, COWPERO aliisque, ſed virtute perfluentis liquidi *m*) ponimus, quod ex cortice cerebri in medullam, ex hac in nervos propagatum, per omnes muſculi partes impetum ſuum diſtribuit. Patet ille ingreſſus ipſo tumore & duritie, & quod, licet ob preſſa tunc vaſa fibrillis interpoſita ſiſtantur arterioſi, venoſi humores propellantur, nulla ſit molis diminutio.

Neceſſe eſt, cauſſam, quæ muſculum movet, adeſſe in eo & abeſſe, ingredi & egredi, idque tanta celeritate poſſe, quæ omnem menſuram temporis ſuperat, & cavos tubulos, e quibus muſculus conſtat, ex centro ad omnem ambitum uno momento dilatat; neceſſe eſt a cerebro nervisque, quibus læſis omnis vis animalis ceſſat, non ab arteriis & venis *n*), quarum contenta æqua-

m) Sanguis adfertur immenſa copia ad confinia medullæ, cur ſi hæc cæca? Corticis vaſcula rubris tenuiora an concipi poſſunt ſolidis medullæ fibrillis continua, ubi ſubſiſteret liquidum, vel remetiri vias cogeretur? Non opus eſt, cuius naturæ hoc fluidum ſit, exponere, num ſecundum *Carteſium* flammeæ, ſecundum *Williſium* ſulphureæ, ſecundum *Paſcolium* æthere, ſecundum *Sylvium* ſpiritus vini ſimillimæ, ſecundum *Mayowium* nitroſo aereæ, ſacundum *Gorterum* gelatinoſæ? Satis eſt elaboratiſſimum, quod omnes vaſorum actiones coctionesque ſuſtinuit, liquidum eſſe.

n) Ligata quidem arteria, ad muſculum excurrente, etiam huius motus ſuſpenditur, id vero fit ex ratione, quam habet ad nervum: nam ad accelerandum fluxum arterioſi ſanguinis in muſculis nil valet imperium voluntatis, hinc nihil, quod mutet ſtatum muſculi, accedit. Scite *Ill.* & *Generoſ.* de HALLER: *extra imperium vaſorum ſanguineorum poſita eſt vera muſculi machina. Comment.* in *Inſt. Boerh.* p. 248. ubi contra

æquabiliter moventur, imo in muſculo agente non perſiſtunt, illam vim dimanare, adeoque in mobiliſſimo illo & ſubtiliſſimo, de quo diximus, fluido nervorum, unice quærendam eſſe. Influit hoc liquidum, ſi voluntas non determinat, æquabiliter in muſculos, quos in ſtatu violento partium, ad oſſa firmatorum, adeoque in perpetuo nixu ſe arctandi concipimus. Dum æqualiter influit ad muſculos antagoniſtas, ſervat illos in quiete, uti lances inter paria ponderā. Has æquales antagoniſtarum & contrarias vires GALENUS motum tonicum vocat, ubi immobiles ſunt artus, licet magnæ vires urgeant, ſed ſimili & oppoſita virtute. Motum jam ciebit leve ſuperpondium, quod ad unum muſculum anima, cuius in origine nervorum poteſtas divina lege ſtabilita eſt *o*), largiori rivo determinat. *Talis motus ſæpe augeri poteſt ipſis diminutis viribus moventibus.* Ita *flectitur* digitus ſine novarum virium acceſſu, dum extenſorem paralyſis corripit. Sane antagoniſmus ille maxime explicat motus muſcularis negotium, nec ideo magna hic ſpirituum prodigentia opus eſt, dum aliis muſculis detrahitur, quod uni accedit. Reſtituitur muſculus proprie per vim antagoniſtæ prævalentem, unde agentis muſculi ſubſiſtit caro, elongatur, rubet. Si flexor relaxatur, extenſor pro-

KING, TAVRY, ASTRUC, *aliosque, quibus etiam arteriolis continuas imaginari fibras muſculares placuit*, diſerte diſputat. Iniectio nil mutat in fibra ſimplici, nihil elotio, & vel ipſe pallor docet, ſanguinem a fibris abeſſe poſſe. Nihil hic globulorum LOEWENHOECKII acutiſſimus oculus conſpexit, nimis etiam debilem hic ſanguinis potentiam calculus *Haleſii* oſtendit. In macilentis & atrophicis fere ad nihilum redacta eſt muſculorum magnitudo, efficax tamen adhuc in ſuo opere. Sane moles muſculi maxima eſt a repletis arteriis, venis, vaſis lymphaticis, & oleoſis veſiculis, ab his vero diverſum plane, quod potentiam movendi continet. Hinc ſi vaſa & pinguedinem de muſculo demis, quod ſupereſt, nil niſi propagatus nervus videtur, qui ſubiens maſculum non prodit iterum, ſed in eo evaneſcit. *Aut igitur*, inquit *Ill. & Generoſ.* de HALLER, *muſculi ſunt nervi mutati, aut certe vim a nervis movendi accipiunt. ib. p.* 354. Contra prius illud obiiciunt, nervi minorem molem eſſe ratione muſculi, quem ſubit. Verum ultra fidem parva eſt hæc moles judice KEILIO, ſi liquida omnia & vaſa & adipem demis.

o) Sit anima, inquit H. *Boerhaave l.* c. p. 431. prima motrix, aget in ſolo

propria vi, antea ſuperata, reſtituit naturalem membri ſitum. Superat, quia longior eſt & plus violentiæ paſſus maiori vi elateris ſe ad iuſtam menſuram reſtituit *p*).

§. IV.

Tremit igitur muſculus, quoties in eum ille ſpirituum commeatus non influit, qui ad eius actionem definito tempore ſuſtinendam, ſimulque ad oppoſitas antagoniſtæ vires vincendas, requiritur. Sufficit quidem, ut quietem interpellet, non ut motum, qui ſui officii eſt, perennet, & conſtanter, quidquid ſibi virium obluctatur, ſuperet. Renovat per vices ſua molimina, at ille virtutis animalis exceſſus nimis exiguus eſt, quam ut naturales ab elatere pendentes vires antagoniſtæ ſuperet. Igitur proxima tremoris cauſſa eſt in imbecillitate & atonia nervorum ponenda, qui ſufficiente virium moventium copia non implent muſculum. Sive vero in cerebro ſit, quod momentum ſecretionis lædit, ſive in nervis exinde egreſſis, quod iter ſpirituum intercipit, ſive in ipſo organo motus, quod ſecretos in cerebro & derivatos per nervos non admittit; ſane muſculus, ad quem vis movens tam tenui vel etiam interrupto rivo fertur, diu in ſua tenſione contineri nequit. Eſt igitur tremor impotentia uno tenore muſculum inflandi, ſive vacillatio eius inter tonum & laxationem, dum cauſſæ tendentes & laxantes ſibi mutuo & celerrime ſuccedunt. Neque tamen fas eſt præterire, duplicem tremorem merito agnoſci, alium, dum quieſcit membrum, alium, dum movere cupis. Prior eſt ab alterna irritatione, in ſenſorio communi nata, ut cauſſæ muſculum tendentes agant ſubito, mox ceſſent, mox

ſenſorio: nam ad muſculum cauſſa vere corporea adfluit, ut durities & renixus docet. PERALTUS maluit credere animam ex proximo movere muſculum.

p) *Vid. Ill. & Generoſ. de* HALLER *l. c. p.* 406. it. I. B. WINSLOW *en Traité de Muſc. T. II. p. m.* 18.

mox renaſcantur. Io. Iac. Wepferus *q*) theologi meminit, cuius dextra, etiamſi ad quietem compoſita, tremeret. Poſterior fit a penuria liquidi nervei, quo per voluntatem determinato non dextre ſatis inflantur muſculi. Ad hunc tremorem plerumque unice reſpexerunt, unde eſt, quod ſemper a voluntario motu incipere tremores crediderint *r*). Huius doctrinæ ſimplicitati non reſpondent cauſſæ, quas ingeniorum elapſi ſeculi luxus comminiſci cœpit, & quas ideo recenſere idem erit ac refutare. Cartesio *s*) in muſculis antagoniſtis membri trementis placuit valvulas fingere, & aëri inciſas exhibere, quæ reſeratæ per vices liberum eius judicio iter ſpirituum faciunt, ab uno muſculo antagoniſta in alium, unde crebra puſillorum motuum viciſſitudo. An potior Willisio *t*) fides eſt? qui ſpiritus continuo a tendinibus in carnes relabi, & iterato hoc excurſu recurſuve non inflare penitus, ſed inter parvos & crebros nixus ſtatuit, ut membra a muſculis perpetim agitata vix loco moveri videantur. Neceſſe erat pro hac deſultoria ſpirituum virtute heterogeneum in finibus tendinoſis concipere, quo irritante non conſiſtunt ſpiritus, ſed continuo motu diſcurrunt. Helmontius *u*) in occurſu rerum ſibi moleſtarum convelli muſculum cum intercalari quiete putat, & veluti aranea caſſes ſuas quatit, ſic archeum tremulo rigore moliri, ut vitioſum excutiat. Nec plus momenti eſt in Iusti Vesti *x*) ſententia, qui muſculorum ad membri motum concurrentium duplicitatem conſiderat, determinante nunc ad certum membri muſculum voluntate, nunc cauſſa morboſa retrorſum agente, cuius ſimultaneæ actionis effectus ſit tremor. Alii auram tenuem nervos continuo ad debilem contractionem irritare ſuſpicantur,

q) *Obſ.* 107. *p.* 477.

r) Ita Fr. Sylvius derivat tremorem membri, ſi quieſcit, a motu turbato ſpirituum; ſi movere molimur, a penuria ſpirituum. *Pr. Med. append. Tr. II.* §. 417.

s) *Tr. de homine P. II. Art.* 20. & 21.

t) *Pharm. rat. P. I. ſect. VI. p.* 150.

u) *de febr. C.* 9. §. 2. 9. 10.

x) *Diſp. de aegro artuum tremore correpto. Erfurt.* 1694. §. 12. *p.* 10.

cantur, inter quos Ios. Lanzonus *y*) aciditatem volatilem arguit, qua prædita tenuis materia ad continuam contractionem muſculi impellit, ſed pro conſtantiori motu non ſufficientem. Operam perderem & tempus in hac aevi luce, ſi vel meris ſuppoſitis hæc niti oſtenderem, vel conceſſis tanquam veris, futiles inde deductas concluſiones diluerem, ſemiclauſis quippe oculis patentes.

§. V.

Potius, quid ſit interne, quod illam nervorum imbecillitatem, ſuſtentandæ muſculorum actioni imparem parit, per ſeries cauſſarum, quas proegumenas vocant, expendere juvabit. Temperies *tum naturalis tum morboſa*, ſi laxa, humida, frigida ſit, faver ſæpe tremoribus, utrinque etiam mobilitas nimia nervorum quam juſtum robur deſtituit. Aetas imbecilla puerorum in iſta copia ſenſibilium nervorum tremit facile, imo convellitur: aetas ſenilis ob penuriam influentium ſpirituum, & creſcentem in rigidis muſculis reſiſtentiam, in longe graviores & immedicabiles tremores incidit. Sexus femineus, virili imbecillior, ſæpe hoc malo laborat. Plethoras ante omnia reſpicio & infeſti ſtimuli cacochymias, ac morbos inde natos, etiam antequam erumpunt, latente ſemine minaces. Tremores a cerebro debili in fratre *Nannio* Petr. Forestus *z*) deſcribit. Inſolitos inter febrilia ſymptomata tremores, ex ſero, quod forma lactis ſubvireſcentis cerebro innatans in ſpinam ſimul medullarem decubuit, ex *Patino* Th. Bartholinus *a*) recenſet. A ſanie & muco in ſiniſtro cerebri ventriculo laboravit juvenis melancholicus, per omnia membra tremens & velut ſaltu ſubſiliens, quod apud Th. Bonetum *b*) legimus, qui etiam a verme cerebri ſimiles concuſſus tremores-

y) *P. II. Conſult. Med.* 32. *p.* 77.
z) *Obſ.* 99. *L.* 10.
a) *Obſ. anat.* 39. *Cent. II.* Fuit Campanus nobilis vini meracioris potor.
b) *Anat. pract. L. I. Sect.* 14. *Obſ.* 9. *&* 10. Lumbricus rubens digito longior repertus eſt.

resque notavit. Totius corporis a febre male curata tremorem Ernest. Gotth. Struvve *c*) depinxit, ubi non modo manus & pedes, caput & truncus, ſed & oculi cum palpebris, labia & ipſa lingua diu noctuque tremuerunt. A tertiana tremorem linguæ cum ſubſultu faciei Ehrenfr. Hagedorn *c*) in puero, quem pater externis admotis ſanare adgreſſus erat, obſervavit. Poſt acerbos corporis dolores, quaſi fuſtibus percuſſus eſſet, religioſus quidam Cancalii in portu Epiſcopatus Maclovienſis *d*) adeo inſuetum totius corporis tremorem ſenſit, ut quaſi ad agitationem vermium tremerent muſculi, aliter longe, quam fit in febre, vel frigore, vel terrore. Funeſtiorem a morbillis tremorem notavit Sam. Ledelius *e*) in femina, quæ morbillis detentam ſororem inviſens & ipſa correpta tertio die periit. A primo momento adfuit continuus artuum tremor inprimis linguæ, ut nihil dextre deglutiret. Qualem nervis inimicam malignitatem comite tremore in peſte memorat Fr. Sylvius *f*). Lienis vitium reperit Io. Riolanus *g*) in Abbate per binos menſes pedibus trementе, donec eum ſuperveniens ſtupor exſtingueret. A colica natum tremorem habet I. P. Lotichius *h*). Addo obſervationem Io. Dav. Maycharti *i*) de homine durioris vitæ & viliores merces per pagos vendente, qui dolore dextri pedis, mox cruris, denique totius lateris dextri tremore periodico & dolorifico laboravit, idque ex abſceſſu calcanei, quo aperto hoc malum evanuit.

§. VI.

c) *Commerc. litter. phyſic. med. Norimb. A.* 1732. *p.* 365.

d) *Eph. N. C. D.* 1. *A.* 6. *&* 7. *Obſ.* 15. *p.* 25.

e) *Suite de la Clef du Cabinet M. Nov.* 1731. *Art.* 1. §. 2.

f) *Eph. N. C. D.* 3. *A. I. Obſ.* 64. *p.* 91.

g) *Prax. Med. Append. Tr.* 2. §. 416.

h) *Anthropol. L. II. C.* 23. Lien fuit exacte quadratus, undequaque cartilaginoſa ſubſtantia incruſtatus, latitudinis trium palmarum, craſſitiei quatuor digitorum.

i) *Conſil. & Obſ. med. L. II. C. II. O.* 1. *p.* 492.

§. VI.

Inter res illas, quæ corpus penuria ſpirituum & imbecillitate cauſſæ moventis laborans externa etiam vi exhauriunt magis & debilitant, imo robuſtos conficiunt, frigus primo loco conſidero, hoſtile nervis, non vi quidem narcotica, ut opium, quod olim G. C. SCHELHAMERUS cenſuit, ſed conſtringendo meatus & figendo ſpiritus. Fortiſſimi ad intenſius frigus hyeme tremunt, quid teneris fiet? Gravior noxa eſt, ſi frigori æſtus ſupervenit. CAR. RAYGERUS *l*) hominem notat, qui ligna opificii ſui in locis Danubio vicinis tractans, & ultra tres horas in aquis frigidis perſiſtens, idque aliquando ad axillas, mox domi ad calidam fornacem decumbens, primis diebus omnium membrorum laſſitudine, hinc per annum oculis laborans, poſt triennium vero horrendis articulorum doloribus correptus eſt, quibus tremor perpetuus ſucceſſit, omni medela ſuperior. Ita in validiſſimis frigus nervorum officia ſuſpendit. Similem apud P. BORELLUM *m*) legimus dolorem, tremoremque pedum a frigore, inprimis, ſi ad focum aeger accederet. Nec minus notabile conſtantis & perpetui ex frigore tremoris exemplum apud PHIL. HOECHSTETTERUM *n*) occurrit. Ideoque PROSP. ALPINUS *o*) ſummam aeris frigiditatem, vel potionem frigidam, vel vinum ex glacie aut nive immoderatius refrigeratum graviter accuſat. Quæ querela eo juſtior eſt, ſi poſt balneum, vel magna corporis exercitia, ad frigidorum uſum ruimus. Puerum duorum fere annorum ſiſtit SAM. LEDELIUS *p*) aere externo frigefactum & ſpiris vino immerſis infarctum, mox noctu vehementi vomitu adfectum, quo ſedato tremor omnium totius corporis membrorum ſucceſſit, maxime capitis, cum pavore fere continuo & oculis nictitantibus. Ineptum certe fuit, frige-

k) *Eph. N. C. Cent.* I. & II. *Obſ.* 124. *p.* 250.

l) *ib. D. I. A.* 6. & 7. *O.* 211. *p.* 310.

m) *Obſ.* 84. *Cent.* I.

n) *Obſ. Dec.* 4. *C.* 10.

o) *In Med. Meth. L.* 10. *C.* 9.

frigefactum tenelli corpus vino implere, quandoquidem vel solus vini potus immoderatus causſa tremoris in adulto est. Meminit G. W. WEDELIUS *q*) ingentis tremoris manuum a nimio vini usu, & Io. SCHENCKIUS *r*) singulare exemplum habet præfecti coenobii, ex vitio diætæ & inprimis vini constanter tremuli, qui munere orbatus, & vili jam cibo & aqua victitans sine medicamentis convaluit. Tremunt manifeste helluones, & ut cum PLINIO *s*) loquar, plena vasa tremulis manibus effundunt. PETR. FORESTUS nullam tremoris frequentiorem causſam vocat potu generoso, inprimis inter ipsa jejunia hausto. Refero huc non vina solum meraciora, sed maxime spiritum vini & aroma ei admixtum. An ab acido vini hæc vis pendeat? disquisivit IGN. THIERMAIR *t*). Ratio certior est, quod fermentata liquida, quæ spirituum copia abundant, interno calore magis rarefacta distendunt vasa sua, & tonum eorum labefactant, unde tremuli & ad vitæ munia inepti confugiunt ad novas repletiones pro temporaria medela. Plus enim tremunt jejuni, sique vino rursus incaluere, cessat ad tempus tremor crescente causſa. Necessaria ad movendos musculos flexilitas perit, dum spirituosa liquidis coagulum, solidis rigiditatem inducunt. Eadem contingunt a potibus aquosis tepidis, quorum abusu tremunt membra: dum hi potus relaxant fibras, & genesin motumque liquidi nervei in vasis tono orbatis impediunt. A crebro potu Coffée tremorem manuum derivat cum aliis FRID. HOFFMANNUS *u*). Alimentorum ut copia gravat, & aequalem per vasa distributionem prohibet, ita hoc loco maxime ea improbamus, quæ acri stimulo, salino, acido, aroma-

p) *Eph. N. C. D.* 3. *A.* 9. *&* 10. *Obs.* 115. *p.* 205.

q) *In Pathol. med. dogmat. p.* 573.

r) *Obs. Med. L. I. Obs.* 3. *p.* 110.

s) *Nat. hist. L.* 14. *C.* 22. *p.* 728.

t) *Conf.* 10 *L.* 2. *Conf.* C. B. BEHR. sel. diæt. S. 3. C. 5. p. 340. ubi acorem vini pro causſa habet.

u) *In Med. rat. syst. T.* 4. *p.* 5. *C.* 3. §. 33. *p.* 112. *Accusas* salinum volatile & sulphur empyreumaticum, inprimis sub parvo vehiculo.

aromatico ſeſe interius diffundunt. Ipſa non minus inedia, quæ humores noſtros, quoniam blandi chyli acceſſu non demulcentur, ſub interno motu continuo exaſperat, magnos nato hoc ſtimulo tremores parit. Qui ſtimulus etiam major nunc in venenis, nunc draſticis medicamentis haeret. Tenera corpuſcula vix ferunt emetica ſine tremore. Inter venena hic ſpeciatim hydrargyri halitus attingo, quos cum hauriant toties aurifabri *x*), vel illi pariter, qui lue venerea laborant, & nunc ſuffitus nunc unguenti forma hydrargyro utuntur, mirum non eſt, crebris utrosque tremoribus vexari. Ex narcoticis intempeſtive adhibitis magna ſæpe imbecillitas cum tremore naſcitur, ut fit ab opio vel ſuffitu hyoſciami. Rarefaciens opii virtus tanquam vini adfligit, ut novo opii uſu quieſcat ad tempus tremor, at infeſtior redeat. Non præterimus, quid hic a motu & quiete, a ſomno & vigiliis pendeat. Fortior motus & per horas durans ob conſumtionem ſpirituum tremores parit. Hi adſunt in omni motu ſupra vires inſtituto, ut eorum, qui gravia onera geſtant. Nec vero quies & otium, quibus augentur vitioſi humores & ſpiritus torpidi redduntur, immunitatem ab hoc malo promittunt. Deſcribit fuſe Io. Bapt. Montanus *y*) hominem, cui laute vivènti, poſt intermiſſa conſueta corporis exercitia, mox tremor brachii ſupervenit. Ex quibus etiam patet, quid de ſomno nimio vel vigiliis ſit cenſendum, Ibi enim cruda & pituitoſa accumulantur, remora ſit excretionum, calor corporis ſupprimitur: hic vires & ſpiritus diſperguntur. Utraque cauſſa cum imbecillitate generis nervoſi tremores gignit. Et quidni excretorum & retentorum vitia hic memorem? Excretiones nimiæ ſanguinis, dejectiones alvi majores aliæque detrahunt nervis ſat amplam ſecernendorum ſpirituum materiam. Ex ipſa venæſectione, quoties iterata, tremorem

x) G. H. Welsch. *Obſ. D. 3. C. 7.* & Theoph. Boneti *Sepulch. L. I. Sect. 14.*

y) *Conſ. 70.*

rem natum vidit Nic. Tulpius z). Plus præmaturus ante pubertatis annos coitus tremoribus mulctat juvenilis experimenti audaciam. Legimus apud Ios. Lanzonum *a*) insigne tremoris hujus ex nimia Venere exemplum. Retentorum vitia eo sunt luculentiora, quod eorum extra corpus exilium œconomiæ vitalis lex decreverit. Per novum attritum vitæ crescunt illa vitia, & nervos lacessunt gravius. *Stymargæi* ancillam a retento sanguine tremoribus totius corporis correptam Hippocrates *b*) sistit. Sic cum Sennerto & Ettmullero laudatus Joh. Lanzonus *c*) menses & lochia suppressa tremores inferre docet. Idem de mensibus Mercurialis, de scabie retropulsa Cramerus tradunt. Pathemata animi, ut nervos proxime adficiunt, ita summis tremoribus reddunt obnoxios. Terror inprimis tristia relinquit hujus mali vestigia. Ancilla, quæ mane surgens defunctam dominam sibi visa est tradere, tremuit toto corpore, isque tremor per tres vel septem dies rediit, mensium fluxu tandem sopitus, enarrante Sam. Ledelio *d*). Ita horridus adspectus periculi instantis, ut præcipitii, tremulos reddit. Idem fit, dum in loco sublimi vertigo nos corripit, vel dum super altas ædes, pontes, trabes adscendimus. An tanti est, ut inter caussas fascinum adjiciam? Id quoque nobis Sam. Ledelius persuadere nititur, & tonsoris historia *illustrat, qui dum tondere omnes pulchre* didicisset, tentavit opus in certo *homine semper sine successu*, tremens a pollice pedis per totum genus nervosum, ut manu statim novacula excideret. Dedit Ledelius tanquam effascinato amuletum, & certi generis fumum præscripsit, qua fiducia virtutis? sit apud eum judicium. Verior in externis vis est, quam F. Dekkers sensit, scindens filamenta contrayervæ ut in pulverem

z) *Obs. med. L. I. C.* 23. *p.* 44. Tremuit manus integra vel pollex ejus lateris.

a) *Eph.* N. C. D. II. *A.* 10. *Obs.* 146. *p.* 232. Conferquoque Io. de Gorter. *de perspirat. insensib. C.* 17. §. 18.

b) *Epidem.* 2. *Sect.* 4.

c) *l. c. p.* 78.

d) *Eph.* N. C. D. 2. *A.* 6. *Obs.* 27. *p.* 81.

rem redigeret, hinc ſubito & per binas horas omnibus dextro digitis tremens *e*).

§. VII.

Sunt & aliæ cauſſæ, de quarum ſimili effectu dubitari poſſit. Ajunt eſum coturnicum helleboro veſcentium tremores artuum parere. Edit illos CASP. HOFMANNUS *f*) in vicinia Neapolis, ubi helleboro largius victitant coturnices, ſub ipſo autumno ſine noxa. Aquam per plumbeas fiſtulas ZACUTUS LUSITANUS damnat, ob tremores, quos gignit, metuendam. Certe in his & aliis juſtæ aliquando dubitationis locus eſt. Nolim tamen torpedinem ſub illo numero comprehendi, licet mirabilis ille cum tremore ſtupor, quem ſuo attactu ciet, multis eruditis commentitius viſus ſit. Iam apud PLATONEM g) virtutis hujus mentio occurrit, ubi SOCRATES cum genio torpedinis comparatur. Plenius ARISTOTELES *h*) torpedinem, ait, non piſcibus ſolum, quos appetit in prædam, torporem inducere, ſed & hominibus. Commento rem exornat PLINIUS *i*) tunc etiam, ſi procul e longinquo, vel haſta

e) Exercit. præd. p. 553. altero die id repetens remiſſos tremores ſenſit, tertio nullos.

f) *Inſt. med.* L. 5. C. 5.

g) In *Menone.* ἡ νάρκη τὸν πλησίαντα ναρκᾶν ποιεῖ.

h) *Hiſt. Animal.* L. 9. C. 37. ἡ νάρκη τὰς ἀνθρώπους ποιεῖται ναρκᾶν. Conſer. *Athen.* L. 7. *Iſidor.* L. 12. C. 6. Hinc recte OPPIANO *de piſcat* L. I. v. 104. ἐτήτυμον ὄνομα νάρκη dicitur, torpedo nempe non a piſce ſed piſcis a torpedine, contra ac videtur SOSIPATRO CHARISIO. *v. comment.* c. *Rittershuſ.* in *Oppian.* p. 175.

i) *Hiſt. Nat.* L. 32. 1. cui congruit ſententia *Oppiani l. c. Lib.* 3. *p.* 149. in piſcatoris dextram infigi torporem, ex cujus manu arundo delabitur & inſtrumenta piſcationis; adeo tota quaſi glacies inſidet ſtatim manui. Ipſe GALENUS vim, ait, tam fortem eſſe torpedinis, ut per infixum ei tridentem ad manus piſcatoris penetret, *de util. reſp.* C. 4. *Op. Cl.* I. *p.* 225. D. it. *VI. de loc. affect. Op. Cl. IV. p.* 40. *A.* Nec FR. REDI multum repugnat piſcatorum teſtimonio, in ipſo mari tranſire ex torpedine vim illam per funem retis haſtamque ad manum & brachium piſcatoris.

haſta ac virga attingitur, quamvis prævalidos lacertos torpeſcere, quamlibet ad curſum veloces pedes adligari. Loquuntur vero veteres de ſolo torpore exinde nato, ad attactum exſtingui calorem & ſanguinem congelaſcere: ligari piſces, ut cum OPPIANO loquar, gravi imbecillitate ſomni, ſtare impotentes, nec viarum nec fugæ memores, ſalire cor, genua vinculo gravari. Secundum CLAUDANUM *k*), qui poëma ſuum judice SCALIGERO *l*) ex OPPIANO confecit, *latus armavit gelido Natura veneno.* GALENUS *m*) in his etiam experimentis probe verſatus a frigore & compreſſione nervorum derivat torporem illum, quem ait ex motus & ſenſus difficultate componi, hinc medico aliquando ſcopo accommodari *n*). Poterant hæc omnia niſi recentioris ævi iteratis experimentis ad rigidiſſimam cenſuram vocata eſſent, dubia videri; ſed illa FR. REDI, JO. ALPH. BORELLUS, ENGELB. KAEMPFERUS & inprimis REAUMUR ſtrenue vindicarunt. Hic non tam ad torporis quam tremo-

Id vero quod PLINIO aliisque hic probatur, cum ratione rejicitur ab ENGELB. KAEMPFERO, l. c. *Negant*, inquit, *piſcatores, ſcipione ſtuporem irritantis manibus induci, nedum haſta virgaque attingentis, quod ſcribit Plinius, & credunt litterati.*

k) *Eidyll.* 3. ubi hæc.
Pigra venenatis effundit flamina venis,
Tranſit arundineos arcano frigore nodos.
Victricemque ligat concreto ſanguine dextram,

l) *Critic. C.* 2. 16.

m) *de Sympt. Cauſ. Op. Cl. p.* 16.

n) Memorabile videtur, & inveteratæ cephalalgiæ & ipſarum febrium medelam ab attactu torpedinis exſpectari. SCRIBONII LARGI hæc verba ſunt: *capitis dolorem, quamvis veterem & intolerabilem protinus tollit, & in perpetuum remediat torpedo viva nigra, impoſita illo loco, qui in dolore eſt, donec deſinat dolor, eaque pars obſtupeſcat.* C. 1. *Compoſ.* 2. *p.* 23. *cum adnotat. Rhodii p.* 42. *Idem tradit* DIOSCORIDES, diuturnis doloribus capitis admotam torpedinem mulcere cruciatus vehementiam L. 2. C. 17. Addit AETIUS *tetrab. I. Serm. II.* C. 185. mortuam id non facere. In viva etiam tantum expertum ſe eſſe ſcribit GALENUS de *ſimpl. facult. L. II. Op. Cl. V. p.* 82. *Habeſini* febres curant impoſita torpedine, quod refert HIOB. LUDOLFF. *Hiſt. Aethiop.* L. I. C. 2. Sine dubio, quæ torpefaciunt, motum quoque & dolores ſupprimunt.

tremoris ideam reſpicimus, ob quem ab Iſtris jam tremula vocata eſt. Petr. Bellonius *o*) contrectatione torpedinis manus tremulas fieri ſolerter notat, & J. C. Scaliger *p*) torpedinem ait non tollere motum, ſed depravare, non quieſcere piſcatoris manus, ſed tremere. H. Boerhaavius *q*) ſubſilire ait, ob attactum torpedinis, nervos per totum corpus, & hac agitatione ſyſtematis nervoſi, ultimo ipſos nervorum ad præcordia plexus adfici. Fr. Redi vix manu ſtrinxit vivam torpedinem, cum manus non ſolum, ſed & cubitus, brachium & humerus moleſte tremerent, idque toties, quoties obſtinatius iteraret. Engelb. Kaempferus *r*) rem explicat per motum repentinum, qui per membrum tangens ad vitæ ſpirituumque arcem uno momento penetrat, & univerſum corpus animumque percellit, maxime partes nervoſas durioresque corripiens, cum tremore ſtupiditate ac frigore. Hinc frigidum quaſi fulgur vocat, contrectanti ſuffuſum, dum momentaneo quaſi ructu & convulſo viſcerum motu ſpiracula abdominis dilatans torpedo & aërem ſorbens eo niſu tremendum virus in auras excutit. Vicit vero antecedentium obſervatorum induſtriam experimenti & judicii ſagacitate cl. Reamur *s*). Senſum is deſcribit tanquam cubiti ad rem duram ruditer adlifi, negat vero, quod cenſuit Borellus, motum animalis, dum agit, ſenſibilem eſſe, notatque dorſum, quod torpedini ut aliis piſcibus latis, paululum convexum eſt, adplanari citra ſenſum, ita ut aliquan-

o) *de Aquatil.* L. I.

p) *Exerc.* 218. *num.* 8.

q) *Inſt. Med.* §. 855. *Comment.* Ill. Halleri. *Vol.* VI. *p.* 245.

r) In *Amoen. Exot. Faſc.* 3. *Obſ.* 2. *p.* 514. Varia hic notat, quæ non ſunt levis momenti: 1) non torpedinem perpetim virus illud exhalare, ſed ſi libertatis remoram & tangentis offenſam ſentit, 2) ſub aquis prehenſam ferire ſegnius, & extra aquam aliquamdiu impune tractari, donec vel aëris vel irritationis pertæſa ſuis ſe armis defendit; tunc vero eo acrius & crebrius ferire, quo vivacior eſt, quo major, quo recentius capta. 3) illum plane non adfici, qui aërem liberaliter adtractum diu retinet. quod ab Africano didicit, & imitando expertus eſt.

s) *Hiſt. Ac. reg. Sc. Pariſ. A.* 1710. *p.* 19. Ipſa obſervatio cl. *Reaumur* eſt in *Mem. ejusdem anni* p. 344.

quantulum concavum fiat. Inſtrati ſunt duo magni & æquales muſculi, a facie capitis ad initium caudæ, alter a dextra, altera ſiniſtra, occupantes maximam partem corporis. Hos igitur docet muſculos adplanando ſe contrahere, & ictum virulentum ſumma cum celeritate eo momento fieri, quo ad priſtinam convexitatem redit dorſum. Ita motum imprimi judicat, illi, qui ſpirituum eſt in nervis, contrarium, qui ſuſpendat quaſi & ſiſtat ſpiritus. Negat quidpiam virturis ab effluviis pendere, quæ exire in contractione oportuiſſet: nam hic ad momentum, quo ſentitur vis, recuperat animal naturalem figuram. Cui alterum argumentum addit contra effluvia, quod torpedo in nullam, etiam proximam agat, niſi vere tangas & irrites, diſtantiam. At de his fere nimis!

§. VIII.

Nihil in magna rerum ſimilitudine eſt difficilius, quam citra confuſionem & juſto limite res cognatas diſcernere. Sunt etiam hic morbi adfines, quorum ſubjicere notas oportet, quibus a tremoribus diſcrepant. In multorum more eſt, motum palpitantis cordis *tremorem* adpellare, at graviter C. Hoffmannus *t*) L. Fuschium objurgat, *quod tremorem & palpitationem confuderit.* Galenus jam docuit *tremores fieri in organis motui voluntario dicatis*, ad quæ motus cordis non pertinet, quamvis & muſculus ſit & actionis, quam exſerit, robur a non abſimili cauſſa enervetur. In tremore adficiuntur ipſæ fibræ carneæ & motrices, in palpitatione vitium magis eſt in ſanguine & vaſis. Ut verbis ipſis Galeni utar, tremor fit noxa virtutis, palpitatio inſtrumentorum. Nec diſplicet illud Ant. Santorelli *u*): tremor eſt motus elevationis & depreſſionis, palpitatio dilatationis & conſtrictionis. Hic membra non mutant locum, ibi ſemper fit mutatio ſitus, ſurſum, deorſum, vel ad latera. Promptius diſcrimen

t) *Inſt. med. L.* 3. *C.* 84. *p.* 420.

u) *de ſanit. tuend. L.* 19. *C.* 21.

crimen eſt a convulſione & paralyſi. Ibi membrum ſemper contractum eſt, hic ſemper laxatum, at in tremore uno momento contractum altero laxatum. In paralyſi non influunt ſpiritus ad motum muſculi, in tremore vi debili influunt, in convulſione vi magna. Poteſt tremor paralyſis incipiens & imperfecta, poteſt convulſio lenis adpellari. Ea convulſionis ſpecies, quæ tetano immobilitatem membri parienti oppoſita eſt, & in altera contractione & relaxatione muſculi conſiſtit, adeo convenit cum tremore, ut tantum gradu a multis diſtinguatur *x*). Sane in convulſione nunquam nutus voluntatis præcedit, in tremore plerumque: ſi vero non ſit, hic tremor a parva convulſione nil differt. Denique cum rigore tremor facile confunditur, & HERCULES SAXONIA *y*) ipſum GALENUM hujus confuſionis reum agit. Verum in locis, quæ citat, non eſt in græco textu vox tremoris, ſed in verſione. Sollicite ſatis GALENUS & fuſe utraque diſtinguit. Rigor eſt concuſſio totius corporis cum ſenſu frigoris. In paralyſi frigus eſt ſine ſenſu, etſi omnia perfrixerunt. In tremore ſenſus integer eſt, ſed nullus frigoris. In paralyſi frigus eſt ſine ſenſu, etſi omnia perfrixerunt. In tremore ſenſus integer eſt, ſed ſine frigore, nec neceſſario ut in rigore, totum ſimul corpus concutitur.

§. IX.

Suam quoque ſpecies tremorum differentiam habent. Alius univerſalis eſt, qualem NIC. MASSA, *z*) SIM. SCHULZIUS, *a*) I. FERNELIUS *b*) & TH. WILLISIUS *c*) deſcribunt: alius particularis, nunc capitis, qualem TH. BARTHOLINUS *d*), nunc manuum, qualem

x) G. van SWIETEN *Comment. in Aph.* 32. *T. I. p.* Argutius quam verius diſcrimen captat G. C. SCHELHAMMER, qui in convulſione contractionem violentam, deinde reditum ad ſtatum naturalem, in tremore contractionem naturalem, at relaxationem præter Naturæ inſtitutum ponit.

y) *Prælect. pract.* L. I. *C.* 14.

z) *Tom.* II. *Ep.* 18.

a) *Eph. N. C. D.* 1. *A.* 6. & 7. *Obſ.* 148. *p.* 210. de femina Cracovienſi, febre catarrhali exhauſta & toto corpore tremente.

b) *conſil.* 18.

c) *Pharmac. rat. Sect* 6. C. III. *p.* 107.

d) *Cent. V. hiſt.* 58.

qualem P. Forestus *e*), nunc pedum in homine, tum quiescente tum ambulante, qualem Phil. Hoechstetterus *f*), nunc linguæ, qualem a tertiana E. Hagedorn *g*), nunc alterius mandibulæ, qualem Sael. a Fonte *h*) & Matth. de Gradibus *i*) recensent. Huc pertinent tremores labiorum, palpebrarum aliarumque partium seorsim. Notabile etiam discrimen est inter continuos periodicos & recurrentes. Tremor artuum quotidianus Sam. Ledelio *k*) notatus est. Alius tremor hæreditarius est, alius adscititius. Prior in mercatore fuit, cuius gravida mater ad nuntium mariti cultello occisi contremuerat *l*). Posterior frequentior longe est, & ratione partium, caussarum & graduum varie discrepat. Idiopathicus dicitur a genita in locis trementibus caussa, sympathicus a communicato & aliunde transmisso vitio, ut a capite, corde, ventriculo. Tremorem epidemicum Elias Camerarius *m*) citat, quaquaversum in corporibus, cum dyspnoea, lassitudine & stupore mentis enatum. Hæc lues tremula in certo pago præter alios integram familiam sic corripuit, ut ob tremoris vehementiam & pertinaciam verba precum nequiret recitare. Unus rusticorum per XVIII. hebdomades infaustum tremorem sustinuit, ipse pastor loci in lecto per tres hebdomades tremuit. Sunt, qui tremores in convulsivos & paralyticos distingunt, ibi violentia est convulsionis æmula, hic impotentia motus in paralysin prona. Qui tremorem in voluntarium & involuntarium distinguunt, & illum sub primo nixu voluntatis, hunc sine illo in quiescentibus partibus oriri volunt, meminerint tantum, quidquid in tremore morboso occurrit, statim voluntatis imperio excidere, hinc totum merito involuntarium dici.

§. X.

e) *Obs.* 99. *L. X.*
f) *Obs. Med. D. IV. C.* 10.
g) *Eph.* N. C. D. 1. *A.* 6. *&* 7. *Obs.* 15 *p.* 25.
h) *Consil.* 6. *p.* 179.
i) *Consil.* 18.
k) *Eph. N. C. D.* 11. *A.* 6. *Obs.* 27. *p.* 81.
l) *ib. A.* 8. *Obs.* 4. *schol. p.* 22.
m) *Act. N. C. Vol. II. Obs.* 151. *p.* 350.

§. X.

Facilis eſt ex dictis tremorum vera diagnoſis, ipſi enim conſpectui ſe offert illa parvorum & contrariorum motuum celerrima ſucceſſio, quæ muſculum quatit: ſive is in quiete ſit, ſive in actione verſetur, & nunc geſtare onus, nunc prehendere aliquid vel tenere tentet. Sic tremens præſente *Cratone Paracelſus* poculum tenuit. Difficiliora ſunt ſedis & cauſſarum ſigna. Si nulla occurrunt adfecti membri vitia, in laxis frigidisque merito cerebrum laborare & ſpiritus ſuſpicamur. Solet tunc ſenſus & memoria turbari, univerſum corpus tremere, & paralyſis inſtare. Si palpebræ vel labium tremunt, vitium intra cranium metue. Particularis tremor eſt manuum & brachiorum a nervis ſpinæ illuc tendentibus, qui deorſum validiores pedibus proſpiciunt: quod fere de reliquis valet. Vita anteacta ægrotantis, & propriæ de ſe & erroribus ſuis confeſſiones, multa expediunt. Si ſenes vides, ſi revaleſcentes ex diuturno morbo, ſi iratos, ſi terrore perculſos, ſi Venere exhauſtos, ſi illos viciſſim, qui ſolitas evacuationes negligunt, poteſt ſenſim in notitiam cauſſæ deveniri, ex qua ſpeciatim imbecillitas nervorum nata ſit. Sane, quibus de ſerie tota conſtat cauſarum, tam internarum quam externarum, opportuno examine diſcernent veras, illuſtrabunt obſcuras, eruent latentes: quamvis ſubinde neceſſe ſit, ut noſtra ſuſpicio in certo probabilitatis gradu ſubſiſtat.

§. XI.

Tremor adflicti generis nervoſi index, ſalutem raro, exitium ſæpe portendit. Omnis adfectus nervinus ægre cedit, inprimis, qui cum ætate & inter errores vitæ invaluit. Hinc ſenes frigidosque ad mortem plerumque comitatur tremor, & legem ipſis imponit nunc ſcipione, nunc manu ſervi tremulos pedes fulciendi *n*). Peioris nominis hic tremor eſt, ſi plura loca occupat, adde nobiliora, ut fit in illis, qui capite tremiſcunt. Quodſi hereditarium malum fuerit, etiam iuvenilia corpora, in vigore ætatis

n) *Hic ſi multum ſudas*, inquit PETRUS FORESTUS *l. c. Obſ.* 99. *operam impenſam ludis.*

tatis corripit, & ad metam languidiſſimæ vitæ, per moleſtos tremores ducit. In lethargicis judice IODOCO LOMMIO *o*) ſummi periculi nuncius eſt. Apoplecticos etiam nulla ſpe ſaluris excitat *p*). In febribus, quod HIPPOCRATES docuit, delirio ſolvuntur tremores *q*). Sed hic idem eſt ſolvi, quam malo gravius infeſtanti & certius enecanti locum relinquere. Ipſi GALENO ſolutio quidem plerumque ſanitatem, at hic improprie tranſitum in peius notat. Solvit nempe ferox delirium tremores, quia vis mali a nervis ad caput, turbato ſenſorio communi, decumbit. Nunquam vero peior tremor eſt, quam ipſo cerebro adfecto, ut non modo in phreniticis ſed & illis adparet, qui ex retento lotio vel lochiis laborant, ubi corruptum, quod viis ſolitis non excernitur, ſtimulo ſenſim ſuo ipſa vaſa cerebri ſollicitat *r*) Acutorum morborum principia, ſæpe & fines tremor comitatur, ibi ob lentorem in extremis, hic ob exhauſti corporis diſpendia, utrinque non ſine periculo. Nunquam longe mors abeſt, ſi in progreſſu horum morborum tremulæ ægrotantium manus feſtucas legunt, vel floccos de lecto evellunt. Inſtat enim vel jam adeſt delirium, & graves plerumque ſubſequuntur convulſiones. Ideo HIPPOCRATES *s*), ſi pulſum explorat medi-

o) *Obſerv. Med. p.* 64.

p) H. BOERHAVIUS *aph.* 1020. *Inſt. Med. tremorem ad apoplexiam ducere*, *aph.* 1018. *graviorem apoplexiam ſuperata cauſſa relinquere tremorem*, docet.

q) VI. *Aph.* XXVI. τρόμος παραλοπὴ λύει. Id non vult de vero tremore ſed motu convulſivo intelligere ANT. SANTORELLI *de Sanit. Natur. L.* 19. *C.* 21. *p.* 444. *Tremor*, inquit, *a frigida cauſſa eſt vel humida*, *ab his autem fieri delirium nequit: ergo nec humor delirio ſolui.* Facile argutias illas experientia diſſipat, nec difficile cognitu eſt, imbecillitatem cerebri & nervorum etiam a cauſſa calida exſiccante & debilitante naſci poſſe. Quis phreneticorum & deliria & tremores neſcit? Damnantur *Hippocrati* τρομώδεες πυρετοὶ febres tremulæ, *de fractur. S. IV. Op. T. II. p.* 277. *XII.* 11. Etiam σμικρὰ τρομώδεα in perniciosis numerat: *Op. T. I. p.* 526. *I.* 91. Si ceſſant τὰ τρομώδεα ἀκρίτως in febribus abſceſſus ad artus inſtant. ib. *p.* 532. *I.* 198.

r) H. BOERHAVIUS *aph.* 996. *Inſt. Med.* tremorem præſagit ex urina, *ob irritantem ſtimulum retentorum*, *quæ ad nervos & cerebrum decumbunt.*

s) *Coac. prænot. Op. T. I. p.* 526. *I.* 59.

medicus, & ad contactum reſilit manus ægroti, male ominatur. Omnis tremor a cauſſis internis facile in paralyſin, lethargum, convulſiones, imo apoplexiam, auctis viribus in corpore impuro degenerat. Vel ſola magna animi comotio in convulſiones per tremores præcipitat. Hinc tremor magnus & conſtans irati & æſtuantis hominis epilepſiam minatur. Aliquando totius corporis ſtupor tremoribus ſupervenit. Ita vero periiſſe illum, qui pedibus tremebat, teſtatur Io. Riolanus *t*). In morbillis exitioſum tremorem eſſe, Sam. Ledelius notat. Hæc ſunt ſiniſtra de tremoribus præſagia, quibus pauca illa ſubiicimus, quæ ſalutem denunciant. In paralyſi membrorum tremor ſignum eſt redeuntis per nervos virtutis, antea excluſæ, quod cum aliis Io. Iac. Wepferus *u*) inculcat. Quorſum & illud ſpectat: tremorem in corpore ſano paralyſeos, in paralyſi ſanitatis eſſe prodromum *x*). Salutares ſunt etiam, quæ nervos liberant, excretiones, quibus rite ſuccedentibus tremor aboletur. Ut enim inedia & graves evacuationes, quæ corpus exhauriunt, funeſtos ſæpe tremores ob lapſum virium generant, ita viciſſim moderata evacuatio oppreſſas vires erigit. Diarrhœa ſponte nata ſuſtulit in moniali corporis gracilis & ſubpallidi tremorem continuum capitis manuumque, referente Josepho Lanzono *y*). Levarunt etiam ſimili ſucceſſu hæmorrhoides. Interdum ſudoribus criticis ſolvi, Valent. Andr. Moellenbrocc *z*) ſartoris exemplo illuſtrat. Tremor inferioris labii *a*) præſagium ſæpe dat ſalutaris vomitus, imo & dejectionis alvinæ, quæ vires morbi frangit. Neque tremor exiguus, recens, a cauſſa externa & in flore ætatis multum alit diſcriminis, nec opportunam medelam facile eludit. Sueti ferunt leviter, ut gibboſi aſthma. F. Platerus *b*) hominem

t) *Antropolog. L. II. C. 23.*
u) *Obſerv. 158. p. 467.*
x) *G. W. Wedel. in Theor. M. P. 2. S. 4. §. 37.*
y) *Op. amn. T. II. Conſult. 32. p. 97.*
z) *Eph. N. C. D. 1. A. 2. Obſ. 90. p. 165.*
a) Hipp. *Coac. prænot. Op. T. I. p. 543. II. 159. Vide quoque de lingua tremula Coac. prænot. Op. T. I. p. 529, I. 143.*
b) *Prax. med. T. I. P. III. p. 336.*

nem exhibet ab ortu ad ſenium omnibus partibus trementem, tam manibus & brachiis quam pedibus, quibus inter eundum velut ſaltabat, capite, quod agitabat, maxilla, qua velut maſticabat. Duxit inter hæc uxorem, munia obiit, ſenuit.

§. XII.

Alius medendi ſcopus non eſt, quam roborare ſyſtema nervoſum, & miniſteria influentium ſpirituum ab omni impedimento vindicare. Nemo non videt, plus eſſe in iis præſidii, quæ replent, alunt & perdita reparant, quam quæ exhauriunt nimis, tonumque labefactant. Quis in tremore a diuturnis morbis, a ſenio, a Venere intempeſtiva, a profuſis evacuationibus, dubitet multum, evacuandumne ſit, an proba *alimonia conſulendum?* Ex Nic. Tulpio *c*) didicimus, ſolam venæ ſectionem, quoties inſtitueretur, tremores produxiſſe; quomodo jam natis medeatur? Fieri tamen aliquando poteſt, ut retentum vel gravet copia, vel ſtimulo irritet nervos, eorumque actionem turbet. Præeuntem tunc ſequimur Hippocratem *d*), qui a retentis lochiis trementem ancillam Stymargi vena ſecta reſtituit. In ipſo tremore a frigore juvit venæ ſectio teſte P. Borello *e*). Frigus intelligo, non quod *debilium* ſed calidorum & plethoricorum vaſa arctat, motumque humorum & *ſpirituum ſuſpendit*. Poteſt idem auxilii genus in omni ſanguinis & ſpirituum *orgaſmo convenire*, poſitos vero illos ſalubritatis limites non facile excedamus. In cacochymicis fonticulos præferimus, qui corrupta ſubducunt. Emeticis, ut ſali vitrioli vel tartaro emetico in corporibus lentis & pituitoſis, quæ ſtimulo egent, aliquis locus *eſſe* poteſt, ſed nunquam in exhauſtis & debilibus. Quod etiam de purgantibus valet, quorum vis interno vitio humorum oppoſita leniter repurget primas vias, & tranſitum remediorum tonicorum expediat. Ceſſiſſe purgantibus tremorem apud Vitum Riedlinum *f*) legimus, nec agunt imprudenter, qui iis tonica miſcent. Diaphoretica, ut

c) *Obſ. L. I. C.* 23.
d) *Epid. L. II. S. IV. Op. T.* 1. *p.* 705. 28.
e) *Obſ.* 84. *C.* 1.
f) *Lin. Med. A.* 1. *April. Obſ.* 9. *p.* 101.

ut ſpiritus ſalis ammoniaci vel liquor cornu cervi ſuccinatus, & diuretica, ut tinctura tartari vel eſſentia ſuccini, vel clyſſus antimonii, aperiunt vias renales vel cutaneas ſæpe obſtructas, & intra focum viſcerum noxia eliminant. Inter illa evacuandi & corrigendi molimina alendum corpus & roborandum eſt. Scopo alendi poſt longas ægritudines pulpam pullorum coturnicum, in vino elixorum, cum cerebro aſſati leporis, amygdalis, pineis, paſſulis & variis aromatibus P. Forestus *g)* ſuadet. Conſilio roborandi varia præſcribuntur, inter quæ tincturam tonicam Stahlii laudant multi cum eius diſcipulis, alii decoctum guaiaci cum I. B. Montano *h)*. P. Forestus *i)* caſtoreum inter tremoris propria remedia numerat, pro uſu externo & interno. Alii pro cardiacis habent aquam cinnamomi, eſſentiam ſuccini aut roriſmarini, & vini etiam provide ſumti pauxillum. Nos maxime decocta & fomenta herbarum nervinarum comprobamus, inter externas embrocationes, vel epithemata ſicca & ſacculos, ex quibus cucuphæ parantur, aromaticis herbis inſtructæ, & raſo capiti imponendæ. Lavetur membrum tremulum decocto ſalviæ origani & roriſmarini, cum aqua & vino, vel decocto granorum iuniperi cum vino. Lota pars inungatur oleo rutæ vel liliorum convallium, quod L. Fauentinus mirabiliſſimum in tremore dixit. A. Mizaldus infuſum artemiſiæ in aqua roſarum ad hunc ſcopum præſcribit. P. Forestus *k)* lotio proprio lavare membra trementia indubitatum remedium vocat, adſentiente Th. Burneto *l)*. Vidit ruſticum Ios. Lanzonus *m)*, qui lotio calido pueri tremores cum ſucceſſu levavit. Inunctio fiat cervicis & ſpinæ oleo nardino vel caſtorei, vel etiam balſamis & unguentis, vel ſpiritu formicarum aut lumbricorum terreſtrium. Siccæ præterea cucurbitæ ad vertebras ponantur, unde nervi ad membrum tremulum tendunt. Huc etiam pertinent fricti cum linteis & pannis

g) *Obſ.* 99. *L. X.*
h) *Conſult.* 27.
i) *l. c.*
k) *L. VIII. obſ.* 5. *Schol. de ext. Cap. vit.*
l) *Theſaur. Med. Pract. L.* 17. *S.* 14.
m) *Eph. N. C. D.* 2. *A.* 10. *Obſ.* 146. *p.* 232.

pannis calidis ad ſpinam & partes adfectas, ut vividior calor ſpiritus adliciens excitetur. P. MONAVIUS *n*) inter nervina interna maxime diacorum & extractum calami refert, externe fotum vini calidi ſuadet, in quo betonica, ſalvia, roſmarinum & ſimilia incocta, imo & ſpiritus vini aliquid admixtum. Sic multis, inquit, tremor paulatim remiſit, donec prorſus aboleretur. Huc traho æſtuaria & balnea, tam naturalia, quam artificialia, quæ FR. RANCHINO probantur. Bene illa ex cephalicis & nervinis inſtruuntur, ut herbis ſalviæ, betonicæ, roriſmarini, floribus lavendulæ, tiliæ, baccis lauri ſimilibusque, quæ nervis robur ſuum reſtituunt. Tali balneo diuturnum tremorem ceſſiſſe ZACUTUS LUSITANUS *o*) ſcribit, idem de thermis Carolinis I. IAC. WEPFERUS *p*) teſtatur. Eo certius dicta ſpem noſtram implent, ſi ſimul abſumtis & diſſipatis ſpiritibus ægrum cibis εὐπέπτοις εὐχύμοις καὶ πολυτρόφοις reficimus.

§. XIII.

Qui ad cauſſarum diſcrimina attentius reſpiciunt, dirigere medicamenta ſub maiori indicationum luce ſciunt. Si reſolutio virium eſt, per temperantia, gelatinoſa & emulſa inſtaurentur: abſint calidiora, quæ atrophiam inducunt. In ſummo ſpirituum torpore, eſſentia anthos *vel meliſſæ*, vel liliorum convallium, vel etiam ſpiritus vini a cephalicis herbis deſtillati paulatim offerantur. Senes ferant placide calamitatem ſuam, quibus vix balneum *Medeæ* conſulit: de proba alimonia cogitent vel, ſi placet, conſilio P. BORELLI *q*) utantur, qui ſenilis capitis tremori fimum pavonis opponit, cum aqua vitæ temperatum, & mane potulenta forma ſumendum. Si a nimio labore tremor eſt, quies remedium erit; ſi a crebra Venere, parcendum lumbis eſt; ſi ab evacuatione immodica, nulla erit extra cautæ repletionis conſilium medela. Si a frigore, fugiat æger cœlum hybernum, calidas ſedes eligat, pocula nivata abiiciat, infuſum ligni aloes vel ſaſſafras bibat, conſervam anthos vel meliſſæ vel acorum conditum ſumat. DAN. SEN-

n) *Ep.* 28. *L.* 2. *Conſ. & Ep. Craton.*
o) *P. H. L.* 1. *Obſ.* 42.
p) *Obſ.* 158. *p.* 764.
q) *Obſ.* 89. *C. III.*

Sennertus *r*) in tremore ex potu aquæ in nive resolutæ balneum calidum laudat, in quo æger moretur, donec bene sudet, dein cibis refovendus & calide inungendus. Fr. Sanchez *s*) rigidiori methodo in finum equinum, vel columbinum, vel anatum ad collum usque immergi jubet trementes a frigore, aut in alvum recens confossi equi, muli vel bovis recondi, aut pellibus nuper mactatorum animalium, calentibus adhuc, involvi: bene, si ex paralysi tremor. Si a vino est, detur mulsa, si a narcoticis, substitue vinum, & per gradus limpidiora. Si a pavore ad conspectum belluæ spectri, latronis, fulminis, imitemur *Paridem*, qui irruentis, *Menelai* adspectu tremens retro fugit. Fugienti læta sunt & delectabilia enarranda, quæ componunt fluctus animi. Iratis metus, metuentibus spes iniicienda est: certe pathemata animi, si ratione sopiri nequeunt, contrariis vincenda sunt. Has turbas spirituum etiam opiata cœrcent, ut diascordium vel laudante F. Platero orvietanum. Opoponax in vino placet Theodoro de Mayerne *t*), pro iis, quibus ex pathemate animi manus tremunt. Si caput speciatim laborat, errhina ex succis majoranæ & betæ, gargarismi & masticatoria conveniunt. In tremore ab halitu mineralium, post Horstium & Zacutum Io. Michaelis *u*) mercurium dulcem commendat, præterea antimoniata & cinnabarina ipsumque unguentum ex auro, quod mercurium attrahit. Plura prosequi nimis longum esset.

§. XIV.

Multa sunt in vitæ regimine, quæ in tremoribus prosunt, vel nocent. Aeris illam temperiem æger eligat, ut nec calidior sit, unde sanguinis orgasmus crescit, nec frigidior, qui nervis inimicus diaphoresin impedit, hinc suffimentis corrigendus. Absit familiaritas cum Baccho & Venere. Absint vigiliæ, lucubrationes & animi æstus atque sollicitudines. Nunquam lotio fiat aqua frigidiore, quæ maxime generat & fovet tremores, e contrario

r) *Med. Pract. L. I. P. II. C.* 25.
s) *Op. Med. de febr. L.* 1. *C.* 4. *p.* 268.
t) *Pract. Med. L.* 1. *C.* 4.
u) *Op. Med. Chir. P. I. L. II. C.* 13. *p.* 75.

trario decoctis nervinis debiles partes tremulæ roborentur. Jurare se posse ait Jos. Lanzonus, mercatorem tremore brachii sinistri liberatum esse solo usu balnei aquæ vitæ camphoratæ. Victus nunquam sit acris & stimulans, & cœna semper prandio parcior. Fugiantur inprimis acida, & familiaria multis ex endivia, lactucis & cichoreis acetaria, quibus nervosum genus imbecillius, & ad tremores artuum & paralyses proclive, facilius corripitur *x*). Vinum rubellum moderatum in prandio ferri potest, non æque meracius, acidius vel generosius. Cerevisia probe sit defecata, & ad sententiam P. Foresti *y*) salviata, qua aurifabrum a tremore liberatum commemorat. Optimi cibi sunt aves montanæ, assatæ potius, quam elixæ, & tunc salvia, hyssopo, roremarino, similibusque condiendæ. Solent, inprimis hyeme, senibus tremulis pullorum & columbarum teneræ carnes commendari, ut bono succo exhaustos spiritus reficiant. Cerebra leporum alii laudant cum Foresto, alii columbas sylvestres. Inter hæc alvus nec stricta nec nimis sit laxa, sique opus, non nisi leniter sollicitanda. Exercitia semper moderata sint, ne debilitent corpus & dissipent spiritus, adeoque nervosum genus reddant debilius. Nullæ humorum profusiones fiant, inter quas crebra venæ sectio inprimis redarguenda est.

x) Conf. Conrad. Barth. Behr. *Select. med. Sect.* 2. §. 13.

y) *Obs.* 99. *lib.* 10. Ideo quoque salviam in cibo, imo & pani butyraceo adspersam, laudat.

FINIS VOLUMINIS PRIMI.

92444